PHILOSOPHIA

SCHOLASTICA

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS EXPOSITA

ET RECENTIORIBUS SCIENTIARUM INVENTIS APTATA

NECNON INSTRUCTA CONTRA KANTISMUM ET MODERNISMUM

IMPRIMATUR :

Parisiis, die 14a Maii 1921,

ALFRED BAUDRILLART,

Vic. gén. Rect.

PHILOSOPHIA

SCHOLASTICA

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS EXPOSITA
ET RECENTIORIBUS SCIENTIARUM INVENTIS APTATA
NECNON INSTRUCTA CONTRA KANTISMUM ET MODERNISMUM

AUCTORIBUS

DD. A. FARGES ET D. BARBEDETTE

IN SEMINARIIS PARISIENSI ET ANICIENSI PHILOSOPHIÆ QUONDAM PROFESSORIBUS

EDITIO TRICESIMA PRIMA

RECOGNITA PENITUS ET PERPOLITA

TOMUS SECUNDUS

PSYCHOLOGIA — THEODICEA — ETHICA



PARISIIS
APUD BASTON, BERCHE ET PAGIS, EDITORES
69, VIA DICTA DE RENNES, 69

COURS
DE
PHILOSOPHIE SCOLASTISQUE.

TRADUCTION FN FRANÇAIS

De ce Manuel Latin, 2 vol. in-18.

Sixème Edition entièrement refondue avec Tables analytiques.

Prix : **15** francs.

(Même prix pour le Manuel latin.)

METAPHYSICA SPECIALIS

II

PSYCHOLOGIA

SEU

ANTHROPOLOGIA[1]

PRÆNOTIONES[2].

Post contemplationem rerum externarum, mens in seipsam reflectitur, ut naturam suam agnoscat : inde Psychologia seu Anthropologia, quæ Cosmologiam logice subsequitur, estque pars secunda Metaphysicæ specialis.

1. Quid sit *Psychologia* seu Anthropologia ?

A. — Quoad *nomen*, « Psychologia », e vocabulis græcis ψυχή (anima) et λόγος (scientia), idem sibi vult ac scientia de anima. Hanc quidem scientiam alii merito vocant Anthropologiam e vocibus ἀνθρώπος, λόγος, i. e., scientiam de homine.

B. — Quoad *rem*, Psychologia definitur : *Scientia quæ ultimas causas operationum et naturæ hominis investigat.*

Dicitur 1º *Scientia* : cujus enim habet omnes notas jam enumeratas in Logica, n. 259 ; et hoc est genus definitionis.

2º Quæ *causas ultimas* investigat : unde philosophica est, differtque a scientiis anthropologicis particularibus et empiricis, quales sunt Physiologia, Anatomia, Medicina..., quæ phænomena externa tantum inspicientes et eorum proximas causas, non ultimas attingunt.

3º Inquirit causas *operationum et naturæ hominis.* Unde ratione objecti sui materialis, differt a Cosmologia et Theodicea, ut patet, sed etiam a Logica et Ethica, quæ nec totius hominis, nec omnium illius operationum principia, sed tan-

1. Cf. **Aristoteles**, περὶ ψυχῆς ; — **S. Thomas**, *Comment. in Lib. de Anima* ; — *Sum. Theol.*, p. 1, q. 75-91 ; — *Contra Gentil.*, L. II, c. 46-101 ; — **Farges**, *Le Cerveau, l'âme et les facultés* ; — **Liberatore**, *Le Composé humain*. — 2. **Mercier**, *Psychologie* ; — *Les origines de la Psychologie contemporaine* ; — **Coconnier**, *L'Ame humaine* ; — **Alibert**, *La Psychologie thomiste*.

tum ordinem instituendum in operationibus solius intellectus aut solius voluntatis determinant.

Brevius, Psychologia est *scientia metaphysica de homine.*

Ideo recentiores, qui Psychologiam in *experimentalem* et *rationalem* dividunt, atque priorem solis phænomenis, neglectis eorum causis, applicatam tenent, eam removent a ratione scientiæ, non sine magno ipsius doctrinæ detrimento et periculo, ut D. Bergson ipse confessus est [1].

2. Quænam sit Psychologiæ *excellentia* ?

Ex dictis, apparet quanta sit excellentia Psychologiæ.

Nam scientia cujus ope homo facultates suas, naturam intimam, originem ac finem suum agnoscit, præclarissima quidem merito dicitur, et tanto aliis scientiis præstat, quanto homo cæteras res naturales antecellit [2].

Insuper, homo ea est creatura, quæ corpus et animam seu naturam corpoream simul et spiritualem sortita, μικρός κόσμος vocari solet : ideo, qui essentiam hominis scrutatur, compendiose universam naturam agnoscit.

Nec mirum, si Psychologiæ studium alumnos maximopere *delectat* ; nihil enim nobis antiquius esse potest, quam nosmetipsos cognoscere, juxta illud Socratis : « Nosce teipsum, Γνῶθι σεαυτόν [3]. » Unde Tullius : « Qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit, tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet [4]. »

Hinc et profecto propter excellentiam naturæ nostræ, modernorum exquisitæ investigationes, minutissimæ factorum internorum observationes psychologorum, necnon indefessi mysticorum labores et meditationes [5].

3. Quænam sit Psychologiæ *utilitas* ?

Imprimis *Philosophiæ* toti inservit, — *nam* ipsa Logica, quæ omnibus aliis scientiis præsupponitur, non parvam excipiet lucem e notitia facultatum nostrarum, sive ad earum valorem stabiliendum, sive ad earumdem operationes ordinandas. — *Item* et Theodicea, nam ex consideratione hominis, qui est imago Dei, mens ascendet ad sui Auctoris scientiam. — *Denique* finis noster, obligatio moralis, præcipuaque

1. Cf. **Farges**, *la Philosophie de M. Bergson*, p. 421 et suiv. ; — *Y a-t-il une Psychologie sans âme ?* in *Revue Thomiste*, 1910, p. 145 ; — *Objet de la Psych.*, in *Revue de Phil.* (fév. av. 1904 et janv. 1910). — 2. Cf. **Aristoteles** et **S. Thomas**, *De Anima*, lib. I, lect. I. — 3. Cf. **S. Augustinus**, *Solilog.*, c. II. — 4. *De Legibus*, I, 32. — 5. Cf. **A. Binet**, *L'Année Psychologique.*

vitæ officia, e natura hominis deducentur ; sicque Ethicæ quasi fundamentum est Psychologia.

Nec minor utilitas pro ipsa *Theologia* ; — nam, in *Dogmatica*, cum, ex una parte, homo ad imaginem Dei creatus sit, et, ex altera, Verbum divinum humanam naturam assumpserit, nec SS. Trinitas, nec Incarnatio Verbi sine notitia hominis intelligi recte possunt. — Similiter, cum vita supernaturalis vitæ naturali sit inserta, *Moralistæ* et *Ascetici*, naturam scrutando actuum humanorum et virtutum aut ordinem gratiæ viasque perfectionis spiritualis, ad notiones et terminos Psychologiæ frequenter recurrant necesse est.

4. Quanam *methodo* Psychologia tractata et tractanda sit ?

A. — Absint *falsæ* methodi sive mere deductiva, sive empiristica, ex quibus duo funesti exorti sunt errores.

Idealistæ, sc. Cartesiani cum ultraspiritualistis, Platonis vestigia sequentes, a priori, hominem in duplicem substantiam diviserunt, dimissoque corpore Physiologis,quasi esset extra naturam hominis, facultates, operationes, ipsamque animam ad statum quasi angelicum evexerunt.

Empiristæ vero, post Democritum et Epicurum, methodum experimentalem exclusive colentes, factis psycho-physiologicis fere solis student : ex quo pronum erit ut alii animæ vires ex materia repetant, alii vero nomen Psychologiæ reservari falso contendant Psychologiæ mere experimentali, quam ideo vocant « une science des faits, de tout point analogue aux sciences physiques et naturelles [1] ».

B. — Utrumque excessum devitant Aristotelici veteres, SS. Patres, postea scholastici, qui methodum *analytico-syntheticam* adhibent. Inprimis, ope *analysis* factorum, tum externorum, tum internorum, cognoscimus non solum physiologicas sed psychologicas operationes ; deinde, ex eis ad facultates, et e facultatibus ad assentiam ipsius animæ conscendimus, principio causalitatis innixi ; tandem, *synthesis* ope, multa alia comparamus de natura, origine et fine immortali mentis humanæ, conclusiones varias deducentes ope syllogismi : sicque perficitur methodus *circularis* (Log., n. 296).

5. Quomodo Psychologia *dividi* possit ?

Psychologia tractat de causis seu principiis operationum nostrarum. Sed principia hujusmodi duo sunt [2] : principium *proximum*, quod est potentia, v. g., intellectus et voluntas ;

1. Cf. **Peillaube**, in *Revue de phil.*, 1911. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 4 et q. 75, a. 1.

principium vero *remotum* quod est natura anima seu ipsa, sive in se sola, sive quatenus est substantialiter unita corpori. Unde duplex est objectum formale Psychologiæ.

Quapropter Psychologiam dividere possumus in duas partes : unam de potentiis seu *facultatibus* hominis, aliam de essentia seu *natura* hominis. Prima pars, in qua impugnantur sensistæ simul et idealistæ, Dynamilogia nuncupari solet a nonnullis (Sanseverino) ; secunda pars, in qua materialistæ et ultra spiritualistæ confutantur, vocari potest Anthropologia.

6. En brevis *synopsis* totius Psychologiæ.

- LIBER I^us^ — DE POTENTIIS HOMINIS
  - I. De Potentiis in genere.
    - 1. De natura Potentiarum.
    - 2. De Proprietatibus potentiarum.
    - 3. Divisio potentiarum.
  - II. De Potentiis in specie.
    - 1. Vitæ Vegetativæ.
    - 2. Vitæ Sensitivæ.
      - 1. De Sensibus externis.
      - 2. De Sensibus internis.
      - 3 De Appetitu sensitivo.
      - 4. De Vi motrice.
    - 3. Vitæ Intellectualis.
      - 1. De Intellectu.
      - 2. De Voluntate.
  - III. De Idearum origine.
    - 1. De Falsis Sententiis.
      - 1. De Empirismo.
      - 2. De Inditismo.
      - 3. De Ontologismo.
      - 4. De Traditionalismo.
    - 2. De Intellectualismo.
      - 1. Primus animæ status.
      - 2. Formatio idearum.
      - 3. Expressio idearum.
- LIBER II^us^ — DE NATURA HOMINIS
  - I. De Anima.
    - 1 De Substantialitate animæ.
    - 2. De Simplicitate —
    - 3. De Spiritualitate —
    - 4. Confutatio materialismi.
  - II. De Composito ex anima et corpore.
    - 1. De Modo unionis.
      - 1. Sensus quæstionis.
      - 2. Historia —
      - 3. Solutio —
      - 4. Confirmatio solutionis.
      - 5. Corollarium —
    - 2. De Consectariis unionis.
      - 1. De Unitate animæ.
      - 2. De Identitate —
      - 3 De Sede —
      - 4. De Influxu mutuo animæ et corporis.
  - III. De Origine hominis.
    - 1. De Creatione animæ.
      - 1. Falsæ sententiæ.
      - 2 Creatianismus.
    - 2. De Ortu hominis.
      - 1. De Ortu singulorum hominum.
      - 2. De Ortu generis humani.
  - IV. De Vita futura.
    - 1. De Immortalitate animæ.
      - 1. Immortalitas intrinseca.
      - 2. Immortalitas extrinseca.
    - 2. De Statu alterius vitæ.
      - 1. De Resurrectione.
      - 2. De Æternitate pœnarum.

LIBER PRIMUS PSYCHOLOGIÆ.

DE POTENTIIS SEU DYNAMILOGIA [1].

7. Homo non potest agere nisi mediantibus potentiis seu facultatibus, quæ, primum ab operationibus manifestatæ, postea ducunt in cognitionem ipsius hominis essentiæ. De his igitur potentiis triplex erit sectio : — Iª de Potentiis *in genere*, seu Dynamilogia generalis : — IIª de singulis potentiis *in specie* seu Dynamilogia specialis : — IIIª de quarumdam potentiarum phænomenis *specialioribus* seu *de idearum origine*.

SECTIO Iª.

DE POTENTIIS IN GENERE.

Plura de potentiis in genere, ad claritatem dicendorum, præmittere oportet, quæ quidem ex dictis in Ontologia et Cosmologia jam inferuntur, in decursu vero hujusce tractatus fusius enucleabuntur. Hæc autem prænotamina ad tria capita referre juvat : I. de *Natura* ; II. de *Proprietatibus* ; III. de *Divisione* potentiarum.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA POTENTIARUM.

Quoniam quatuor sunt causæ : formalis scilicet, materialis, efficiens et finalis, ideo *essentiam* seu *realitatem*, *subjectum*, *radicem* et *finem* potentiarum in lucem prodere oportebit.

ARTICULUS I.

De Realitate potentiarum.

8. Quid sit *potentia* quoad nomen et quoad rem ?

A. — Quoad *nomen*, potentia a verbo *posse*, idem fere sonat ac facultas : hæc tamen « nominat quandoque potestatem *expeditam* ad operandum [2] », illa vim agendi quamlibet ; una, juxta modernos, solis entibus sui consciis, altera etiam inconsciis convenit. Unde prior latius patet quam posterior [3] ; sed utraque est capacitas seu vis faciendi.

1. S. Thomas, *de Anima* ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 77-89. — 2. *Ibid.*, q. 83, a. 2, ad 2. — 3. Alibert, *Psych.*, p. 41.

B. — Quoad *rem*, potentia definitur a S. Thoma : « *proximum principium operationis animæ* [1] ».

Potentia dicitur — 1° *principium operationum*, seu id a quo procedunt operationes nostræ : Psychologia enim disserit de principiis operationum nostrarum ; — 2° principium *proximum* ; sicut enim scriptura a manu remote, a calamo proxime procedit, ita operationes nostræ a facultatibus immediate, ab anima remote producuntur : siquidem anima est *primum* principium quod in nobis vivit et operatur (n. 153).

Hæc omnia ope sequentis comparationis explicantur : in arboribus distinguuntur radix, rami et fructus ; sic anima est quasi radix omnium operationum hominis ; facultates sunt rami promanantes e radice ; fructus e ramis pendentes exprimunt actus humanos facultatibus immediate productos.

9. Utrum in homine *sint potentiæ* ab anima *distinctæ* ?

A. — *An sint*, non ambigitur, — tum quia sine potentiis homo non ageret, nam in omni ente vires sunt conditio ad agendum requisita (Ontol., n. 165), — tum quia homo, cum natura quædam sit, finem habet, activitate donatur, certisque legibus subjicitur (Cosmol., n. 129) : porro hæc tria supponunt hominem viribus instructum esse.

B. — Sunt *vere potentiæ*, — vires scilicet seu qualitates animæ : en entitas formalis et ontologica potentiarum. Nam, juxta doctrinam hic præsuppositam et infra probandam (n. 180-183), homo est substantia e corpore tanquam materia et ex anima tanquam forma coalescens ; ergo in eo, sicut quantitas in corpore, ita qualitates seu vires primario in anima sunt tanquam in principio formali.

C. — Sunt ab essentia animæ *distinctæ*, — tum quia vires hominis sunt accidentia absoluta, quæ ab ipsa substantia distinguuntur (Ontol., n. 117) ; sunt et vires physicæ quæ a principio suo sunt distinctæ (Cosmol., n. 32) ; — tum quia generatim, in omni creatura, adest realis distinctio inter *actus*, sc. inter τὸ *esse* et τὸ *operari* : ergo et inter potentias correlativas seu inter essentiam, quæ est potentia τοῦ *esse*, et facultates, quæ sunt potentiæ τοῦ *operari*. — Si qua tamen ea de re, quoad facultates spirituales, sit specialis difficultas, inferius evincetur (n. 153).

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 4.

10. Utrum facultates sint *realiter inter se distinctæ* ?

Resp. affirmative, *nam* operationes, quæ sunt *actus* potentiarum, sunt inter se realiter distinctæ et irreductibiles : ergo et *potentiæ*. Hinc, ratione *actuum*, facultates cognoscitivæ differunt a facultatibus appetitivis, v. g., intellectus non est voluntas, et ita de cæteris.

Imo quandoque facultates feruntur in opposita, v. g., voluntas, invito sensu, fertur ad arduum laborem, vel aliæ quiescunt dum aliæ operantur ; sed facultates ad diversa et opposita ferri non possunt, nec aliæ operari valent independenter ab aliis, nisi plures sint et distinctæ.

Denique in evolutione vitæ facultates seorsim et « secundum ordinem temporis » transeunt ad actum ; nempe vita vegetativa vitam sensitivam, et ista vitam intellectivam præcedit. Ergo plures sunt facultates animæ realiter distinctæ.

Convenienter quidem, nam in confinio spiritualium et corporalium positus, homo indiget variis potentiis utrarumque creaturarum [1].

ARTICULUS II.

De Subjecto facultatum.

11. Quid sit et quotuplex detur *subjectum* facultatum ?

A. — *Subjectum* intelligimus *substantiam cui facultas inhæret, et quæ utitur facultate tanquam instrumento.*

Illud autem subjectum potest esse vel corpus solum, vel anima sola, vel compositum ex anima et corpore. Si primum, facultas diceretur corporea et *materialis* ; si secundum, spiritualis et *inorganica* ; si tertium, organica seu partim corporea et materialis *secundum quid.*

B. — Quapropter ea de re triplex fuit *errandi modus* : nam materialistæ omnes facultates in corpore ; — ultraspiritualistæ fere omnes in anima ; — utrique demum nullam in composito subjectant. E contra scholastici caute docuerunt « duplicis ordinis esse facultates [2] », nullam esse mere materialem sed quasdam organicas, quæ in composito, alias autem inorganicas quæ in anima sola subjectantur. Unde

12. Cur nulla sit facultas *materialis* in corpore solo ?

Ratio petitur ex informatione corporis ab anima. Scilicet, corpus sine anima nullam habet operationem, ac proinde ex

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 77, a. 2. — 2. Thesis Thomistica XVIIa.

se solo nullam facultatem seu dispositionem ad agendum. Constat *antecedens*, — tum quia operatio activitas quædam est, quæ tota in ente a forma substantiali procedit, — tum quia anima seu forma substantialis pervadit totam materiam organicam quam informat.

Errant ergo mechanicistæ et organicistæ, et plerique physiologi, qui in corpore solo ponunt facultates vitæ vegetativæ aut sensitivæ.

13. Cur et quænam sint potentiæ *organicæ* seu conjuncti [1] ?

Hoc nomine veniunt *potentiæ, quæ non possunt exerceri nisi per organa physica, et homini competunt ratione unionis corporis et animæ.* Porro tales sunt potentiæ vegetativæ, sensitivæ et motrices, quod ex earumdem *subjecto* sic probatur :

Subjectum operationis est etiam subjectum facultatis. Atqui non corpus solum aut anima sola, sed compositum humanum est subjectum omnis operationis ad vitam vegetativam et sensitivam referendæ, — tum quia functiones utriusque vitæ exerceri non possunt nisi per organa corporea, ut experientia constat, — tum quia vita, etiam in gradu infimo, supponit principium a materia distinctum, illudque principium est forma substantialis (Cosmol., n. 94). Ergo compositum humanum est subjectum facultatum vitæ vegetativæ et sensitivæ (infra, n. 34) ; quæ proinde *actus* sunt organorum et cum eis efformant unum comprincipium operationum.

Errant ergo Plato, Cartesius, Rosminius et alii qui corpori tantum vegetativas, animæ tantum sensitivas potentias inhærere contendunt.

14. Cur et quænam sint facultates animæ seu *spirituales* ?

Hæ facultates vocantur *inorganicæ* seu *spirituales*, quæ *intrinsecus non uniuntur organis, seu quarum operatio nihil corporeum involvit.* Porro tales sunt *intellectus* et *voluntas* :

Revera in statu præsenti quoddam sensationis auxilium requirunt, ut e potentia transire possint ad actum, a corpore tamen ita sunt independentes, ut post præviam sensationem, sine organis materialibus exerceri valeant : « Manifestum est, ait S. Thomas, quod quædam operationes sunt animæ quæ exercentur sine organo corporali, sicut intelligere et velle. Unde potentiæ quæ sunt harum operationum principia, sunt in anima, sicut in subjecto [2] » et ideo spirituales (n. 83).

1. *Sum. Theol*, p. I, q. 77, a. 5. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 77, a. 5 ; — **S. Thomas**, *De Anima*, Lib. I, lect. 14.

Hinc apparet quantus sit error positivistarum qui, ducibus Spencer et Taine, non tantum facultates vegetativas et sensitivas, sed intellectum etiam et voluntatem ex organorum apta dispositione dimanare contendunt. — Errant etiam sensistæ, qui intellectum habent pro sensationis evolutione perfecta (Condillac, de Tracy).

ARTICULUS III.

De ima facultatum Radice.

15. Quænam sit *radix* seu principium facultatum ?

Omnes facultates, etiam organicæ, ab essentia animæ dimanant, quemadmodum in rebus physicis rivus e fonte defluit, qualitas emanat a substantia, et ramus e radice dependet.

Prob. ex dictis in Ontologia (n. 113) et Cosmologia (n. 32). Nempe qualitas omnis fundatur in principio quodam formali, a materia distincto : sed hujusmodi principium in homine non est aliud quam ipsamet anima : ergo in ea radicantur facultates. — Et sane non causatur facultas, sicut *esse* vel *merum* accidens ab aliquo exteriori : ergo « a principiis essentiæ, sicut *propria* consequentia speciem [1]. »

Fusius ex subjecto facultatum. Hoc subjectum, vel est anima sola, vel compositum humanum. Si prius, necessarium est facultates ab animæ essentia dimanare ; si posterius, etiam, nam « accidens causatur a subjecto secundum quod est actu », compositum vero humanum non existit actu nisi per animam. Ergo certum est potentias animæ ab ejus essentia defluere tanquam a principio [2].

Quomodo autem facultates a substantia animæ *dimanent* [3]? — Duplex est explicatio : quæ simplex est applicatio theoriæ generalis circa modum quo accidentia, juxta Suarezianos efficienter, vel juxta Thomistas « per naturalem resultantiam » oriuntur a substantia (Ontol., n. 96) [4].

16. Hinc facultates in anima post mortem *remanent.*

Omnes quidem facultates, corpore soluto, in anima remanent, sed aliter et aliter, nempe formaliter aut virtualiter.

A.— Duæ facultates, *intellectus et voluntas*, non solum ab anima velut a principio defluunt, sed etiam earum subjectum est anima sola : quapropter natura sua sunt prorsus independentes a composito humano ; ideoque, dissoluto corpore, in

1. *Sum Theol.*, p. I, q. 3, a. 4, c.— 2. *Ibid.*, q. 77, a. 6. — 3. **Jo. a S. Thoma,** *Philosophia naturalis*, p. 3, q. 11, a. 2. — 4. **Thesis Thomistica** XVII[a] ; — cf. **Goudin,** *Phys.*, p. 1, disp. 2, q. 4, a. 3-4.

anima *formaliter* remanent. Unde anima humana a corpore separata potest intelligere et velle, scilicet vivere ; nam per intellectum et voluntatem, substantia simplex et spiritualis exercet activitatem suam et vivit (n. 221).

B. — Facultates vero *conjuncti*, soluto corpore, non remanent in anima, nisi tantum *virtute*. Non remanent formaliter, subjectum enim harum potentiarum per mortem destruitur. Virtute autem seu radice supersunt in anima ; ita ut, si anima iterum informaret corpus humanum, iterum pullulare et exerceri possint, secundum illa S. Doctoris : « Corrupto conjuncto, non manent hujus potentiæ actu, sed virtute tantum manent in anima, sicut in principio vel radice [1]. »

ARTICULUS IV.

De Fine potentiarum.

17. Quid et quotuplex sit *finis* potentiarum ?

Finis facultatis est vel *intrinsecus*, vel *extrinsecus*. Finis intrinsecus est operatio seu actus ; extrinsecus autem est objectum circa quod operatur. Jamvero :

A. — Operatio duplicem habet terminum : sive *transeuntem*, quando effectus ejus non recipitur in facultate quæ operatur ; sive *immanentem*, si recipitur in subjecto operante. Sic, v. g., cogitatio est immanens, dum loquela est transiens.

B. — Similiter objectum seu id circa quod versatur facultas in operando, etiam duplex est : materiale sc. et formale. *Materiale* est res quam facultas attingit, considerata cum omnibus suis proprietatibus, etiam quæ non attinguntur : sic, v. g., hæc tabula est objectum visus. — *Formale* autem est qualitas seu aspectus rei, quæ attingitur ab ista vel illa facultate, v. g., albedo hujus tabulæ est objectum formale visus.

18. Utrum facultas *ab actibus* suis realiter distinguatur ?

Res in dubium verti nequit ; probaturque contra Cartesium, qui putavit animam ab actu cogitationis non distingui (n.164).

Siquidem — *a*) actio est exercitium facultatis : posse autem et agere de facto duo sunt plane distincta. — *b*) Actio est finis et evolutio, inchoata saltem, facultatis : ergo in Deo solo, qui semper habet suum finem et evolutionem perfectam,

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 77, a. 8.

nulla est distinctio inter potentiam et actum. — *c*) Aliunde constat experientia facultatem non semper esse in actu ; porro inter potentiam et actum realis viget distinctio (Cf. n. 153).

CAPUT SECUNDUM.

DE POTENTIARUM PROPRIETATIBUS.

19. Quatenus potentiæ *partes* et *proprietates* habeant ?

A. — *Partes* habent potentiæ organicæ, ita ut quoad essentiam compositæ dici debeant. Revera constant duplici elemento, sc. *vi* et *organo*, ex quibus si unum deficit, deerit etiam potentia, sicut, deficiente forma aut materia, deficit corpus.

B. — *Proprietates* autem potentiarum sunt essentiales vel accidentales. Essentiales a potentiis nonnisi *logice* distinguuntur et nomine *attributorum* veniunt. Ex quibus, quatuor sunt præcipuæ (Cf. Ont. n. 29) : *simplicitas* et *spiritualitas*, *activitas* et *conatus*. — Quæ vero sunt extra essentiam potentiæ eique superadduntur, sicut, v. g., *habitus*, major facilitas ad operandum, proprietates accidentales dici solent. Superest igitur ut — 1º de *Attributis*, — 2º de *Habitibus* loquamur.

ARTICULUS I.

De præcipuis potentiarum Attributis.

20. Quonam sensu potentiæ sint *simplices* vel *spirituales* ?

1. *Simplicitas* est proprietas vi cujus potentia in partes dividi nequit. Hæc potentiis organicis *absolute* non convenit, quippe quæ in duas partes essentiales resolvi possunt, sed eis convenit *ratione tantum vis activæ* qua organum informatur. — Hinc est cur actus qui ab hujusmodi facultatibus producuntur, v. g., sensationes aut motus, ex parte tantum sint simplices, ex parte autem sunt compositi et ideo materiales, haud secus ac duplex principium a quo defluunt.

2. *Spiritualitas* autem, præter simplicitatem, dicit potentiæ independentiam a materia tum in esse, tum in operari : — *in esse* quidem, nam facultates spirituales sunt vires a substantia animæ dimanantes, quæ nullum informant organum ; — *in operari* etiam, nam absque organorum ope eliciuntur actus, v. g., intellectus et voluntatis, neque in organis remanent.

Jamvero hujusmodi discrimen inter simplicitatem et spiritualitatem *maximi est momenti* : siquidem potentiæ brutorum simplices quidem sunt, minime vero spirituales. Cui quidem non attendentes, plerique recentiorum inter potentias spirituales hominis et simplices animalium differentiam specificam everterunt, sicque evolutionismo straverunt viam[1].

21. Utrum et quatenus omnes facultates sint *activæ* ?

« Non est possibile quod una potentia sit activa et passiva[2] ».

A. — Sed omnes sunt, vero quidem sensu, *activæ* : tum quia proprietates sunt animæ, quæ fons est activitatis, tum quia activitate frui debent, ut earum ope finem suum homo attingere possit. — Quinimo, in ente concipi nequit potentia quæ nihil agere posset et mera « receptivitas » esset (Ont., n. 279).

B. — Verumtamen potentiæ *aliter et aliter* sunt activæ. Aliæ sc. objecto suo moveri debent ad agendum, sicut sensus movetur sensibilium impressione, appetitus autem bono apprehenso. Aliæ vero movent et formant suum objectum, sicut vegetativæ corpus et intellectus agens suum intelligible. Hæ proinde sunt simpliciter activæ, illæ vero prius passivæ quam activæ nec circa idem : en sola ratio divisionis.

C. — Nec *eodem gradu* activitate fruuntur potentiæ : sed quo major est activitas facultatis, eo plures, saltem in homine, sunt ejus functiones. Ratio est quia virtuosior facultas ad plura potest se extendere ; inde est quod quilibet sensus unam tantum operationem habet et proprium objectum, intellectus autem plura officia et objectum universale[3] (n. 90).

22. Quænam sit *conatus* brevis theoria ?

A. — *Conatus* est *inclinatio quædam naturalis ad agendum, vi cujus potentia sponte sua fertur in rem sibi propriam.* « Hæc naturalis proclivitas, vis aut appetitus naturalis aut intentionis aut conatus aut nisus vocibus a Philosophis designata fuit[4] » : sed recte distinguitur ab actu voluntatis quo quis alteram potentiam ad actum redigere *conatur* (*l'effort*). Est enim proxima dispositio potentiæ ad agendum, minime vero actus, ne initialis quidem et imperfectus, ut voluit Leibnitzius, imo

1. Cf. **Coconnier**, *L'âme humaine*, in *La science catholique*, an. 1889, p. 78.— 2. **S. Thomas**, in *III de Anima*, lect. 3. — 3. **Sanseverino**, *Dynam. Pars gener.*, a. 6. — 4. **Sanseverino**, *Ibid.*, a. 7, p. 351.

nec inclinatio ad actum specialem sicut habitus, sed ad quemlibet actum in universum[1].

B.— *Existentia* conatus ex dictis de natura (Cosmol.,n.129), probata manet, nam « ex unaquaque forma sequitur aliqua *inclinatio* et ex inclinatione *operatio*[2] ». Apposite S. Thomas : « Unaquæque *potentia* animæ est quædam forma seu natura et (ideo) habet naturalem inclinationem in aliquid[3]. »

C. — *Effectus* tandem conatus triplex notatur a Sanseverino : 1° Conatus « non in aliquem actum singularem, sed in quemlibet naturæ suæ proprium inclinat, ita ut, præsente uno vel alio objecto, facultas erumpat in hunc vel alterum actum ». — 2° « Quo major est conatus facultatis, eo perfectior est actio quam producit. » — 3° « Quo vehementior est actio alicujus facultatis, eo debiliores sunt conatus et ideo actiones reliquarum[4] » ; vigor enim animæ est limitatus.

ARTICULUS II.

De Habitibus potentiarum[5].

23. Quid et quotuplex sit *habitus* ?

A. — Habitus est *quædam potentiarum qualitas, per quam bene vel male se habent in ordine ad operationem suam.*

Dicitur : 1° *Qualitas*, stabilis quidem, seu « difficile mobilis ». Sicque differt a mera dispositione necnon ab actibus transitoriis, qui ex iisdem potentiis defluunt (Ontol., n. 126).

2° Est qualitas *qua potentia se habet ad operationem* : unde dicitur *operativus*, et ab habitu *entitativo*, quo ipsamet substantia entis perficitur, distingui debet.

3° Est qualitas qua potentia se habet *bene vel male* : si prius, *virtus* ; si posterius, *vitium* dici debet. De utroque speciatim agetur in Ethica (n. 58-61).

Ex quo inferes habitum a potentia differre : non enim, sicut ipsa, necessarius et inamissibilis est, sed paulatim acquiritur et amittitur : nec ad omnes actus ejusdem potentiæ disponit, sed ad quosdam, bonos vel malos.

B. — Habitus secundum tria specie distinguuntur : uno quidem modo secundum originem, — alio vero modo secundum subjectum, — tertio modo secundum objecta specie differentia[6]. Unde

1. **Farges**, *Théorie fondam.*, p. 115-116. — 2. **S. Thomas**, in *II de Anima*, lect. 5. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 80, a. 1, ad 3 ; — Cf. *Quæst. disp. De Veritate*, q. 22, a. 3, ad 5. — 4. **Sanseverino**, *Ibid.*, a. 7. — 5. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 49-54 ; —Cf. **Roland-Gosselin**, *L'habitude*. — 6. *Sum. Theol.*, q. 54, a. 2.

1º Ratione *originis* primariæ, dividuntur in innatos, acquisitos et infusos, prout a natura, vel ab actibus repetitis, vel a gratia Dei competunt potentiæ (n. 25-3º).

2º Ratione *subjecti*, distinguuntur in intellectuales et morales, prout ad potentias cognoscitivas vel ad appetitivas referuntur ; ideoque scientia vocatur habitus intellectualis, et temperantia habitus moralis.

3º Ratione *objecti* quod attingunt, sunt naturales, vel supernaturales.

24. Quibusnam potentiis *inesse* possit habitus ?

THESIS

Habitus potentiis creaturarum physicis nullo modo ; *organicis* aliquatenus ; *spiritualibus vero* proprie *et* per se *competit.*

Prob. — Revera, ut facultas *proprie* et *per se* sit capax habitus, tria requiruntur : 1. ut reapse sit in potentia ad id ad quod per habitum disponitur ; 2. ut non sit determinata ad unum, sed a seipsa pluribus modis determinari possit ; 3. denique ut illa determinatione indigeat ad finem suum attingendum[1]. — Porro hæc tria simul nonnisi potentiis spiritualibus creaturarum conveniunt, quod sic probatur :

I^um enim non convenit *Deo*, cujus omnipotentia semper est in actu ; unde in creaturis, non in Deo, invenies habitus.

II^um non convenit viribus *physicis* corporum, quæ, v. g., sicut calor, electricitas, ex sua natura determinantur ad unum actum. Unde mineralia habitus suscipere nequeunt : « Il est impossible de modifier les propriétés physico-chimiques des minéraux : la densité ou les affinités du platine ou de l'or resteront les mêmes sous tous les climats[2] ».

III^um absolute et per se non convenit viribus *vegetativis et sensitivis*, nam plantæ, sub influxu spontaneæ activitatis, bruta vero ex instinctu naturæ suam perfectionem satis obtinent ; sic, v. g., aranea recenter nata suam artem optime cognoscit, nec educatione indiget.

E contra, potentiæ creaturarum rationales a principio sunt in potentia ; a seipsis variis modis prope infinitis determinari possunt ; imo educatione et exercitio indigent ad suum finem assequendum[3] : ergo proprie et per se indigent habitu.

1. *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 49, a. 4. — 2. Farges, *La Vie*, p. 34. — 3 *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 54, a. 1 ; q. 50, a. 1.

Dixi : *proprie* et *per se*. Nam potentiæ organicæ, per accidens, non a seipsis, sed sub externo influxu mediorum aut educationis, suam agendi rationem mutare valent, et novas acquirere dispositiones [1].

25. Quænam sit *origo* seu causa habituum in potentiis ?

Hanc causam triplicem esse jam supra innuimus (n. 23. B).

1. *Prima* est *natura*, cum nempe habitus « datur in creatione [2] ». Porro homini inesse quosdam habitus initiales :

Imprimis *experientia* constat ; nam, v. g., homo « statim cognito quid est totum et quid est pars, cognoscit quod omne totum est majus sua parte [3] ». Ergo dispositio ista specialis ad cognoscendum prima principia est habitus naturalis.

Et congruit *rationi*, nam per hoc quidem Deus, qui non potest deficere in necessariis, se præbet providentem, intellectus omnium hominum ad verum uniformiter dirigendo.

2. *Secunda* est *repetitio actuum*, ut constat experientia : quidquid enim patitur ab alio, disponitur per actum agentis, sicque in eo generari potest habitus. Quod quidem evenit, quum agens activum potentiam passivam, post plures actus, vincere potuit : hoc modo « habitus virtutum moralium causatur in appetitivis potentiis, secundum quod moventur a ratione, et habitus scientiarum causantur in intellectu, secundum quod movetur a primis propositionibus [4] ». — Imo nonnunquam, ut in corporalibus, fit post unum actum, « sicut quandoque medicina fortis statim inducit sanitatem [5] ».

3. Tertia causa *Deus* est, qui homini, vi potentiæ obedientialis [6], qua omnia agentia Creatori subjiciuntur, infundere potest habitus ejus naturalem facultatem excedentes, aut in eo, sine ipso, producere præternaturaliter effectus qui possint naturali ejus virtute causari [7] (Cosmol., n. 110).

Notandum est habitus acquisitos, sive mali, sive boni sint, *via hæreditatis* ad filios et nepotes haud raro transmitti posse, ut experientia perenni constat, et hæc est *quarta*, nec minima, causa habituum in hominibus [8], secundaria tamen, et aliquid a duplici priori causa participans.

Exinde *colliges* quantum errent plerique philosophi, potissimum inter recentes, qui contendunt omnem habitum esse acquisitum [9].

1. **Farges**, *La Vie*, p. 34. — 2. **S. Thomas**, *III Sent.*, dist. XXXIII, q. 3, a. 2. — 3. *Sum. Theol.* 1a 2æ, q. 51, a. 1. — 4. *Sum Theol.* 1a 2æ, q. 51, a. 2. — 5. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 3.— 6. **Sanseverino**, *Dynamil...*, *pars generalis*, a.6 · — **E. Blanc**, *Metaph.*, n. 417. — 7. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 4. — 8. **Vallet**, *L'Hérédité*, p. 252-268. — 9. **Franck**, *Diction.*, art. *Habitude*.

26. Quinam sint *effectus* habituum in potentiis ?

Habituum triplex est præcipuus effectus, ut ait Angelicus[1] :

1° *Uniformitas* in operatione ; qui enim, v. g., possidet habitum virtutis, ordinarie bene agit et raro peccat.

2° *Facilitas* seu promptitudo ; sic qui mathesis habitum habet, statim et sine prævia inquisitione problemata solvit.

3° *Delectatio* etiam : fit enim habitus quasi nova natura ; porro placet operatio quæ est secundum naturam.

Quæ quidem tria habitui, quatenus est determinatio, dispositio et perfectio facultatis, perfecte congruunt.

Ex quibus duo de *vi* et *incommodis* habitus inferuntur.

1° Magna est *vis* habituum in utramque partem ; si virtus, maxime juvat evolutionem nostrarum potentiarum ; si vitium, a suo fine hominem avertit.

2° Habitus tamen secum trahit *incommodum*. Nam ejus uniformitas tollit activitatis varietatem, generatque actionem fere mechanicam ; facilitas tollit mentis reflexionem ; delectatio, sicut quædam concupiscentia, minuit libertatem.

27. Utrum habitus *augeri, diminui* vel *corrumpi* possint ?

A. — Habitus *augentur* non in se, sed ex parte tum objecti, tum subjecti. — Non in se seu quasi per additionem gradus ad gradum ; sunt enim habitus quædam formæ indivisibiles : unde unus habitus ex multis habitibus constitui nequit[2]. — Sed ex parte objecti ad quod ordinantur seu *extensive*, sicut dicitur major vel minor « scientia, quæ ad plura vel pauciora se extendit[3] ».— Præsertim vero ex parte subjecti seu *intensive* augentur, quando, v. g., per frequentiam actuum et majorem conatum, magis radicantur in anima ac magis ei adhærent, reducendo in actum totam ejus potentialitatem.

B. — *Corrumpuntur* autem habitus tum per se, tum per accidens : per se seu per actus contrarios, sicut per falsa judicia aut ratiocinia corrumpitur habitus scientiæ ; — per accidens seu per corruptionem sui subjecti, sicut scientia, in quantum dependet a sensibus, organorum morbo corrumpitur[4].

C. — A fortiori *minui* possunt habitus : nam « diminutio quædam via est ad corruptionem ». — Porro, sicut fit aug-

1. S. Thomas, *Quæst. disp., de Verit.*, q. 20, a. 2. et a. 1, c. ad fin. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 54, a. 4. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 52, a. 1. — 4. *Sum. Theol.*, *ibid.*, q. 53, a. 1.

mentum per quemlibet actum cujus intentio adæquat vel a fortiori superat intentionem habitus, ita diminutio fit per actus remissiores, vel a fortiori per cessationem ab opere[1].

CAPUT TERTIUM.

DE DIVISIONE HOMINIS POTENTIARUM.

28. **Quonam *principio* nitatur divisio potentiarum ?**

Duplex est ; proximum seu *actus*, remotum seu *objectum*.

THESIS.

Tot sunt potentiæ specifice distinctæ quot actus specifice diversi : tot autem actus quot objecta formaliter diversa.

Prob. 1[um], nam effectus specifice diversi causam requirant specifice diversam ; sed actus sunt effectus et potentiæ sunt actuum causæ ; ergo actus specifice diversi requirunt potentias specifice diversas et quot illi, tot istæ. — *Prob.* 2[um], nam ipsimet actus discriminari non possunt nisi ab objecto circa quod versatur, et spectato quidem sub tali talive respectu qui actibus attingitur : ergo speciem sumunt ab objecto non materialiter sed formaliter sumpto (n. 17). Hinc, v. g. rosam videre, olfacere, tangere diversi sunt actus et diversos requirunt sensus eodem ferme modo ac idem materiale lignum secare, pingere, radere diversa expostulant instrumenta.

Prob. utrumque, nam « potentia, secundum illud quod est potentia, ordinatur ad actum : unde oportet rationem potentiæ accipi ex actu ad quem ordinatur — et per consequens oportet quod ratio potentiæ diversificetur, ut diversificantur actus, secundum diversam rationem objecti[2] ».

Confirmatur, nam potentiæ alio modo distingui non possunt quam illo quo cognoscuntur : atqui, sicut ignotæ remanent, antequam operantur, ita tales aut tales nobis apparent, prout has aut illas operationes circa hoc aut illud objectum efficiunt. Ergo tot sunt quot *actus* et *objecta* formaliter diversa.

29. **Quænam sit *peripatetica* facultatum divisio ?**

Prælaudato innixi principio, scholastici, post Aristotelem et S. Thomam, facultates primo dividunt *in quinque genera*.

Revera, quinque sunt operationum genera sicut et quinque objecta per facultates sub aspectu speciali seu formaliter habita. Anima enim humana : — 1. Per facultates *vegetativas*

1. *Sum. Theol.*, 1 a 2 æ, q. 52, a. 2 et 3. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 77, a. 3 ; — S. Thomas, in *II de Anima*, lect. 11, lect. 6.

agit in corpus suum ut illud nutriat, augeat, aut aliud simile generet. — 2. Deinde sese convertit ab objecta ut illa cognoscat, et hoc duplici modo : res sensibiles, corporeas et singulares percipit ope *sensuum* ; — 3. universale autem ac immateriale per *intellectum* apprehendit. — 4. Postea tendit per *appetitum* ad objectum cognitum et ad illud fertur. — 5. Denique res appetitas exteriores assequitur per *motum* localem. Unde scholastici distinguunt facultates *vegetativas*, *sensitivas*, *intellectivas*, *appetitivas* et *locomotivam*.

Præterea easdem facultates subdividunt in alias plurimas, videlicet vegetativas in *nutritivam*, *augmentativam* et *generativam* ; — quinque sensus externos enumerant : *tactum*, *visum*, *auditum*, *odoratum* et *gustum*, — et quatuor internos : *sensum communem*, *phantasiam*, *memoriam* et *æstimativam* ; — duplicem intellectum esse putant, *agentem* et *possibilem* ; — pariter duo sunt appetitus *sensitivus* et *intellectivus seu voluntas* ; — vim autem *motricem* unam esse sentiunt.

30. En *schema* scholasticæ divisionis potentiarum.

Quum facultates referantur ad vitam vel vegetativam, vel sensitivam, vel intellectivam, clarius forsan et commodius facultates ad *tria genera*, sub alio respectu, revocari possunt ; quibus additur vis motrix, ordinis quidem sensitivi, sed tribus gradibus vitæ inserviens. — En hujusmodi divisionem :

POTENTIÆ SUNT
- I vitæ *vegetativæ*.
  - Nutritiva.
  - Augmentativa.
  - Generativa.
- II vitæ *sensitivæ*.
  - 1. Cognoscitivæ sensibilium.
    - *a*) Sensus externi.
      - 1. Tactus.
      - 2. Visus.
      - 3. Auditus.
      - 4. Odoratus.
      - 5. Gustus.
    - *b*) Sensus interni.
      - 1. Sensus communis.
      - 2. Imaginatio.
      - 3. Memoria.
      - 4. Æstimativa.
  - 2. Appetitivæ sensibilium.
    - Duplex est appetitus sensitivus :
    - *a*) irascibilis.
    - *b*) concupiscibilis.
  - 3. Vis motrix.
    - seu locomativa circa sensibilia.
- III vitæ *intellectivæ*.
  - 1. Cognoscitivæ intelligibilium.
    - Duplex est intellectus :
    - *a*) intellectus agens.
    - *b*) » possibilis.
  - 2. Appetitivæ intelligibilium.
    - Una est voluntas :
    - *a*) Sive necessario.
    - *b*) Sive libere agat.

31. Utrum *vera* sit scholastica facultatum divisio ?

THESIS

Legitima est scholastica facultatum divisio.

Prob. : — regulis enim divisionis logicæ perfecte congruit. Nam 1° est *adæquata* : siquidem concipi nequit operatio animæ quæ ad has facultates non spectet (Log., n. 137).

2° Est *immediata* seu gradibus ordinata. Continet enim suprema tantum genera facultatum, quæ postea subdividuntur in plurimas species, ut dictum est (n. 29).

Denique 3° *est membris opposita*, sicut vegetare, sentire et intelligere inter se opponuntur. Nam per facultates vegetativas homo quamdam similitudinem habet cum vegetalibus ; per facultates sensibiles cum animalibus. Solus autem inter animalia vita intellectiva fruitur. Rursus in ordine sive sensibili sive intellectivo, cognitio tum appetitui, tum vi motrici opponitur, ut primo intuitu apparet et clarius infra patebit.

Dices : Cognitio sensibilis et intellectualis reduci debent ad unicam facultatem cognoscitivam ; ergo non est opposita divisio.

Resp. *Nego ant.*, nam cognitio non est quid sensibus et intellectui *univoce* sed *analogice* tantum conveniens, nec versatur circa idem objectum formale, ut infra videbitur (n. 83). Unde *nego cons.*

32. Hinc *falsæ* sunt recentiores facultatum divisiones.

Scholastici parum inter se dissentiunt circa divisionem facultatum animæ ; sed non ita dicendum est de recentioribus philosophis.

A. — 1. Juxta *positivistas*, facultas, potestas, capacitas non existit a materia distincta ; sunt tantum facta seu phænomena physiologica quæ revocari possunt ad vitam *vegetativam*, *sensitivam*, aut *socialem*.

2. *Spiritualistæ* autem, nempe qui vocantur eclectici, præcipue magistri scholæ scoticæ et multi recentiores, potentias animæ communiter dividunt in *sensibilitatem*, *intellectum* et *voluntatem* vel activitatem.

B. — Jamvero istas divisiones et alias hujusmodi rejicimus.

1. Imprimis enim sunt *falsæ* : nam, juxta recentiores fere omnes, sive sint positivistæ, sive non, facultates animæ sunt mera nomina, et ab ipsa anima non distinguuntur. Ideo non facultates enumerare, sed tantum facta psychologica in classes reducere conantur.

2. Insuper *æquivocatione* laborant multiplici : siquidem — *a*) recentes per intellectum designare solent facultates cognoscitivas in genere. Inde gravis defluit æquivocatio : nam animalia cognitiones nonnullas acquirunt : eapropter, juxta quosdam spiritualistas, intellectu gaudent et nonnisi gradu differunt ab homine. — *b*) Itemque per sensibilitatem vel gaudium et dolorem expri-

munt, quæ non sunt facultates, sed phænomena singulis facultatibus propria, ut infra dicetur (n. 105) ; vel sæpius exprimunt appetitum et passiones ; unde corruit vera notio moralitatis, nam actus moralis appetitum rationalem et liberum supponit [1].

3. Denique istæ divisiones non sunt *adæquatæ*. Nam positivistæ omittunt intellectum et voluntatem ; spiritualistæ autem vegetativas et locomotivas, et hoc quidem quia, duce Cartesio, unionem substantialem mentis et corporis negaverunt. Ea enim rejecta, potentiæ vegetativæ et etiam « executivæ », non inhærent animæ, sed referuntur ad aliud principum a materiæ viribus non distinctum.

33. Quisnam sit *ordo* nostrarum facultatum ?

1º Ratione *generationis*, facultates inferioris ordinis ante alias omnes transeunt ad actum. Revera secundum ordinem temporis ex imperfecto ad perfectum ascendimus ; ergo vita vegetativa vitam sensitivam, et vita sensitiva vitam intellectivam præcedit.

2º Ratione *dependentiæ*, duplex inversus datur influxus :

a) Prior est partis *inferioris*, nam vita sensibilis a vegetativa pendet ; vita autem intellectualis ab utraque, saltem in statu præsenti hominis. In vita vegetativa facultas augmentativa a nutritiva pendet, et generativa ab augmentativa. In vita sensibili appetitus supponit sensationem, et locomotiva præsupponit appetitum. Denique in vita intellectuali voluntas sequitur intellectum, quia « nihil volitum nisi præcognitum ».

b) Posterior est partis *superioris*, nam facultates altioris ordinis imperant aliis easque impediunt vel dirigunt in quodam gradu, v. g., voluntas utitur omnibus aliis, et etiam quoddam imperium aut saltem vim directricem in facultates sensitivas exercet. Unde mirabilis ordo et aspectabilis solidaritas conspicitur inter animæ facultates [2].

3º Ratione tandem *dignitatis*, ea perfectior est facultas quæ habet amplius objectum. Unde vegetativa quæ ordinatur ad unum corpus vivens, infimum tenet locum ; sensitiva quæ spectat ad omne objectum materiale, secunda est ; perfectissima autem est intelligentia cujus objectum est omne ens sive spirituale, sive materiale sub respectu universali.

Quæ quum ita sint, ex imperfectis ad perfectiora gradientes, hunc ordinem generationis, dependentiæ et hierarchiæ sequendum assumimus in secunda sectione.

1. **Bourquard**, *Doctrine de la connaissance*, c. v. p. 103. — 2. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 77, a. 2 et 4.

SECTIO II[a].

DE POTENTIIS IN SPECIE.

Ex dictis, ea quæ sunt unicuique facultati specialia, ad tres vitæ gradus, ideoque ad tria capita referri possunt : I[um] de potentiis *vitæ Vegetativæ* ; II[um] de potentiis *vitæ Sensitivæ* ; III[um] de potentiis *vitæ Intellectivæ*.

CAPUT PRIMUM.

DE POTENTIIS VITÆ VEGETATIVÆ.

Disserere est — 1º de *Natura* potentiarum vegetativarum in homine ; — 2º de *Corpore humano*, quod est earum effectus.

ARTICULUS I.

De vitæ vegetativæ Potentiis.

34. Quænam sit vitæ vegetativæ in homine *brevis theoria* ?

Vitæ vegetativæ, cujus definitionem generalem jam inspeximus (Cosmol., n. 76), hic summa capita tangere licet :

A. — *In homine* vita vegetativa est *activitas vi cujus corpus humanum se nutrit, augescit et reproducitur*, sicut et cæterorum vegetalium aut animalium corpora.

B. — Hujus igitur tres sunt *functiones*, tres etiam in homine potentiæ vegetativæ, et quidem probabilius inter se realiter distinctæ (Cosmol., n. 86).

C. — Eorum autem radix seu primum *principium* est anima ; nam omnis facultas, ut vidimus, instruit substantiam ad agendum. Sed anima in homine est principium actionis, et proinde omnis facultatis etiam vitæ vegetativæ.

D. — Potentiarum denique *subjectum* immediatum est compositum humanum ; unde hujusmodi potentiæ dicuntur facultates *conjuncti* seu organicæ. Quod sic probatur :

Ea facultas est conjuncti, quæ nec soli corpori, nec soli animæ, sed utrique simul convenit. Sed tales sunt facultates vitæ vegetativæ : 1. — non conveniunt soli corpori, quia omnes vitæ functiones supponunt principium quadam activitate præditum, et consequenter a materia distinctum ; — 2. — non

conveniunt soli animæ, quia functiones vitæ vegetativæ, sc. nutritio, auctio, generatio, exerceri non possunt nisi in organis materialibus. Ergo facultates vitæ vegetativæ in composito humano immediate reponuntur.

35. Utrum et quatenus functiones vegetativæ sint *plasticæ* ?

A. — Generales nutritionis *functiones*, quibus fundatur tota vita vegetativa, sex sunt præcipuæ : videlicet apprehensio, digestio, circulatio, respiratio, secretio, assimilatio, — cum *organis* respectivis [1]. De quibus sit

THESIS

Functiones vitæ vegetativæ in homine non rationales, nec mechanicæ et materiales, sed plasticæ dici debent.

A. — *Non rationales*, ut docuerunt Scaliger, Stahl, Perrault ; id est non procedunt ab anima rationali, in quantum est rationalis et per facultates spirituales operatur. Etenim operationes rationales sub testimonio conscientiæ, sub dominio libertatis cadunt, et sine organorum concursu efficiuntur. Sed hæc dici nequeunt de operationibus vegetativis in homine : secus enim anima cognosceret omnes operationes vitæ vegetativæ easque pro libitu dirigeret ; quod sane falsum est (Cosmol., n. 97). Ergo non sunt rationales.

B. — Nec sunt tantummodo *mechanicæ* et *materiales*, ut voluit Cartesius ; nam spontaneitate dotantur, a materia autem sola nulla spontaneitas procedere potest. Quare, licet ad id ordinantur ad quod etiam ordinantur actiones in rebus inanimatis, sc. ad consequendum esse et conservandum, tamen « in viventibus hoc fit per altiorem et nobiliorem modum [2] ».

C. — *Plasticæ* dici debent, seu virium physico-chimicarum directivæ ad finem determinatum, nempe ad formationem organismi humani [3]. « Qu'est-ce que vivre, aiebat Cl. Bernard, sinon créer ? et créer quoi ? justement, c'est créer l'organisme ? » et ideo vitam appellabat « vim directricem », sicut et ipse Aristoteles « artem ædificandi naturalem ».

Nec dissentit S. Thomas, juxta quem functiones « animæ vegetabilis exercent suas actiones instrumentaliter per qualitates activas et passivas materiæ [4] ». Digestio, v. g., et ea quæ consequuntur « fit instrumentaliter per actionem caloris [5] ».

1. Cf. **Farges**, *La Vie*, chap. I ; — Cf. **Mercier**, *Psych.*, l. I, n. 46 et 92. — 2. **S. Thomas**, in *II de Anima*, lect. 5.— 3. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 78, a. 2, ad 1. — 4. *Sum. Theol., ibid.* — 5. *Ibid.*, q. 78, a. 1 ; — Cf. **Gardair**, *Corps et âme*, p. 75 ; — **Farges**, *Matière et Forme*, p. 207-230, imprimis 219-223.

ARTICULUS II.

De Corpore humano.

36. Quænam de *corpore* Psychologum scire necesse sit [1] ?

A. — Quæ pertinent ad corpus humanum proprie sunt objectum Biologiæ. Hæc multifariam dividitur : nam *embryologia* genesim et primam evolutionem ; *histologia* telas fibrasque minutissimas ; *morphologia* formam sive internam sive externam ; *physiologia* varias functiones ; *anatomia* organorum structuram et apparatus ; *pathologia* tandem morbos organismi viventis describit. Hæc autem ad anthropologiam late sumptam, non vero ad partem anthropologiæ philosophicam directe pertinent.

B. — Quæ tamen omnia *indirecte* psychologo, qui introspectione sed et experimentatione uti debet, scitu sunt valde utilia, imo aliquatenus necessaria. Nam sine prævia corporis scientia, nec animæ et corporis mutuus influxus, nec utriusque relationes, proindeque nec ipsa vita intellectiva sufficienter cognosci valent. — Adde quod operationes vegetativæ et sensitivæ, quum sint organicæ, certo et sine erroris formidine determinari nequeunt absque notitia scientiarum naturalium : secus enim a priori determinarentur.

Nota. — *Jamvero* corpus humanum est *effectus* formalis virium vegetativarum simul et *subjectum* vitæ sensitivæ. Unde præter ea, quæ jam dicta sunt (Cf. *supra*, n. 35 et Cosmol., n. 79-82), vel, data occasione, afferuntur, hæc duo quærenda supersunt. Unde

37. Utrum et quatenus corpus sit *effectus* animæ ?

A. — Dicit Cartesius fœtum, a Deo quidem originarie præformatum, solo motu mechanico paulatim evolvi ad debitam quantitatem [2]. Hæc porro theoria :

1° *Falso nititur fundamento*, tum quia subaudit corpus non esse animatum sed in mera extensione consistere, tum quia supponit organismum ab initio mundi præformatum esse : quod falsum esse demonstratum est [3] (Cosmol., n. 94, 95, 106).

2° *Aliquid adstruit impossibile* : sicut enim varia ligna quibus conficitur navis aut domus, ex seipsis in formam navis vel

1. **Mercier**, *Psychologie*, t. I, n. 10 ; — Cf. **Gemelli**, *Le fondement biologique de la Psychologie*, in *Revue Néo-scol.*, an. 1908 ; — Dr **Grasset**, *Introduction physiologique à la philosophie*. — 2. Cf. **Descartes**, *Traité de la formation du Fœtus*. — 3. **Farges**, *La Vie*, p. 41 et 176.

domus... sese erigere non valent, ita nec particulæ materiæ in formam corporis humani. « C'est donc la puissance vitale (de l'âme) qui non seulement façonne l'organe, mais encore, après l'avoir formé, l'entretient, le répare, guérit ses lésions, et même, dans certains cas, le reproduit complètement[1]. »

B. — *Statim ac* materiæ communicatur principium vitale, sic gradatim sub illius influxu *evolvitur* corpus humanum. Primum cor apparere debet, ex quo fluit sanguis nutritivus, quodque ab Aristotele vocatur *punctum saliens.* « Presque en même temps sur la tache germinative on voit se dessiner l'axe cérébro-spinal, le cerveau, les méninges, puis viennent les organes des sens, l'œil, l'oreille, etc.[2]... » Processus ille successivæ, ut ita dicam, constructionis, a physiologis vocatur *epigenesis* (Cosmol., n. 106).

38. Quænam sit *systematis nervosi* theoria generalis[3] ?

Ad scientiam vitæ sensitivæ, generalis conspectus systematis nervosi in antecessum exponi debet. Hic ad tria, scilicet anatomiam, physiologiam, et conditiones biologicas reduci potest.

A. — *Anatomia.* — Duo complectitur systema nervosum, nervos scilicet et axem cerebro-spinalem, id est, cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam et spinalem, a quibus nervi procedunt.

1º Sunt *nervi* fasciculi fibrarum, quæ organa corporis cum cerebro vel medulla colligant, instar funiculi mollis : hinc in systemate nervoso distinguuntur nervi cranii (12 paires) et rachidiani (31 paires) ; quorum alii sunt sensitivi, alii vero motores.

2º Est *cerebrum* substantia mollis et pulposa, quæ in parte superiori capitis, a fronte ad occipitium continetur. Exterius multis gyris concinnatur, vulgo dictis « les circonvolutions cérébrales ». — Dividitur in duas sectiones, seu « hémisphères cérébraux », quæ quidem corpore calloso uniuntur, et singulæ tres lobos, anteriorem scilicet, medium et posteriorem habent. Porro cerebrum duplici constat substantia, cinerea scilicet et alba : prior et externa cellulis nervosis, posterior et interna fibris coalescit, quibus substantia cinerea cum nucleis etiam cinereis, « couches optiques et corps strié », in centro positis, religatur.

Cerebellum seu « arbor vitæ », juxta veteres, in parte cranii inferioris positum, est substantia similiter mollis, cinerea et alba, sine gyris, in duas etiam sectiones divisa.

3º *Medulla* oblongata vel *bulbus* rachidianus, cerebelli continuatio est, quæ in canali vertebrali protenditur, et tunc medulla *spinalis* vocatur[4].

B. — *Physiologia.*— En porro functiones horumce organorum.

1. **Farges**, *La Vie*, p. 38-46. — 2. **Farges**, *La Vie*, p. 182. — 3. Cf. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 20-56 ; — **Mercier**, *Psychologie*, tom. I, n. 44-56 ; — **Castelein**, *Psychologie... dans ses rapports avec l'anatomie, le physiologie* ; — **Grasset**, *Introduction physiologique à la philosophie*, — vel latino sermone, **Lahousse**, *Psychologia*, p. 111-114. — 4. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 22-25 et figures.

1° Nervi sensitivi impressiones in organis periphericis expertas transmittunt ad axem spinalem et inde ad cerebrum ; inde redeunt aliorum nervorum ministerio, varii motus quibus omnia organa afficiuntur.

De modo autem transmissionis hujus vis nervosæ (énergie nerveuse) disputant physiologi : alii, v. g., Cartesius, admiserunt spiritus animales (les esprits animaux) in nervis cavis moveri. Alii propugnant fluidum imponderabile, v. g., Cuvier : « Il y a grande apparence que c'est par un fluide impondérable que les nerfs agissent [1]. » Recentes tandem, v. g., Béclard, motus vibratorios communiter admittunt [2].

2° Axis vero cerebro-spinalis variæ sunt functiones nunc describendæ. Nam — *a*) medulla sive spinalis, sive oblongata, ad cerebrum transmittit sensationes, etsi ipsa sit centrum, inconscium quidem, sensationis et motus. — *b*) Cerebellum ad æquilibrium motuum forsitan requiri videtur. — *c*) Cerebrum denique fit totius sensationis et motus centrum ultimum et conscium. Hoc quidem sensationibus consciis omnino requiritur ; medulla vero sufficit sensationibus externis et inconsciis, ut in animalibus vivisectis aut capite truncatis facile experimentatur [3] (n. 47, 57).

C. — *Conditiones biologicæ* horumce organorum sunt : — *sanguis* cum oxygenio, nam deficiente circulatione, deficit omnis motus, omnis sensus, imo et ipsa intellectio ; — *quies et somnium*, in quo nutritione reparantur jacturæ vigiliarum ; — *calor*, nam frigus motum et sensibilitatem paulisper tollit. Quod et plura venenosa corpora ipsa producunt, quæ gallice dicuntur : « les poisons paralyseurs du mouvement, et les poisons de la sensibilité ou anesthésiques [4]. »

CAPUT SECUNDUM.

DE POTENTIIS VITÆ SENSITIVÆ [5].

39. Quid sit facultas vitæ sensitivæ seu *sensibilitas* ?

Generatim *illa est, per quam anima corpori unita, res materiales, quatenus materiales, percipit, appetit aut assequitur.*

Est facultas, 1° per quam *anima corpori unita* operatur. Namque facultates vitæ sensitivæ, sicut et ipsæ facultates vitæ vegetativæ, non habent ut *subjectum* animam solam, neque solum corpus, sed compositum ex anima et corpore.

2. Operatur autem circa *res materiales quatenus materiales*, i. e., in quantum sunt aliquid concretum, singulare, qualitatibus sensibilibus præditum. En *objectum* sensibilitatis, quo

1. **Cuvier** post Arist., *Gen. Anim.*, II, 3. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, 25-37. — 3. **Farges**, *ibid.*, 37-44 ; 251-271. — 4. **Farges**, *ibid.*, 47-55. — 5. **Mercier**, *Psychologie*, t.1, n. 67-160.

differt ab intellectu, qui immateriale et universale tantum directe percipit.

3° *Percipit, appetit* aut *assequitur* : id est, inter potentias vitæ sensitivæ, aliæ cognoscunt, aliæ vero res materiales appetunt, aliæ tandem ad easdem res consequendas corpus movent. Hoc in sensu, sensibilitas late sumpta « est quædam deficiens participatio intellectus [1] » et voluntatis.

Hinc triplicem habet functionem, et tres facultates animalium seu vitæ relationis amplectitur. Functio autem cognoscitiva est duplex et valde diversa, nam sensus sunt externi vel interni. Unde quatuor erunt articuli : 1us de *Sensibus Externis* ; 2us de *Sensibus Internis* ; 3us *de Appetitu sensitivo* ; 4us de *Locomotiva.*

ARTICULUS I.

De Sensibus Externis [2].

Quatuor paragraphis agemus : 1° de *numero* ; 2° de *objecto* ; 3° de *subjecto* sensuum externorum, et 4° de sensationis *processu.*

§ I. *De Numero sensuum externorum.*

40. Quid et quot sint *sensus* externi et sensoria ?

A. — *Sensus externus, cujus organum est locatum exterius, directe percipit proprietates rerum exteriores* : hinc differt a sensibus internis, ratione tum organi, tum objecti.

Quinque numerantur sensus externi, id est, visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. — Prior est *visus*, cujus organum est oculus, cujus actus est videre, et qui mediante lumine *colorem*, et, ope coloris, extensionem, figuram, motum, quietem, distantiam corporum attingit. — *Auditus*, cujus aures sunt organum, actus vero audire, *sonum* excipit, v. g., hominum sermonem, harmoniam, concentus aliaque similia. — *Olfactus* organum in fossis nasi reperitur ; illud organum afficiunt *odores*, qui tenuissimis ac subtilibus particulis materiæ per aera producuntur. — *Gustus* autem, cujus objectum est *sapor* rerum materialium, lingua præcipue tanquam organo utitur. — *Tactus* tandem cujus subdivisio acriter controvertitur apud hodiernos : « Cognoscit enim calidum et hu-

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 77, a. 7. — 2. Cf. **S. Thomas**, *De sensu et de sensato* ; — **Farges**, *L'objectivité de la perception des sens externes* ; — **Mercier**, *ibid.*, n. 67-97.

midum, frigidum et siccum, grave et leve et hujusmodi multa[1] » quare juxta nos, adest in eo, 1° sensus figurarum et resistentiæ, 2° sensus calidi et frigidi, 3° tactus interior seu sensus muscularis et kinesthesicus quo motus nostri et conatus percipiuntur. Organum primi et secundi in cute residet, præsertim in extremitate manuum, tertii autem in musculorum et viscerum nervis.

B. — Quapropter ab ipsis sensibus, sicut partes a toto (n. 19), differunt *sensoria*. Hæc enim organis periphericis constant et nervis, qui, ab encephalo profecti, teste physiologia [2], in ipsis organis expanduntur.

Sic, v. g., 1. *globus oculi* continet nervum opticum, quo mediante visionis functio peragitur : nam radii luminis penetrant oculum, et, movendo retinæ fibrillas, in ea suam imaginem imprimunt [3].

2. *Auris* autem, humore plena, continet nervum acousticum cujus ramificationes gradatim ordinatæ ad modum citharæ tenuissimæ (*fibres de Corti*) disponuntur ad repetendas harmonice quaslibet musicæ notas. Porro sonus vibratorius, per aera transmissus, auris tympanum percutit et singulas hujus citharæ cordas sensibiles commovet, quæ sponte sonum externum repetunt.

3. Duæ *nasi* cavitates, membrana induuntur pituitaria : in ea autem expanduntur duo nervi olfactorii, quorum ope efficitur olfactio.

4. Similiter *linguæ* superficies quasi tapeto cooperitur papillis, quæ sentiunt varias affectiones ab alimentis receptas.

5. Denique *cutem* quadruplex stratum constituit : epiderma, corpus reticulare, stratum papillare, et derma. Porro nervi ab encephalo profecti usque ad epiderma, velut apices innumeri, impressiones rei tangibilis experiuntur.

41. Quisnam sit *ordo* quinque sensuum externorum ?

Sub quintuplici respectu sensus comparari possunt :

A. — Ratione *nobilitatis*, primo loco ponunt visum propter ejus majorum, ut aiunt, « spiritualitatem ». Omnes quidem sensus motionem physicam ab objectis physicis patiuntur, sed non in eodem gradu. Organum enim tactus, v. g., a calore fit calefactum materialiter, oculus e contra a colore non fit coloratus nisi ut speculum et repræsentative. Unde visus dicitur spiritualior, tactus autem materialior. — Inter

1. **S. Thomas**, in II *de Anima*, lect. 13, 22 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 3, ad 3. ; — **Farges**, *Le Cerveau*, p. 311 ; — Cf. **Grasset**, *Introd. physiol.* ; — **Malapert**, *Psychologie* ; — **W. James**, *Précis de Psychologie*. — 2. Cf. **Guibert**, *Physiologie* ; et recentes physiologistas. — 3. **Farges**, *L'objectivité*, p. 136.

hæc duo extrema veniunt auditus, olfactus, et gustus qui cum majori aut minori immutatione organi patiuntur[1].

B. — Ratione *universalitatis*, priores sunt visus et auditus, qui remotissimas et plurimas res attingunt. Deinde venit olfactus ; quarto loco, tactus qui majorem corporis partem occupat ; ultimo loco, gustus.

C. — Ratione *certitudinis*, principatum obtinent visus et tactus : nemo enim certior quam ille qui dicere potest : « vidi oculis meis », vel : « teneo manibus ». Sub quo respectu *quandoque* tactus superat visum, qui illusionibus non caret : at *per se* « visus certius et perfectius judicat de sensibilibus inter alios sensus[2] ».

D. — Ratione *necessitatis* — ad vitam physicam, priores sunt tactus et gustus : unde non deficiunt, sicut tres alii sensus, in animalibus imperfectis ; — ad vitam vero intellectualem et socialem, priores sunt visus et auditus : unde surdi præsertim et cæci in hoc mundo magis exules habentur.

E. — Ratione tandem *evolutionis*, prior est tactus, in quo alii fundantur : sunt enim quasi species tactus. Revera « cum sensus tactûs sit quasi fundamentum aliorum sensuum, in organo uniuscujusque sensus non solum invenitur proprietas illius sensus cujus est organum proprium, sed etiam proprietas tactus » ; quo in sensu tantum dici potuerit : « non debet poni alter sensus præter tactum[3]. »

42. Utrum sensus externi *quinque tantum* sint et esse possint ?

A. — Communis sententia, sive rudium, sive philosophorum, tenet quinque tantum nobis *inesse* sensus externos.

Revera, tot sunt sensus externi quot objecta formaliter diversa, quot operationes specifice distinctæ, quot organa numero diversa. Sed *proprietates* rerum externarum sensibiles ad quinque genera revocantur, scilicet ad colores, sonum, saporem, odorem et qualitates tactiles : — quinque etiam species *operationum* exploramus in sensatione externa : videmus, audimus, gustamus, olfacimus et tangimus ; — pariterque, ut dictum est (n. 40, B) quinque sunt *organorum* genera. Ideo sensus externi quinque tantum sunt [4].

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 3, c. ; — **Farges**, *L'objectivité*, p. 103. — 2. **S. Thomas**, in *I Metaphy.*, lect. 1. — 3. *Quæst. disp.*, *de Verit.*, q. 22, a. 5. — 4. **Farges**, *Le Cerveau*, 308-315.

Nec dicat Balmes cum Lamennais : « N'avons-nous que cinq manières de sentir ? j'ai sur ce point quelques doutes [1]. » — Ideo enim dubitavit Balmes, quia, rejectis sensibus internis et appetitu sensitivo, multa invenit phænomena, quibus causam assignare non valuit.

B. — An saltem a Deo novus sensus homini tribui *possit*[2] ? Affirmant Lamennais et quidam alii, — juxta quos, si Deus dedisset hominibus alias facultates, res nobis aliter viderentur. — Utrumque vero negant Aristoles et S. Thomas[3], nam « Deus, qui est institutor naturæ, non subtrahit rebus, quod est proprium naturis earum[4] » : cætera gratis asseruntur.

Quod autem novus sensus cognitionem aliorum sensuum non mutaret, patet : — 1. *experientia* quidem, quia cæcus a nativitate, si visum recuperat, novas quidem acquirit notiones, non vero præcedentibus oppositas ; — 2. *ratione* etiam, quia sensus fallaces non sunt (Log., n. 198).

At paulo aliter, si non perfectius, constituti esse possint, quibus tunc perciperentur qualitates nobis occultæ, v. g., ab oculo radii X vel, ut fit in aliquibus, visio per opaca corporum [5].

§ II. *De Objecto sensuum externorum.*

43. Quid sit *sensile* seu objectum sensuum externorum ?

Sensile est id quod sensus actu sensationis attingit et quo passive alteratur : nam « sentire consistit in quodam pati et alterari [6] ». — Porro, ex Logica (n. 197), alia *proprie* et *per se*, alia *per accidens* sentiuntur ; sensilia vero per se, vel sunt uni sensui *propria*, vel pluribus *communia*. Unde :

THESIS I

Sensilia per se *non sunt nisi proprietates corporum singulares*,

Prob. — Sensilia per se *ea sunt quæ sensus immutant, speciem suam in eis imprimendo.* Porro tales solummodo sunt proprietates corporum concretæ seu singulares, ut constat experientia, nemo enim afficitur quoad sensum nisi contactu rei cujusdam materialis ; — necnon ratione, nam « nihil corporeum imprimere potest in rem incorpoream [7] », seu

« Tangere et tangi, nisi corpus, nulla potest res [8]. »

1. *Phil. fond.*, liv. II, c. XVII. — 2. **E. Blanc**, *Traité de philos.*, t. II, n. 208. — — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, 313-315 ; — 4. *Contra Gentil.*, liv. II, c. 55. — 5. **Farges**, *Phénomènes mystiques*, p. 394. — 6. **S. Thomas**, *in II de Anima*, lect. 13, lect. 7 et 10. — 7. *Sum. Theol.*, p. I, q. 81, a. 6. — 8. **Lucretius**, *De natura rerum.*

Unde *colliges* : — 1º neque meros spiritus, neque proprietates rerum abstractas seu universales, sensus afficere posse ; hæc enim entia contactum quantitatis, nec imprimere, nec accipere possunt sed solum contactum virtutis [1] ; — 2º imo sensibus non apprehendi corpus quod aliter ac per trinam dimensionem miraculose in loco præsens esset ; — 3º sed e contra semper eadem percipi accidentia corporum, etiamsi subjecto suo destituerentur, ut fit, v. g., de qualitatibus panis et vini post consecrationem in SS. Eucharistia.

THESIS II

44. *Quinque sunt sensilia* propria, *quinque etiam* communia.

Constat 1um. — Sensilia enim *propria ea sunt, quæ per se primo sensum immutare nata sunt.* Sed hæc, teste experientia, sunt quinque tantum, siquidem *color* visum, *sonus* auditum, *odor* olfactum, *sapor* gustum, qualitates *tactiles* autem cutem directe et per se movent et excitant. Ergo (n. 43).

Constat 2um. — Sensilia enim *communia ea sunt, quæ per se plures sensus afficere possunt, non tamen primo, sed mediante sensibili proprio.* Atqui talia sunt quinque proprietates quæ reducuntur ad quantitatem, nempe *motus*, *quies*, *numerus*, *figura* et *magnitudo* ; siquidem motus, quies et numerus ab omnibus sensibus ; figura et magnitudo visu tantum et tactu attinguntur ; « tactus vero et visus percipiunt omnia quinque [2]». Ergo pariter quinque sunt sensibilia communia.

Probatur *minor*, nam hæc movent sensum : « alio enim modo immutatur sensus a magna superficie et a parva[3] » ; sed secundario, nam v. g., figura corporis duri non movet tactum nisi per duritiem, nec magnitudo colorati visum nisi per colorem ; — ergo et aliter, « non quantum ad *speciem*, sed quantum ad *modum* actionis [4] ».

THESIS III

45. *Multa sunt sensibilia* per accidens, *imprimis substantia.*

A. — Multa sunt *sensibilia per accidens*. — Id enim sensibile per accidens dicitur, *quod sensum quidem non immutat, sed in sensibili simul et aliter apprehenditur.* Porro multa sic apprehendi docet *experientia* : sic « oculus videt dulce in quan-

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. I, ad 3. — 2. S. Thomas, in *II de Anima*, lect. 13. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 3, ad 2. — 4. S. Thomas, in *II de Anima*, lect. 13.

tum est album[1] », v. g., dulcedinem lactis ; — sic visus sentit trinam dimensionem (relief et profondeur) per colorem, figuram et alia signa jam ab experimentis tactilibus interpretata ; — sic cognosco filium Pauli ob ejus loquelam ; — et vitam in motu animalis, etc., etc. Ergo multa per accidens sentiuntur.

Nec *rationi* mirum, nam hæc quidem, gallice dicta « associations d'images ou de perceptions acquises[2] », per accidens cognosci poterunt : — 1. modo sensibilibus propriis vel communibus sociantur, tanquam suis signis et quasi « accidant ». — 2. modo per se et statim directe cognoscantur ab aliqua *alia* potentia sentientis, quæ « vel est alius sensus, vel est intellectus, vel vis cogitativa, aut vis æstimativa [3] ».

B. — Imprimis vero *substantia corporea*[4]. — Hæc enim aliquid est unum et concretum cum accidentibus, horum est subjectum in quo individuantur, simulque cum eis agit in sensoria. Ergo, per accidentia, quibus conjungitur, sentiri debet : « primum visibile est color, quamvis illud quod proprie vedetur sit *coloratum* [5]. »

Nec dicant Lockiani substantiam ab intellectu tantum apprehendi posse : siquidem alia est substantia abstracta, quam solus percipit intellectus, alia vero substantia concreta, quam apprehendit cogitativa, quæ idcirco dicitur *intellectus particularis*. Nec mirum, hanc enim substantiam concretam sensus attingant oportet, nam et ipse intellectus ex datis sensuum accipere debet notionem abstractam substantiæ, nisi in Ontologismum aut Inditismum abire velis.

Corol. — Tardior et erroribus obnoxia est perceptio sensilium communium et per accidens, et ea sensus eo melius percipiunt, quo usu et tractu temporis majorem accipiunt educationem.

§ III. *De Subjecto sensuum externorum.*

46. Quodnam sit *subjectum* sensuum externorum [6] ?

Subjectum hujusmodi, — sicut etiam sensuum internorum — vel est corpus solum, vel anima sola, vel compositum humanum (n. 11). Primum asserunt materialistæ, tum antiqui,

1. Op. xxv, *De principio individuationis*, c. I. — 2. **Farges**, *L'Objectivité*, p. 33. — 3. **S. Thomas**, *De Anima*, L. II, c. XIII. — 4. **Lahousse**, *Psychologia*, p. 193-200. — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 43, a. 4, ad 1. — 6. **Farges**, *Le Cerveau : est-ce le cerveau qui sent ?* p. 66-85.

tum recentes ; — secundum docent ultraspiritualistæ (Cartesius, Malebranchius) ; — tertium autem seu medium inter utrumque propugnant scholastici, quibuscum sit

THESIS

Sensus, nec corporis, nec animæ solius, sed conjuncti sunt facultates.

I. — Non sunt *corporis solius*[1]. — Nam in corpore ab anima non informato nulla esset partium *unitas*. Porro quælibet sensatio est una : ergo unitatis principium supponit. — Constat minor, sic, v. g., in dolore capitis unus est dolor ; in perceptione trianguli pluralitas partium in unica et synthetica cognitione colligitur (n. 159, C.) : imo omnes unius individui sensationes ad idem principium personale referuntur.

Nec *animæ solius*. — Nam in anima sola nulla est *multiplicitas* nec *extensio* partium. Porro quælibet sensatio est extensa et in pluribus organorum partibus circumscripta, v. g., dolor in capite aut in pede sentitur, in tali vel tali parte definita ; vel se extendit aut movetur ab una parte ad aliam ; item sensatio tactilis figuræ non eadem est in parte dextra ac sinistra, etc. Ergo sensatio habet partes et principium extensum supponit. — Aliunde quod non habet partes, non tangitur ; quod autem non tangitur, neque sentit.

II. — Sunt *facultates conjuncti*, ita sc. quod vis seu « potentia est quasi forma organi[2] ». — Probatur duplici ex fonte :

A. — *Conscientia* : hæc enim subjectum sentiens *unum* simul et *extensum* esse testatur ; — unum quidem, non enim, teste conscientia, sensatio, v. g., tactilis, constat totidem partibus, quot sunt partes et fibrillæ nervosæ in organismo cutili, sed unius objecti formalis una est, totalis et indivisa sensatio ; — extensum etiam, nam ego capite vel pedibus, dextrorsum vel sinistrorsum dolorem sentio[3].

B. — *Ratione*, ex variis characteribus sensationis desumpta.

1. Sensatio, non tantum *hominis*, sed operatio est propria et specifica *animalis* ; porro animal non est corpus solum, nec anima sola, sed ex utroque compositum ; ergo utriusque

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 66-85. — 2. **S. Thomas**, in *II de Anima*, lect. 24. — 3. Cf. **Liberatore**, *Composé humain*, n. 21-22.

est etiam sensatio, — nisi velis animam brutorum ex seipsa solam agere ; ex quo sequeretur « quod etiam animæ brutorum essent subsistentes [1] » et immortales.

2. Sensatio subjective sumpta *simplex* est simul et *extensa* : porro subjectum operationis immanentis est etiam subjectum facultatis ; ergo hæc facultas simplicitatem ex anima, extensionem vero ex corpore habeat oportet, juxta adagium : operatio sequitur esse, i. e. naturam facultatis operativæ[2].

3. Similiter sensatio est *activa* simul et *passiva* : sed quatenus activa procedere debet a fonte totius humanæ activitatis, sc. ab anima ; quatenus passiva, organum corporeum requirit juxta axioma : « Nihil corporeum imprimere potest in rem incorpoream [3] » ; ergo in conjuncto sit sensatio (n. 49-50).

47. Quænam sit *proxima sedes* sensationis externæ ?

Duplex est ea de re opinio : prima est multorum Physiologorum, cum Cartesianis, juxta quos sensatio fit tantum in cerebro ; secunda est scholasticorum, qui docent in respectivis organis externis perfici sensationem, saltem incompletam et inconsciam ; quibuscum sit

THESIS

Actus sensationis externæ proprie non fit in cerebro, sed in respectivis organis.

Prob. sensu communi, cui consonant ratio et experientia.

A. — Tale profecto est *sensus communis* testimonium : unde singuli homines credunt et dicunt oculum videre, aurem audire, non vero cerebrum[4]. — Cui testimonio non obstat exemplum hominis, qui falso reponit dolorem in manu olim amputata. Nam aliud est membrum sentire, aliud nos judicare de situ et figura membrorum nostrorum. Hoc enim judicium, primo perobscurum, paulatim clarescit frequentibus experimentis, præsertim tactilibus ; consuetudine autem inveterata, non modificatur nisi paulatim nova consuetudine inita, juxta leges associationis idearum. Unde homo amputatus recte sentit dolorem in nervis membri amputati et non in cerebro, errat solum in judicando de situ et figura hujusce membri [5].

B. — Est dogma *philosophicum* animam cum corpore subs-

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 3 ; — **Liberatore**, *Comp. humain.*, n. 191. — 2. **Liberatore**, *Comp. hum.*, n. 24. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 6 ; — **Liberatore**, *Comp. hum.*, n. 24, 187-193. — 4. **Farges**, *L'objectivité*, p. 117-123. — 5. *Ibid.*, p. 125.

tantialiter uniri. Unde sic : ibi adest facultas visiva, ubi adest organum ad visionem optime aptatum ; nam, ratione præfatæ unionis, facultas in respectivis organis præsens esse potest. Atqui in oculis tantum invenitur organum ad visionem optime adaptatum, ut statim apparet physiologo de mira conformatione oculorum judicanti : dum e contra, nullus adest visionis apparatus in cerebro, quod unitatis conscientiæ, imaginumque collectionis instrumentum esse videtur [1] (n. 56). Ergo.

Item de cæteris quatuor sensibus externis dici potest.

C. — Denique *scientia* nondum probavit hypothesim nervi mere conducentis impressionem ad cerebrum, vel incapacitatem organorum nervorumque ab sentiendum ; nam, ut confitetur ipse D. Richet : « C'est un dogme sans preuve ; peut-être un jour... une idée fausse[2]. » — *Quin etiam* experientiis vivisectionis, quibus in columbis, ranis vel aliis animalibus aufertur cerebrum, demonstratur varios motus sive offensivos, sive defensivos, et ideo sensationes, saltem inconscias, sine cerebro in organis periphericis fieri posse[3]. — Dum *e contrario* centra nervosa cerebri nullam manifestant sensationem, si quando excitantur directe, vel per nervos tantum motores ; quod saltem probat cerebrum solum non esse sensationis subjectum [4]. Ita, inter recentiores, D. Bergson [5].

Obj. 1°. — Ibi fieri nequit sensatio, ubi deficit substantia cinerea (*substance grise*), vel forma cellulæ nervosæ : porro ita est in nervis et organis periphericis ; ergo in eis non fit sensatio externa.

Resp. *Nego min.* ex recentioribus scientiarum inventis [6]. Hinc est cur sensibilitas nervorum destrui possit, quin auferatur conductibilitas substantiæ albæ [7] (n. 38, C).

Obj. 2°. — Homo, cujus scinditur nervus, nullam sensationem in organis periphericis experitur. Hoc autem signum est nervum esse mere ductorem impressionis ad cerebrum. Ergo non est ejus subjectum.

Resp. 1° *Dist. maj.* Iste nullam sine cerebro experitur sensationem consciam, *conc.* ; inconsciam, *nescio*, vel *nego* ex dictis vivisectionis experientiis. — 2° *Nego cons.* Etiamsi nervus a cerebro separatus nullam sensationem etiam inconsciam experiretur, inde concludendum esset influxum cerebri esse conditionem sensibilitatis nervi (n. 48), non vero ipsum esse sensationis subjectum [8].

Cæterum dari aliquoties in organis periphericis impressionem pure materialem sine sensatione non negamus (n. 49, B).

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 131-146. — 2. *Ibid.*, p. 124. — 3. *Ibid.*, p. 149-154. — 4. *Ibid.*, p. 129-131. — 5. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 307-309. — 6. **Farges**, *L'objectivité*, p. 124-125. — 7. *Ibid.*, p. 130. — 8. *Ibid.*, p. 125-128.

48. Hinc *necessaria* sunt organa ad sensationem externam.

A. — Quoad *sensoria externa*, luculenter experientia demonstratur adversus idealistas nonnullos : nam, organo deficiente a nativitate, sensationes huic organo propriæ deficiunt, nec in phantasia reviviscere possunt.

B.— Quoad *nervos* autem et *cerebrum*, philosophi qui admittunt sensationem externam in organis respectivis absolvi, non consentiunt. Alii volunt impressionem nervi sensibilis reactionemque cerebri præviam esse conditionem sensationis externæ ; alii vero, tum ex vivisectionum experientiis, tum ob præsentiam animæ in toto corpore, eorum necessitatem negant saltem ad inconscias sensationes [1].

Confirmatur, nam sicut ex anima et corpore constituitur compositum substantiale, ita ex organo et vi animæ simplici compositum accidentale seu facultas sensitiva.

§ IV. *De Sensationis processu.*

Sensatio externa per internam regulariter completur : unde

49. *Quomodo fiat* sensatio sensuum integra ?

A. — En *processus* sensationis [2]. — Objecta materialia in organa sensuum agunt per contactum, ita ut, organo physico, v. g., oculo, deficiente, perceptio fiat impossibilis. *Actiones* autem qualitatum materialium (i. e., resistentiæ, luminis, soni, etc.), in organa animata primum imprimuntur modo passivo seu « receptive ». Illa autem *passio* actioni similis est, nam actio et passio unus et idem est motus sub duplici et inverso respectu consideratus (Ontol., n. 136) ; et ideo dicitur similitudo seu *species impressa*. — Deinde, passione recepta, determinatur sensus ad reagendum duplici modo. *Primo*, percipit immediate qualitatem in actu seu actionem corpoream objecti qua patitur, nam *actio agentis est in passo* (Ontol., n. 139) : en *intuitio* sine ulla specie expressa, ita contra Suaresium et plerosque modernos qui non admittunt perceptionem objecti nisi in specie vitaliter expressa, quasi in speculo [3]. — *Secundo*, exprimit ejus imaginem seu *speciem expressam*, saltem ope phantasiæ, in qua juxta omnes, postea con-

1. **Farges**, *L'Objectivité*, p. 123-128. — 2. **Farges**, *Théorie fondamentale*, p. 370-400 ; *L'Objectivité*, ch. I in integr. ; — **De Gredt**, De cognitione sensuum. — 3. Cf. **Hugon**, *Philosophia naturalis*, p. 2a, p. 273, n. XI.

servatur, ut sit objecti absentis substitutum. Et sic, sensatio quæ incipit in sensu externo, in interno terminatur.

Dixi : « saltem ope phantasiæ », nam controvertitur inter scholasticos recentes utrum species expressa exprimatur a sensu externo, an tantum a phantasia, an aliquatenus ab utroque, juxta illud S. Thomæ : « Exprimitur a sensu et terminatur in phantasia [1]. »

B. — Hinc sensationis *duplex* est *phasis* : una passiva, altera activa ; utraque concurrit ad sensationem completam.

Etenim — 1º Sensatio non est *mera passio*, cum sit actus vitalis, immanens et entium viventium proprius cujus ope percipitur objectum seu aliquid objecti externi, sc. non quidem ejus substantia, sed actio corporea ab ea proveniens. — Sensu intimo factum comprobatur, cum in visione, in auditione, homo se sentit activum, conatus faciendo ad melius videndum aut audiendum. — Nec est *mera actio*, nam, teste conscientia, primario passivus est sensus et determinatur ab extrinseco.

Ergo — 2º sensatio quælibet, adæquate sumpta, duo includit elementa, quorum prius est conditio alterius ; passionem sc. ab extrinseco receptam et reactionem ab intrinseco procedentem « sensus jam informati [2] ». Hinc est cur non detur sensatio externa sine prævia impressione, et cur *aliquoties* habeatur impressio materialis et organica, quin detur sensatio, ut, v. g., præsertim in inconsciis aut dormientibus [3] (n. 47, C.).

C. — Unde apparet cur *integra* sensatio definiri possit : « passio quam recipit sensus ab agente objectivo et reactio simul intuitiva et repræsentativa quæ exinde oritur ». Qui e contra hanc reactionem in mera repræsentatione coarctare prætendunt, omissa prævia intuitione objecti, in subjectivismum prolabuntur. Quantum autem differat *perceptionismus* seu *intuitionismus* noster ab illorum *conceptionismo*, jam in lucem prodit : prior enim docet nos rem ipsam intueri, posterior meram ejus apparentiam a mente conceptam.

50. Hinc statim infertur *specierum sensibilium* existentia.

Quidquid sit de controversia supra dicta (n. 49, A) de sede speciei expressæ, sequens de existentia specierum statuitur

1. **S. Thomas**, *De natura verbi* (Opusc. XIII) ; cf. *Contra Gent.*, IV, 11 ; — **Farges**, *Le rôle de l'espèce expresse* (in *Revue du Clergé*, 1er et 15 oct. 1917) ; — **Jo. a S. Thoma**, *Phil. nat.*, III, q. 6, a. 3. — 2. **S. Thomas**, *Quodlib.* VIII, a. 3. — **Lahousse**, *Psych.*, n. 148-163 ; — **Aristoteles**, *De Anima*, L. III, c. 2, § 4.

THESIS

Sensatio, si integre sumatur, sine specie impressa fieri nequit, neque compleri sine specie expressa.

I[a] *Pars.* — *Species impressa* est passio, seu fusius : passiva immutatio sensus ab ipsa actione objecti producta. Porro dari talem speciem in sensibus exterioribus dupliciter constat.

1. *Experientia,* — primo quidem *externa,* nam juxta physicos omnes, imago rei pingitur in retina, sonus repetitur in aure, et ita de cæteris organis dispositis ad dandam repetitionem phænomeni externi. Porro non corpus solum, sed sensus, id est conjunctum ex anima et corpore seu organum animatum, his speciebus affici debet, datis conditionibus requisitis ad exercitium normale sensus. — Experientia etiam *interna* constat, nam, teste sensu communi, peracta sensatione, si passio fuerit vividior quam oportet, permanet aliquandiu et clare percipitur in phænomenis vulgo dictis « *images consécutives* ». Harum autem imaginum perceptio est interna, nec cum externa perceptione confundi potest, cum omnino diversis legibus physiologicis regitur, ut testantur scientia et conscientia [1].

2. *Ratione* etiam probatur. Re quidem vera, corpora in sensoria agunt ; atqui sic agendo non possunt in ipsis suam non imprimere imaginem ; ergo dantur species in sensibus impressæ. — Constant major et minor : *major*, alioquin vertitur in occasionalismum ; *minor*, quia in actione et passione est unum et idem quod datur et quod accipitur ; unde omne agens agit simile sibi, quando ejus effectus recipitur in potentia passiva. Sic, v. g., luminosum corpus depingitur in speculo aut in tabula photographica quæ, si esset conscia, illud perciperet, sicut et ipse oculus (Ontol., n. 139).

II[a] *Pars.* — *Species expressa* est similitudo ejusdem objecti quam sensus, saltem interior, in seipso immanenter reproducit. Hæc etiam constat sensu intimo et ratione :

1. *Sensu intimo*, nam, peracta sensatione externa, imagines conservantur et reviviscunt in phantasia, imo ad extra projici videntur, ope sensus externi, præsertim in hallucinatione. Quæ quidem confundi non possunt cum speciebus sensuum

1. **Farges**, *L'Objectivité,* p. 216 et sq.

externorum impressis, nam aliis legibus physiologicis subduntur, ut demonstratur apud doctos[1]. Ergo proveniunt a sensu speciebus expressis actuato.

2. *Ratione*, nam reactio potentiæ activæ ejus excitationem non potest non sequi. Porro tota est facultatis cognoscitivæ activitas in eo quod, recepta actione objecti, illum immediate percipiat et perceptum sibimetipsi repræsentet ; omnis enim perceptio repræsentatione sui objecti terminatur ac perficitur[2]. Ergo et species expressa formetur oportet.

Hucusque de sensatione integra ; nunc pressius de externa.

51. Quænam sit ex dictis *sensationis* externæ *natura* ?

THESIS

Sensatio externa est perceptio corporis externi immediata.

I. — Est *perceptio* seu *intuitio* rei, non autem animæ *emotio*.

Ita contra Cartesium, Malebranchium, Berkeley, Reidium, pluresque recentes, qui sensationem dicunt esse tantum modificationem gratam vel ingratam, quam deinde interpretaretur intellectus, ex qua sc. ratiocinio assurgeret ad existentiam causæ exterioris (Log., n. 199).

Revera non negamus sensationem esse causam emotionum diversarum ; sic, v. g., musica me juvat, manus igne læditur. Sed cognitio, quæ est in sensu, sensatio est et præcedit semper emotionem, quæ fit in appetitu ; itemque est causa emotionis, nedum sit illius essentia (n. 105). — Cæterum, ut constat, emotio non semper cognitioni proportionatur ; sæpe ratione inversa sequitur ; imo omnino deficit in sensationibus nec gratis, nec ingratis. Ergo sensatio *per se* non est emotio grata vel ingrata, sed quid ab ea independens, nempe perceptio est.

II. — Hæc perceptio corporum externorum *est immediata*.

Explicatur, siquidem sensu non percipitur substantia corporum externorum, nisi mediante, v. g., resistentia ut in tactu, vel mediante colore aut figura ; immediate tamen percipiuntur accidentia quibus sese manifestant, sc. eorum resistentia, figura, color, sonus, uno verbo, cunctæ eorum actiones physicæ seu qualitates in actu secundo (Ontol., n. 27, 131) in sensibus nostris impressæ, atque percipiuntur tales qualcs sunt in instanti contactus cum organo, in quo revera sunt.

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 219-233 ; *Théorie fond.*, double jeu des organes, p. 378. —
2. **S. Thomas**, *Contra Gent.*, l. IV, c. 11 ; *De veritate*, q. IV, a. 2 ; opusc. XIII, c. 1, L. 1 ; — Cf. **Liberatore**, *Institutiones phil.*, t. II, p. 175.

Probatur ex eo quod nullum invenitur medium inter actionem objecti et passionem subjecti ; ergo actiones illæ corporeæ a subjecto conscio immediate apprehenduntur. — Nec *dicatur* requiri imaginem intermediam ad aliquid intuendum : alioquin et secunda imagine opus esset ad primam intuendam, et sic in infinitum rediret eadem difficultas.

Unde 1° Intuitio fit ante speciem *expressam*, non autem ea mediante : quomodo enim exprimeretur res adhuc incognita ?

Unde 2° Intuitio non fit in specie *impressa* tanquam in speculo *in quo* res externa consideratur. Nam passio non est imago *intermedia*, sed tantum *conditio* unionis immediatæ inter agens et passum (Ontol., n. 134, 139) : secus, si passio esset objectum *quod* vel *in quo*, cum sit imago inversa actionis, ut accidit in speculo, nos perpetuo falleret : « La passion étant l'image renversée ou retournée de l'action, nous ferait voir à l'envers[1]. » — In hoc quidem perceptio externa differt a sensatione interna, quæ fit tum a sensu communi quo ipsa passio sensus externi percipitur et fit conscia, tum a phantasia in qua imago objecti elicitur, reviviscit et fit quasi speculum *in quo* objectum, etsi absens, recognoscitur.

52. ***Hinc sensatio externa cum interna confundi non posset.***

Conclusio sponte fluit ex successivo processu sensationis. Revera percipio — 1° directe, actionem externam objecti seu ejus physicam qualitatem in actu ; — 2° indirecte, ope sensus communis et reflexionis, passionem meam, quæ actioni opponitur et inversa est : « l'impression d'un relief est en creux » ; — 3° denique utriusque imaginem in phantasia receptam. Jamvero hæc tria successive producuntur et separari possunt. Ergo confundi minime debent.

Igitur 1. *Imprimis* falsa est opinio recentium qui, perceptionem externam τοῦ non ἐγώ cum interna sensatione τοῦ ἐγώ confundentes, asserunt sensum externum nihil percipere, nisi seipsum suasque modificationes subjectivas. Non invenientes itaque, quem frustra quærunt, transitum seu *pontem* inter subjectum et objectum, in scepticismum objectivum prolabuntur[2].

2. *A fortiori* falsa dicenda erit (n. 59) opinio eorum qui utramque sensationem externam et internam cum imaginationis repræsentationibus perperam confundunt : « *La perception*, ait Taine, *est*

1. **Farges**, *Théorie fondamentale*, p. 384. — 2. **Farges**, *La Crise de la cert.*, p. 32-40 ; 314-317.

une hallucination vraie » (n. 201) ; vel non distinguunt nisi, ut aiunt, « *comme des états forts et des états faibles* » ejusdem repræsentationis.

Jam ab utroque errore recedunt Bergson, W. James, et alii plures[1]. Merito quidem, talis enim confusio aperte contradicit, sive sensui hominum communi, sive conscientiæ testimonio quæ hæc *tria* comparando optime distinguit, sive legibus physiologicis quibus hæc *tria* phænomenorum genera diverso modo reguntur, ut scientia constat [2]. (Cfr. n. 70.)

ARTICULUS II.

De sensibus Internis.

53. Quid et quot sint *sensus interni* inter se distincti ?

A. — Sunt sensus interni, ii *quorum organa exterius non apparent et quibus elaborantur*, i. e. *colliguntur, conservantur, revocantur, aut æstimantur sensationes jam habitæ* [3]. Quatuor numerantur, ut dictum est in Logica (n. 202) : sc., sensus communis, phantasia, memoria et vis æstimativa.

B. — Realiter quidem sunt inter se *distincti* : contra *Suarezium et quosdam scholasticos*, qui in asserenda sensus et intellectus distinctione toti sunt, sed quatuor sensus internos ratione tantum, non realiter inter se distingui concedunt. Quos e contra, tum ex parte objecti, tum ex parte subjecti, tum ex modo operandi, probabilius inter se differre passim infra (n. 55, 59, 63, 67) probandum est[4]. — Unde quatuor erunt paragraphi.

§ I. *De Sensu Communi* [5].

54. Quænam sit *sensus communis* brevis theoria ?

A. — *Nomina.* Sensus communis actus plures sunt, totidemque nomina. Nam *communis* vocari solet, quia omnium sensuum particularium operationes, et indirecte objecta, apprehendit ; — *internus*, quia hujus ope anima cognoscit se sentire seu esse subjectum sentiens, inde vocatur etiam sensus *intimus* ; — necnon sensationes aliorum sensuum ut suas percipit, ex quo dicitur *conscientia sensibilis*.

1. **Binet**, *L'Année psychologique*, 15e année, p. VI ; — Cf. **Levesque**, *Psychologie*, ch. II, leç. 4e. — 2. **Farges**, *L'Objectivité*, p. 219, 233, 234. — 3. *Sum. Theol.*, p I, q. 78, a. 4. — 4. **Lahousse**, *Psych.*, n. 221. — 5. **Mercier**, *Psychol.*, t. 1, n. 99, 102.

B. — *Functiones.* Hi tamen varii actus ad duplicem functionem referuntur [1].

Prior est perceptio seu *conscientia* singularium operationum, quæ in variis sensoriis sunt et localisantur.

Posterior est *collatio* omnium sensationum, inter quas sensus communis discernit implicite sicut visus inter omnes colores, quarum facit synthesim, sicque ejusdem objecti qualitates et differentias conjungendo, perficit sensuum externorum perceptionem [2].

C. — *Definitio.* Sic ergo recte definiri potest : *Facultas quæ percipit et in unum colligit omnia phænomena a nobis jam in sensoriis experta modo sensibili.*

Dico : — 1° Percipit et colligit, hæ sunt ejus duæ functiones. — 2° Phænomena jam experta modo sensibili, et ita differt a sensibus externis, quos non præcedit, sed sequitur et complet, necnon ab intellectu differt qui res immateriales attingit.

D. — *Objectum.* Hinc sensus communis *directe* percipit phænomena sensibilia nobis intime præsentia ; indirecte vero et *concomitanter* ipsamet sensoria seu corpus animatum, quod est subjectum hujusmodi sensationum. — Sicque evadunt inutiles, sive *sensus fundamentalis*, vi cujus, juxta Rosminium, ante omnem actum perceptionis externæ, anima percipere deberet corpus suum ; sive *ratiocinium* Reidii, cujus ope mens colligeret existentiam corporis sui, hoc innixa principio : « omnis effectio subaudit subjectum ».

His summatim dictis, tria quærenda supersunt. Unde

55. Utrum sensus communis sit facultas *ab aliis distincta* ?

Philosophi admittunt facultatem per quam phænomena mentis interna dignoscimus : sed — 1. Alii, etiam inter scholasticos, contendunt eam non differre ab aliis viribus *internis* ; — 2. Alii vero, post Reidium, sensum intimum a potentiis *intellectivis* non secernunt ; — 3. Positivistæ tandem cum sensistis non distinguunt sensum intimum a sensibus *externis* ; sic, v. g., Condillac,— a quo non satis recedit Suarezius, juxta quem singuli sensus externi uno actu percipiunt suum objectum suamque perceptionem. E contra, a plerisque scholasticis statuitur

1. S. Thomas, in *III de Anima*, lect. 2. — 2. Farges, *Le Cerveau*, 315-320.

THESIS

Sensus communis est specialis facultas, cum a sensibus externis, tum a facultatibus intellectivis distincta.

I. *Est facultas specialis* : — contra plures scholasticos (n. 53). *Revera* ad seriem operationum specialem requiritur facultas specialis, nam potentiæ distinguuntur per actus et objecta (n. 28). Sed est quædam series operationum, per quas sensationes omnium sensuum earumque differentias percipimus ; nam experimur oculum videre, aurem audire, etiam visum non esse auditum, auditum non esse odoratum ; et probabilius phantasiam imaginari, memoriam recognoscere, æstimativam judicare. Ergo specialis requiritur facultas, nempe sensus communis, per quam apprehendimus « sensata omnium sensuum [1] », etiam, saltem probabilius, internorum.

II. *Distinguitur a sensibus externis* : — contra sensistas. Ad hoc *enim* duo requiruntur et sufficiunt : 1° ut sensus externus sensationem suam et a fortiori sensationem aliorum sensuum non percipiat ; 2° ut utraque per actum consequentem percipiatur, quod arguit facultatem distinctam. Porro :

1um constat : sensus enim non potest sensationem *suam* percipere, nisi ope reflexionis ; impossibile est autem organum physicum, et proinde sensum ipsum in se reflecti [2] : sic, « visus non videt suam visionem, nec auris audit suam auditionem, et ita de reliquis sensibus [3] » : nam « non est possibile quod aliquid materiale immutet seipsum [4] ». — A fortiori, unus sensus non potest percipere sensationem *aliorum* sensuum, quin et ipsorum percipiat objectum, quod fieri nequit : sane, oculus audire, olfactus videre, auris olfacere non potest. Revera sensus externi « non conferunt nec loquuntur inter se [5] ».

2um non minus constat. Experientia enim nos docet quod peractas sensationes *subsequatur* earumdem sensationum perceptio et collatio ; quod exigit distinctam facultatem, jure ac merito sensus communis nomine insignitam.

III. Denique *non est facultas intellectiva* : — contra Scoticos. Constat 1° *ex objecto*. — Facultates, quorum objecta essen-

1. S. Thomas, *Contra Gent.*, L. II, c. 74. — 2. Cf. Fargos, *Le Cerveau*, 289-285. — 3. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 87, a. 3, ad 3. — 4. S. Thomas, *De Anima*, L. I, lect. VIII. — 5. Joan. a S. Thoma, *Philosophia naturalis*, p. III, q. VIII, a. 1.

tialiter differunt, inter se differre debent. Porro intellectus objectum est suprasensibile et universale, dum sensus communis phænomena sensibilia et particularia cognoscit, seu etiam « ipsum organum, ipsum corpus animatum ». Ergo sensus communis non est facultas intellectiva.

2º *Ex subjecto.* Sic enim, duce S. Augustino, ratiocinari possumus : Sensus interior (seu communis) inest et bestiis ; sed intellectus non inest bestiis : ergo sensus communis differt intellectu [1].

3º *Ex consequentiis.* Sententia scholæ scoticæ, sensum communem a viribus intellectivis non distinguens, hominem a bestiis nonnisi gradu differre contendit ; quod est falsum et valde periculosum [2].

56. Utrum et quatenus in *encephalo* sit sensus communis ?

A. — Illud est organum sensus communis proprium, ad quod omnes sensationes nervis mediantibus transferuntur [3]. Porro tale est encephalum, et in eo pars centralis et cinerea (*noyaux gris centraux*), ut ex ejusdem descriptione constat.

Est nempe encephalum (ἐν κεφαλή) *organum quod in cranio continetur, et cerebrum, cerebellum et medullam oblongatam complectitur.* Jamvero nervi rachidiani ad medullam spinalem et hæc ad cerebrum, nervi vero cranii pariter ad ipsum cerebrum transmittunt sensationes externas. Sic ergo cerebrum fit totius sensationis etiam internæ centrum et terminus.

Quapropter sensus communis est centrum commune in quo, tanquam in termino, sensationes externæ uniuntur ; necnon principium proximum, a quo, tanquam a radice, procedunt actiones sensuum exteriorum, siquidem, eo ligato, dormiunt [4]. Egregie S. Thomas : « vis sentiendi diffunditur in organa quinque sensuum ab aliqua una radice communi, a qua procedit vis sentiendi in omnia organa, ad quam etiam terminantur omnes immutationes singulorum organorum [5] ».

B. — Quænam vero *pars* encephali sit sedes sensus communis — sicut et aliorum sensuum internorum — plures determinare voluerunt ? — Ast theoriæ « localisationum cerebralium » jam inventæ, meliori scentiæ discussione probatæ non sunt, et post transitoriam gloriam derelictæ videntur [6].

1. *De Libero arbitrio*, c. VIII. — 2. Cf. **Bourquard**, *Théorie de la connaiss.*, p. 164 — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, ch. I. — 4. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 23, 318 ; 320, 291-292 ; — **Dr Surbled**, *Le Cerveau et le siège de la sensation.* — 5. **S. Thomas**, L. III, *De Anima*, lect. 3 : — **Farges**, *Ibid.* — 6. **A. Gemelli**, *Anima e cervello in scuola cattolica*, nov. 1912 ; — **Mercier**, *Psych.*, t. I, n. 91-92.

57. Utrum sint sensationes sine conscientia seu *inconsciæ* ? Acerrime controvertitur inter recentes utrum possint exerceri sensus externi absque sensu communi seu utrum sentiamus aliquando, quin sentiamus nos sentire. Negant post Cartesium Cousin, Stuart Mill, Fr. Bouillier, Rabier [1] et generatim subjectivistæ, — affirmant vero Leibnitzius, Reidius et multi alii cum fere omnibus physiologis et scholasticis, — quin tamen exaggerant *inconscium* sicut Hartman vel *subconscium* cum modernistis. Sit igitur media inter utrumque excessum

THESIS

Possibilis, imo realis est aliquando sensatio reapse inconscia.

A. — *Possibilis est.* Repugnat enim perceptionem dari sine objecto, non autem objectum sine perceptione : ideoque dari nequit sensatio, quin ipsa aliquid sentiat ; sensatio autem, quæ ipsa non sentiatur, optime dari potest : « Il n'y a donc pas de sensation non sentante, ce serait contradictoire, maïs il peut y avoir des sensations non senties [2]. » — Confirmatur, nam facultates distinctæ, quæ organum distinctum habent, etiam distinctos actus habere debent aut possunt : porro, ut vidimus, organa sensuum externorum et conscientiæ sensibilis sunt distincta ; ergo.

B. — *Realis* est, ut ostendunt quatuor phænomenorum series :

1. *Variatio inversa perceptionis externæ et conscientiæ* : nam quo major est intentio sensus in objectum, eo minor est hujusce perceptionis conscientia ; unde fit ut dolorem internum minuat vel etiam auferat distractio, augeat autem reflexio in seipsum [3] (supra, n. 22). Unde fit etiam ut in vividiori *extasis* aut *raptus* perceptione, omnino deficere possit sensibilis conscientia.

2. Similiter *existentia* prope infinitorum phænomenorum, quæ conscientia actuali minime cognoscuntur, revera tamen existunt in thesauro memoriæ ; tales sunt, v. g., præteritæ imagines, passiones, perceptiones [4].

3. Imo ipsamet *conscientia* perceptionum quæ, primum inconsciæ, statim, præstita attentione, percipiuntur, vel quæ primum consciæ, paulatim fiunt inconsciæ, donec eædem, data occasione, rursus animadvertantur [5]. — Nec dicas hæc omnia *parva* seu « *infinitesimali* » et *ignota* conscientia percipi : hæc enim sunt verba et voces, quippe nulla dici debet conscientia, quæ tam parva est ut et sui jam non sit conscia [6].

4. His adde *exempla*, — sive *somnambulismi*, in quo homo inconscius audit et interroganti respondet (n. 200), — sive *hypnotismi*, in quo alicui suggeritur se non videre, quæ tamen videt, etsi suæ visionis conscientiam non habeat [7] (n. 206) — sive tandem *reflexorum* in animalibus, quibus cerebrum ablatum est proindeque conscientia (n. 47).

1. **Rabier**, *Psychologie*, p. 52-71. — 2. Cf. **Farges**, *Le Cerveau*, 295-299. — 3. Cf. **Farges**, *Ibid.*, 297. — 4. **Farges**, *Ibid.*, 297-299. — 5. Cf. **Mentré**, in *Revue de Philos.*, mars 1906 ; — **Farges**, *Ibid.*, 299. — 6. **Farges**, *Ibid.*, 300. — 7. **Farges**, *Ibid.*, 305-307.

§ II. *De Phantasia* [1].

58. Quænam sit *imaginationis* seu phantasiæ brevis theoria ?

A. — Vi nominis, imaginatio — quæ dicitur etiam phantasia, a verbo φαίνομαι, apparere, φῶς, lux — rerum imagines seu apparentias, non ipsas res apprehendit.

Recte definiri potest : *ea facultas per quam imagines rerum sensibiles,* « etiam *rebus absentibus* [2] » *in nobis repræsentamus.*

B. — Tria sunt munera, functiones gradusve phantasiæ :

1. *Reproducit* species jam habitas rerum absentium seu phantasmata, quæ non sunt ipsum imaginare seu operatio imaginativa, sed quid operatum per actum imaginativum : et sub hoc respectu imaginatio est *reproductrix.*

2. *Servat has* species rerum, quæ, primo forsan et juxta quosdam productæ in sensoriis externis, postea autem in cerebro reproductæ, sub dominio phantasiæ cadunt ; quæ idcirco vocatur « *thesaurus* formarum sensibilium ».

3. *Componit et dividit* easdem imagines, sive sub influxu rationis, sive non ; ex quo munere, potius nuncupatur vis imaginativa, seu imaginatio *creatrix* et constructiva.

C. — *Objectum* denique phantasiæ est id omne et solum phantasma quod a sensibus acceptum est. Hinc est cur ex elementis undique perceptis suas constructiones efficiat : v. g., domum auream ; — item cur non tantum visiones et formas rerum, ut voluit Reidius, sed et sapores et sonos et tactus, etc., reproducat [3] ; — cur denique cæcus a nativitate imagines coloris, surdus imagines sonorum non habeant.

His breviter dictis, tria speciatim evolvere præstat. Unde

59. Utrum phantasia sit facultas ab *aliis distincta* ?

Adversus sensistas, ex una parte, necnon eclecticos ex altera, sit

THESIS

Phantasia seu imaginatio, tum ab aliis sensibus, tum ab intellectu secernitur.

I. *Ab aliis sensibus secernitur.* — Revera imaginatio seu phantasia :

1º Non est evolutio quædam sensuum *externorum*, ut contendunt materialistæ, positivistæ et multi sensistæ (n. 52, 70) : nam

1. Cf. **Joan. a S. Thoma**, *Philos. natur.*, p. III, q. 8, a. 2 : — **Dr Surbled**, *L'Imagination* ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. I, n. 103-119 ; — **Peillaude**, *Les Images*. 1910 ; — Cf. *L'Imagination*, in *Revue de philos.* (oct. 1912, fév. 1903, oct. 1904, mai 1905). — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 15, a. 1. — 3. **Levesque**, *Psychologie*, ch. v.

sensus externi in sensoriis res externas apprehendunt, phantasia autem in cerebro earum imagines reproducit. Unde et objecto et organo differunt.

2° Non est sensus *communis* operatio quædam, intensitate aut gradu tantum inferior : hæc enim absentes, ille præsentes tantum res percipit.

3° Nec eadem est ac *memoria*, cujus actus non est mera reproductio, sed præcise recognitio phantasmatum [1].

Dixi : *phantasia* seu *imaginatio*, hæc enim ab altera reapse non distingui videtur, ut voluere Stoici, Avicenna, Alb. Magnus, S. Bonaventura.

II. *Ab intellectu etiam distinguitur.* — Ea enim facultas est sensitiva, quæ 1° versatur circa objectum sensibile ; 2° habet organum cujus sequitur vicissitudines ; 3° bestiisque simul et hominibus competit. Atqui talis est imaginatio. Ergo est sensitiva.

Prob. min., nam imaginatio — 1. habet objectum sensibile, videlicet has vel illas imagines rerum, quæ quidem sunt aliquid concretum et particulare, sicut organum cujus sunt affectiones ; — 2. habet organum quod in cerebro, et quidem in substantia ejus externa et cinerea (*écorce grise cérébrale*) collocant saltem hodierni scholastici ; revera, læsa hac parte cerebri, turbantur actus phantasiæ. Hinc vividior est apud juvenes, mulieres et febricitantes, ita ut temperamenti, aeris et locorum vicissitudines sequatur. — 3. Tandem bestiis etiam competit ; nam, v. g., canis dormiendo latrat aut ululat [2].

60. Quomodo possit explicari phantasiæ *exercitium* ?

Quoniam triplex est phantasiæ functio, triplex erit responsio.

A. — Imprimis specierum *conservationis* ratio præcipua desumitur ex parte virtutis animæ ; eaque ratio est *habitus* seu facilitas ad eumdem actum, ex primitiva vel multiplici sensatione acquisita, quæ aperte, v. g., in delirio et hallucinatione, manifestatur [3].

Secundaria autem ratio sumitur ex parte organi, estque *physiologica*, nempe proprietas, quam habet cerebrum, receptas impressiones retinendi. Hanc enim diverso gradu possident varia corpora, v. g., phosphorescentia, quæ radios solis per diem colligunt et noctu clarescunt ; — item tabella photographica, quæ post plures menses latentem luminis imaginem reproducit ; — similiter auris, oculus... et alia sensoria externa. Ergo præsertim et quidem per multos annos, qu dquid dixerint plures [4], ipsummet cerebrum [5].

B. — Quoad imaginum *reproductionem*, nullus actus phan-

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 321. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 322. — 3. **Mercier**, *Psychologie*, t. I, n. 106. — 4. **Bergson**, *Matière et mémoire*, p. 134. — 5. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 322-325.

tasiæ sine excitatione speciali fieri posse videtur : nam phantasia, utpote passiva, seipsam movere nequit similiter et ipsum phantasma latenter servatum jacet in statu passivo, donec excitetur. Restat ergo ut causa phantasmatum determinans sit una ex his tribus : — vel *excitatio* organorum physica ex variis incitamentis, ut sunt vinum et opium, proveniens ; — vel passio quædam *moralis*, ut amor, desiderium ; — vel *cognitio* quædam sive sensitiva, sive intellectualis, quæ in se habeat, juxta leges associationis (n. 64), cur hoc et non illud excitetur phantasma, etiam renitente voluntate.

C. — Quod denique attinet ad *creationes* imaginativas, quæ a voluntate non reguntur nulli subjiciuntur legi, unde phantasia vulgo dicitur : « La folle du logis » ; quæ vero ratione diriguntur, artibus multum inserviunt.

61. Quodnam sit in vita nostra phantasiæ *momentum*[1] ?

Ingens in vita phantasiæ momentum quatuor illustrant :

A. — Ejus *excellentia*. Nam in confinio vitæ sensitivæ et intellectivæ posita, utriusque quasi vinculum et nexus, cum omnibus facultatibus habet relationes quamplurimas : unde cæteris sensibus est *universalior* ; — Accipit a sensibus externis imagines sensibiles, quas convertit in phantasmata : hæc autem minus concrescunt materia, siquidem, ut aiunt : « L'image est un résidu » : hinc *immaterialior* ; — Præstat intellectui imagines, seu materiam in qua invenit suum objectum immateriale, et ideo, ratione hujusce muneris et commercii, quamdam ab intellectu accipit illustrationem : inde *spiritualior* ; — Denique voluntati famulari debet, cujus directionem non raro accipit : inde *liberior* fit imaginatio.

B. — Ejus *utilitas*, tum in scientiis, tum in bonis artibus. — In scientiis quidem : nam phantasia comitatur semper exercitium intellectus, adjuvat meditationes abstractissimas, et circa res maxime immateriales, v. g., Deum, angelos, quas semper signis sensibilibus repræsentat. Hinc est cur sine imaginatione languescat intellectus, dum phantasmata, modo ordinata sint, intellectui vigorem præbent, ingenioque ministrant alas. — In bonis etiam artibus : his enim imaginatio necessarium affert adminiculum, formas sensibiles, quibus typus idealis exprimi possit, intellectui artificis suppeditando.

1. Cf. **Mercier, Peillaube, Surbled,** *loc. cit.*

C. — Ejus *activitas*. Hanc nemo non expertus est, præsertim in adolescentia. Hinc quum exercetur, sopitis aut turbatis reliquis facultatibus, nempe per somnum et delirium, tunc vagari incipit multasque fingit imagines, ut innumeris constat experientiis. — Quinimo vis quædam motrix et impulsiva imaginibus negari nequit : sicut enim in sensu, ita in cerebro omnis imago, ob emotionem quam ordinarie producit, nata est excitare reactionem, juxta hanc legem recentium : « L'image tend à sa réalisation ». — Et quidem sæpius realisatur, quando una tantum cerebro dominatur : « C'est le cas de l'idée fixe, de la suggestion hypnotique [1] », vel quando ideæ cum motibus habitudine sociantur. « Ainsi s'expliquent l'instinct d'imitation, le vertige, la communication de nos impressions, et ces faits désignés sous le nom de cumberlandisme [2]. » Hinc theoria dicta a Fouillée : « l'idée force [3] », quæ aliquam veri speciem habet (n. 71).

D. — *Incommoda* tandem phantasiæ vim illius indirecte demonstrant. Non enim semper subjicitur rationalibus animæ potentiis : sed quandoque dominium obtinet et fit occasio vel causa perturbationum in organismo et locomotione, aliquando etiam hallucinationum et amentiæ (n. 201). — Alias, fons est illusionum et errorum : sunt enim qui imaginationi nimis indulgentes, negant quæ sibi sensibiliter repræsentare nequeunt et accipiunt quiquid fingit stulta illa facultas, « maîtresse d'erreur et de fausseté » ; sicque malum sub specie boni, necnon errorem sub specie veri recipiunt.

§ III. *De Memoria sensitiva* [4].

62. Quænam sit *memoriæ sensitivæ* brevis theoria ?

A. — Memoria sensitiva *est facultas organica cognoscendi præteritum ut præteritum et antea perceptum* [5]. — Dicitur *organica*, ut secernatur a memoria intellectuali, quæ nihil est nisi functio quædam intellectus (n. 94).

B. — *Functio* memoriæ est recognitio præteriti. Hæc tamen saltem juxta plerosque scholasticos, duplicem functio-

1. **Fonsegrive**, *Psych.*, leç. VIII : Effets moteurs des images. — 2. **Mercier**, *Psych.*, n. 109 ; — *Université cath.*, nov. 1894, p. 416. — 3. **Fouillée**, *La philosophie des idées-forces* ; — Cf. **Bain**, *Les émotions de la volonté* ; — **Paulhan**, *L'activité mentale*. — 4. Cf. **Aristoteles** et **S. Thomas**, op. *de Memoria et Reminiscentia* ; — **Mercier**, *Psych.*, t. I, n. 128-131 ; — *Revue de philos.*, fév.-juin 1903. — 5. **S. Thomas**, *Ibid.*, lect. 7.

nem supponit : non enim memoria potest *recognoscere*, nisi quod *retinere* valet.

C. — *Objectum* memoriæ est præteritum ut sic et antea cognitum. Porro « præteritio potest ad duo referri, sc. ad objectum quod cognoscitur, et ad cognitionis actum... Unde simul homo memoratur se prius sensisse in præterito et sensisse quoddam præteritum sensibile [1] », — sive sit res, sive sit eventus — sive « recordetur indeterminate se aliquando hoc sensisse, sive sub certa mensura, puta ante tres dies [2] ».

D. — *Subjectum* denique seu organum memoriæ, experientia teste, cerebrum etiam est, cujus sequitur vicissitudines ; nam vividam apud infantes, fere nullam apud senes, morbo amissibilem eam esse nemo nescit. Imo læsionibus cerebri partialibus, partialiter etiam amittitur memoria, v. g., memoria quorumdam verborum, aut imaginum, aut sonorum, aut motuum ad loquendum, ad scribendum, etc... ; sanata autem cerebri læsione, memoria statim recuperatur, ut constat repetitis observationibus scientificis [3].

His dictis, tria de memoria sensitiva inquiri debent.. Unde

63. Utrum memoria sit facultas specialis *ab aliis distincta* ?

Inter eos qui admittunt memoriam esse facultatem sensitivam, non desunt qui ratione tantum eam distinguunt a cæteris sensibus internis, præsertim a phantasia [4]; sunt et alii qui memoriam reponunt inter facultates intellectivas, et ideo brutis, vel concedunt intellectum, vel solummodo simplicem revocationem præteritarum cognitionum, ope associationis sensationum, sine ulla ratione præteritionis. Sit igitur

THESIS

Memoria, tum a phantasia, tum ab intellectu distinguitur.

I. — *Memoria differt a phantasia.* — Hæc enim imagines rerum externas retinet : sed functio propria memoriæ, nempe præteriti recognitio, utpote immaterialior et specifice distincta, imaginationi nullo modo convenit.

II. — *Memoriam ab intellectu differre* ostendunt ejusdem

1° *Subjectum* ; nam animalibus facultas intellectualis minime concedi potest (Cosm., n. 97). Porro nullus est qui negare velit belluas gaudere memoria : nam, v.g., canis suum herum,

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 6 et 2. — 2. **S. Thomas**, in *de Memoria* et *Reminisc.*, lect. 7. — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 188-198 ; — **Ribot**, *Les Maladies de la Mémoire*. — 4. **Lahousse**, *Psych.*, n. 221.

bestiæ pascua solita, elephas et leo suum benefactorem, formicæ suas concives optime recognoscunt [1].

2° *Objectum* : nam nota temporis particularis est aliquid concretum et sensibile, non autem abstractum et universale, — quod probatur :

a) *Directe.* — Tempus est motus rerum sensibilium ; porro motus rei sensibilis, sensibilis etiam et particularis dicendus est ; ergo. — Constat minor, nam motus rei sensibilis, etiam localis, cum sit accidens, hujusce rei sortitur naturam [2].

b) *Indirecte.* — Illud est singulare a quo abstrahit intellectus. Porro intellectus abstrahit ab *hic* et *nunc*, quasi a notis individuantibus, nam « præteritio accidit et non per se convenit ex parte objecti intellectus [3]... ». Ergo tempus seu hic et nunc, est aliquid singulare.

Hoc autem posito, tempus est memoriæ, non intellectus, proprium objectum : quod enim est singulare, est objectum sensûs.

Obj. — Ibi adest intellectus, ubi fit comparatio : porro notio temporis importat comparationem : ergo importat intellectum.

Resp. — *Dist. maj.* Ibi adest intellectus, ubi est comparatio idearum universalium, *conc.* ; ubi non est nisi collatio imaginum sensibilium, *nego.* — *Ad min.* Porro sensitivæ parti deneganda est omnis collatio universalium, *conc.* ; particularium, *neg.* Constat enim quod belluæ cognoscunt relationem concretam mediorum ad finem, ut patet ex actibus æstimativæ, quibus judicant quasdam actiones esse quibusdam finibus et, v. g., paleas ad nidum, convenientes. Ergo a pari relationem concretam prioris et posterioris, quam importat notio temporis.

64. Quid de exercitio memoriæ juxta *leges associationis* [4] ?

A. — *Associatio mutua imaginum* est *connexio vi cujus una alteram in cerebro revocat.* Hæc imaginationi et memoriæ communis est et utrique inservit [5].

B. — Causæ seu conditiones objectivæ quibus fit hujusmodi imaginum recordatio, vocantur *leges associationis.* Hæ vero plures enumerantur apud S. Thomam, Humium, Al. Bain : nempe, imaginum contemporaneitas, — similitudo, — contrarietas, — contiguitas, — causalitas, — quæcumque propinquitas, quarum ope, v. g., variis de causis, Dominica Sabbatum, — Socrates Platonem, — Hector Achillem, — Sequana Lutetiam, — ignis calorem, — filius patrem revocant in mentem... et ita de aliis, quæ vel sunt idem, vel simul, vel secundum aliquam partem propinqua sint [6].

1. **Mercier**, *Psych.*, t. I, n. 129. — 2. **Mercier**, *Ibid.*, n. 129-130. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 6. — 4. **S. Thomas**, *De Memor. et Remin.*, lect. v ; — **Ferri**, *Psychologie de l'association* ; — **Mervoyer**, *L'association des idées.* — 5. Cf. **Mercier**, *Psych.*, t. I, n. 111-115. — 6. **Mercier**, *Ibid.*, n. 112.

C. — Hæ tamen variæ associationes, quum sint subjectivæ, *causam* insuper physiologicam habeant oportet. Hæc duplex est : prior est imaginum *similitudo* subjectiva, vi cujus una cerebralis imago, latentes imagines similis naturæ excitare debet [1] ; posterior est earumdem in cerebro *contiguitas*, cujus ope impressiones juxtapositæ facilius reviviscunt : sic v. g., D revocat A, E, F ; A vero excitat B, C, D, utpote contiguas ; A tandem facilius revocat D et vicissim ob duplicem et reciprocam excitationem [2]. Hinc est cur memoria tantopere pendeat a dispositione subjecti.



D. — *Momentum* utriusque fundamenti est maximum, modo repetitis actibus contra varia impedimenta *consuetudine* firmetur [3]. Hinc est cur juxta mnemotechnicos, triplici regula tota nitatur ars memorandi : « Classer, associer, répéter, c.-à-d. loi de contiguité, de similitude, d'habitude, telles sont les trois opérations fondamentales de l'art d'apprendre [4]. »

65. Quomodo memoria differat a *reminiscentia* [5] ?

Est reminiscentia *quædam inquisitio cum intentione deveniendi in memoriam alicujus rei.* Unde

1° Ratione *sui*, reminiscentia est inquisitio, memoria vero possessio rei ; prior via et motus, posterior terminus viæ ; hæc ab altera differt sicut imperfectum a perfecto. Revera triplex esse potest status memoriæ sensitivæ : vel oblivio totalis, vel subita rei recordatio, vel recordatio unius cum oblivione alterius. Jam in ultimo casu uti possumus eo quod meminimus, ut, quasi « venando », perveniamus ad illud quod obliti sumus, et hoc dicitur reminisci.

2° Ratione *subjecti*, reminiscentia formaliter est in parte sensitiva, causaliter autem in parte intellectiva : fit enim hæc inquisitio particularium intentionum sub influxu intellectus et voluntatis. Quare memoriam « multa animalia participant, sed nullum reminiscitur ».

3° Ratione *temporis*, reminiscentia utpote motus ad memoriam, inter duplicem memoriam media habetur ; quippe memoriam præcedit, sicut motus terminum ; sequitur vero, nam ex aliquo memorato tanquam a principio procedit.

4° Ratione *aptitudinis* ad utramque, dicendum quod « non idem homines sunt bene memorativi et reminiscitivi » : alii enim

1. **S. Thomas**, *De Memoria*, lect. IV in medio. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 326 ; — **Mercier**, *Ibid.*, n. 113 : — **Fonsegrive**, lect. VI, p. 57. — 3. **Mercier**, *Ibid.*, n. 106 ; — **S. Thomas**, *De Mem. et de Rem.*, lect. V, in princ. et fin. — 4. **Chavauty**, *L'Art d'apprendre et de se souvenir*, 1re leç. — 5. **S. Thomas**, *De Mem. et Remin.*, lect. V, VII, VIII passim.

subito et præter intentionem, ea quæ procul sunt et ante multos annos contigerunt, alii vero ex intentione ea quæ sunt bene ordinata, reminiscuntur.

Hinc in homine memoria, quia cum intellectu conjungitur, quamdam directionem et ideo perfectionem accipit, vi cujus, præter subitam recordationem, « quasi syllogistice inquirit præteritorum memoriam [1] ».

§ IV. *De Æstimativa* [2].

66. Quænam sit *æstimativæ* brevis et scholastica theoria ?

A. — Vi nominis, æstimativa seu sensus æstimatorius, quamdam circa res sensibiles *æstimationem* innuit : eadem a recentibus vocatur *instinctus*, quia, naturæ impulsu, talis cognitio tendentias innatas, variosque motus ad certum finem adaptatos excitat.

Quoad rem definitur : *Facultas quæ res sensibiles apprehendit sub ratione utilis et noxii* [3] et ideo, ut aiunt, « insensata ex sensatis [4] ». Sic ovis cognoscit lupum, non in quantum est lupus, sed in quantum est sibi inimicus ; sic etiam homo serpentem, ac proinde utrumque timet et fugit [5].

B. — *Dixi* : sub ratione *utilis* et *noxii* ; sunt enim proprietates ad quas percipiendas sensus externi sunt impares, quæ tamen, licet aliis sensibus imperviæ, ordinem sensibilem non superant. En *objectum* æstimativæ, quæ universale et absolutum non assequitur, v. g., bonum utile et delectabile in genere, sed in concreto hoc esse bonum et malum sentientis, v. g., hunc serpentem aut lupum esse ipsi nocivum.

C. — Hæc facultas non tantum homini, sed et bestiis præsertim competit (n. 90). — « Cui etiam medici assignant determinatum *organum*, sc. mediam partem capitis [6] » ; et quidem verisimiliter, nam in vivisectionum experimentis, cerebro ablato, pereunt sensus interni, præsertim instinctus, dum e contra sensibilitas quædam externa permanet [7].

D. — Æstimativæ denique operatio est finalitatis et veri progressus nescia, — necessaria et infallibilis, — propria quidem speciei, eadem autem in omnibus ejusdem speciei individuis. Habes exempla in motibus, præsertim puerorum,

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 78, a. 4. — 2. **Mercier**, *Psychol.*, t. I, n. 120-127 ; — Cf. *De l'Estimative*, in *Revue néo-scolast.*, an. 1904, p. 432. — 3. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 78, a. 4. — 4. **S. Thomas**, opusc. 43, cap. 4 ; — **Jo. a S. Thoma**, *Phil. natur.*, p. III, q. VIII, a. 2. — 5. **S. Thomas**, *De Anima*, L. II, lect. XIII. — 6. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 18, a. 14. — 7. **Fargos**, *L'Objectivité*, p. 152 ; — *Le Cerveau*, p. 42

reflexis quamplurimis, sicut et in ædificio castoris, in araneæ tela, in nido volucrum, in acervo formicarum, etc. [1].

« L'ignorance du but est visible... Ayant reçu des castors au Muséum, F. Cuvier mit dans leur cage des matériaux pour bâtir. Ils construisirent une digue, bien qu'elle ne dût servir à rien... Leur instinct s'adapte aux milieux ; il ne progresse pas [2]. »

His dictis, tria de æstimativa solvenda supersunt. Unde

67. Utrum æstimativa sit facultas specialis *ab aliis distincta* ? Negat duplex oppositus error : nam, loco æstimativæ, alii ponunt instinctum cæcum et sunt mechanicistæ, alii vero miræ instinctus opera adscribunt intellectui. Contra utrosque cum scholasticis, sit

THESIS

Datur æstimativa seu facultas sensitiva, *quæ ab aliis sensibus et ab intellectu* in homine etiam *secernitur.*

Prob. Experientia, nam, ex dictis et ex Cosmologia (n. 90), in animalibus habentur manifestationes sensationis, etiam internæ : sic ovis lupum fugit non propter indecentiam coloris sed tanquam inimicum naturæ ; avis colligit paleas, non tanquam visu delectabiles, sed propter utilitatem ad nidificandum [3] : ergo etiam existit in homine æstimatorius sensus, qui :

a) *Differt ab aliis sensibus.* — Primo quidem a *sensu communi* : hic enim solummodo qualitates sensibus externis obvias, illa proprietates sensibus externis omnino impervias attingit. — Sed etiam a *phantasia et a memoria* differt : hæ sc. imagines reproducunt, illa judicat seu discernit ; hæ res absentes et præteritas, illa præsentes tantum percipit [4].

b) *Differt ab intellectu.* — Facultatis enim sensitivæ notas habet, — tum ex parte objecti, quod est singulare et materiale, — tum ex parte subjecti seu organi materialis cui inest, — tum ex parte modi, quo operatur (cf. Cosmol., n. 91).

Hinc elucet abusus recentiorum, qui intelligentiam tribuunt animalibus. Sic, v. g., Flourens : « L'instinct est à peu près toute l'intelligence des animaux inférieurs : l'intelligence proprement dite commence avec les animaux supérieurs : la raison n'appartient qu'à l'homme [5]. » Et clarius naturalista de Quatrefages :

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 329 ; — **Mercier**, *Psych.*, t. I, n. 122-125 ; — **Fonsegrive**, *Psych.*, lect. x. — 2. **Fonsegrive**, *Ibid.* ; — **Fabre**, *Souvenirs entomolog.* — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78. a. 4. — 4. **E. Blanc**, *Philos.*, t. II, n. 856, — 5. **Flourens**, *De la vie et de l'intellig.*, 1re part., ch. VII, 72-78.

« Les animaux raisonnent ; ils sont donc intelligents [1]. » Recentius, D. Bergson : « Instinct et intelligence sont deux développements divergents d'un même principe [2]. »

68. Quænam sint de *natura instinctus* variæ theoriæ ?

Instinctus est modus operandi æstimativæ et duplex concipitur : vel plasticus, si nempe vi tendentiæ mechanicæ ad modum automati agit animal, vel cognoscitivus, si vi alicujus imaginis æstimatæ movetur ejus appetitus ad agendum. Hanc ultimam sententiam propugnat sequens

THESIS

Æstimativa, non plastica, sed cognoscitiva est facultas.

I. *Non est plastica.* — Natura enim brutorum est sensibiliter cognoscitiva. Sed omnis cognitio appetitum, et, mediante appetitu, locomotivam movere nata est. Ergo non mere plastici, sed etiam cognoscitivi sunt motus instinctivi. — Hoc si negetur, vana brutorum cognitio, contradictoria eorumdem natura, similis in eis et in vegetalibus operatio, verus denique mechanicismus dicatur oportet. — Quædam sane facta explicaret habitus cæcus, non autem omnia, v. g., cur aranea telam casu laceratam reficiat, et sexcenta id genus [3].

II. *Est vere cognoscitiva* : — Nempe, omni « agenti per naturam prædeterminantur ab aliquo intellectu superiori finis et media ad finem necessaria [4] » ; hæc autem dicimus æstimativam discernere seu judicare, licet hoc judicium non sit liberum sed a natura inditum. Quod variis modis explicatur :

A. — Per *infusionem* a Deo continuam imaginum in sensibus animalium. — Hæc autem assistentia, in sensu Malebranchii, loco causarum secundarum, minime admitti potest.

B. — Per innatas imagines et per innatam imaginum *tendentiam*, qua impellitur animal ad opus agendum. — Hujus enim ope intelligi commode potest, cur ante omnem acquisitam perceptionem, animal recenter natum aquam, grana et alia jam non apprehensa quærere valeat [5].

C. — Per *quamdam* tandem *facultatem cognoscitivam*, quæ, sola quidem innata, pro variis adjunctis sive externis sive internis et organicis, operis faciendi elicit imaginem, vi cujus opus ante executionem confuse, perfectius autem dum fit et dum est factum, cognoscitur. Ita verius cum S. Thoma [6].

1. *Hist. gén. des races humaines*, p. 51. — 2. **Bergson**, *L'Evolution créatrice*, p. 182, 191. — 3. **Mercier**, *Psych.*, t. I, p. 123-127 ; — **Farges**, *Le Cerveau*, p. 328-333. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 4. — 5. **Farges**, *Ibid.*, p. 330. — 6. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 4 ; — q. 59, a. 3 ; — 78, a. 4 ; — *Quæst. disp., de Veritate*, q. 24, a. 2,

Hinc distinctæ partes adscribuntur æstimativæ : non enim quælibet cognitio movet, sed cognitio boni et mali sensibilis. — Porro æstimativa potius *ex instinctu judicat* quam est ipsemet instinctus : sicque instinctus est modus operandi æstimativæ concomitans et subsequens.

69. Quodnam sit in vita *momentum* æstimativæ ?

A. — *Animalibus* multipliciter necessaria dicenda est æstimativa : « Necesse enim est animali ut quærat aliqua vel fugiat, ad sui conservationem et reproductionem. » Hæc autem, quasi providentia secunda, lucet in eis, ut servetur individuorum vita, servetur et species. Hujus ope etiam mira artificia producuntur, ut videre est apud Virgilium, Buffon et naturalistas hodiernos [1].

B. — *In homine* etiam realis est nec spernenda facultas. *Realis* quidem, nam homo ipse omnes animalium facultates possidet : ideo reales sunt etiam æstimationes instinctivæ, quæ præcedunt, comitantur vel sequuntur judicia intellectus. *Nec spernenda* sane, licet minus necessaria, nam multum inservit vel in pueritia, vel quando dormitat ratio, et in hisce motibus quibus præire potest tantum æstimatio instantanea.

Hinc est cur in homine, utpote nobilior, et unita parti intellectivæ, vocetur *vis cogitativa* seu *ratio particularis*, quia procedit per quamdam *cogitationem* et *collationem* intentionum singularium sub natura communi. Unde « apprehendit individuum ut *existens sub natura communi*, v. g., hunc hominem prout *est hic homo* [2] » : non sic naturalis æstimativa animalium.

Huic adscribi debent multa præjudicia, antipathiæ vel sympathiæ. Unde optime E. Blanc : « L'homme qui se laisserait conduire par ses premières impressions serait un insensé, l'esclave de ses goûts et de ses passions ; mais l'homme qui ne consulterait pas ses penchants naturels, ses goûts et ses jugements intinctifs, serait peut-être non moins imprudent. Que de fois les premiers jugements ont été, à l'examen, reconnus les meilleurs ! [3] »

70. *Cor. gen.* — **Hinc sensus omnes *specifice distinguuntur* [4].**

Est contra *plures recentes*, v. g., Taine, H. Spencer, qui omnes sensationes, internas aut externas, quæcumque sint,

1. **Fabre**, *Nouv. Souven. entomologiques* ; — **H. Joly**, *L'homme et l'Animal* ; *L instinct* ; — **Flourens**, *L'instinct*. — 2. **S. Thomas**, in *II de Anima*, lect. 13 ; — **Cf. Card. Gonzalez**, *Philosophia elementaria*, Psychologia, *de Æstimativa et Cogitativa*. — 3. **E. Blanc**, *Traité de Phil.*, t. II, n. 854 et 855. — 4. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 333-340.

ad motus impulsuve nervorum « *choc nerveux, choc mental* », identicos, sed diverse permixtos, revocare conantur [1].

En hujus *argumentationis* summa, quæ in analogia reponitur : — omnia *physicæ* phænomena ad unum motum localem reducuntur ; item, juxta *chimicos*, corpora composita ad simplicia, simplicia forsan ad identicæ speciei atomos reduci possunt. Ergo, a pari, in *Psychologia*, omnes sensationes reduci debent ad unam sensationem elementarem, cujus cæteræ sunt variæ combinationes. Sic, v. g., de facto, soni mille undarum oceani unam sensationem soni producent.

Resp. 1° *Nego* suppositum ; nam — *a*) Phænomena physica absolvuntur quidem per motum localem, non vero solo motu locali constant. — *b*) Corpora chimica, tum composita, tum simplicia specifice distinguuntur. — *c*) Denique non est unica sensatio soni, nisi quando mille vibrationes conjunctæ simul unam tantum in organo faciunt impressionem.

2° *Nego* paritatem : secus enim esset sophisma transitus de genere ad genus. — Revera hujusmodi theoria falsis nititur analogiis, nec est aliud quam purus materialismus, qui ex eadem materia per varias evolutiones cuncta deducit, et, sub prætextu unitatis, omnia facit identica, omnia miscet confunditque, ita ut dicere ausus sit Taine : « La substance de l'âme est résoluble en chocs nerveux [2] » (n. 150).

ARTICULUS III.

De Appetitu sensitivo [3].

Dicemus 1° de *appetitus Natura* ; 2° de *Passionum theoria*

§ I. *De appetitus sensitivi Natura.*

71. *Quid* sit et *utrum* sit in homine appetitus sensitivus ?

A. — Appetitus sensitivus est *ea facultas per quam bonum quatenus materiale et sensu apprehensum prosequimur.*

1° Est *facultas* quidem *specialis*, sicque differt ab appetitu *naturali*. Hic enim reperitur in singulis facultatibus, imo in omnibus entium naturis, etiam inanimatis, nam omne ens habet suam inclinationem [4] ; ille tantum entibus cognosciti-

1. **Rabier**, *Psych.*, ch. XI, p. 109-126. — 2. *L'intelligence*, p. 157. — 3. **Mercier**, *Psych.*, t. I, n. 132-142 ; — Cf. **Ribot**, *La Psychologie des sentiments.* — 4. **Gardair**, *Les Passions et la Volonté*, p. 6-20 ; — Cf. *Sum. Theol.*, p. I, q. 80, a. 1 ; — *Cont. Gent.*, L. III, c. 2 et 3.

vis competit et ideo vocatur appetitus *cognoscitivus*. Hinc sola animalia habent appetitum sensitivum, sed, sicut inorganica et vegetativa, habent etiam appetitum naturalem (n. 22).

2º Est *facultas* per quam prosequimur *bonum*. Porro cognitio est rerum motus ad mentem, appetitio autem est motus mentis ad res, et ideo facultates cognoscitivæ, quibus res sensibiles innotescunt, differunt a facultatibus *appetitivis* quibus bonum sensibile prosequimur. — Hinc rejicitur exaggeratio theoriæ, vulgo dictæ « des Idées-forces », vi cujus, juxta Fouillée (n. 61), cognitio non tantum conditio, sed ipsa esset sine ulla appetitione boni, initium motus ad ipsum [1].

3º Hæc facultas prosequitur bonum *quatenus materiale*, sic animal invicte fertur in bonum per sensus apprehensum. Unde appetitus ille sequitur cognitionem sensitivam et differt ab appetitu *rationali*, qui aliquando fertur etiam in res singulares, sed sub ratione universali.

B. — Porro talis propensio *existit in homine*, tum quia homo animalium essentiales habet dotes, tum quia, teste experientia, ad res sensibiles appetitum allicientes enixe sollicitamur. — Estque in ipso *sensitiva* et in se libertate *carens*. Ratio est quia cognitio, qua generatur, nullam comparationem instituit cum bono universali. Unde non solum ab appetitu rationali differt, sed sæpe adversus eum concupiscit, juxta illud : « Caro concupiscit adversus spiritum... [2] » (n. 96). — Est tamen « aliquo modo in potestate nostra [3]» et per rationem regi potest et debet.

72. *Quotuplex* sit appetitus sensitivus ?

A. — *Divisio.* — Bonum sensibile, physice et concrete spectatum, est objectum materiale appetivus sensitivi. Quod quidem sub duplici aspectu formali nobis occurrere potest : scilicet bonum sensibile vel est *delectabile* et obtentu *facile*, vel *arduum* et propter quoddam impedimentum obtentu *difficile*. Unde distinguunt appetitum *concupiscibilem* et appetitum *irascibilem* : unus versatur circa bonum delectabile, alter vero bonum arduum prosequitur : « Les anciens philosophes appellent appétit concupiscible celui où domine le désir ou la concu-

1. Cf. **E. Blanc**, *Traité de Philos.*, t. II, n. 883 ; — **Farges**, *Le Cerveau*, p. 402. — — 2. *Ad Galat.*, V. 17. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 17, a. 7.

piscence ; et irascible celui où domine la colère. Cet appétit a toujours quelque difficulté à surmonter, ou quelque effort à faire, et c'est ce qui émeut la colère [1].

B. — *Demonstratio* [2]. — Jamvero « hæ duæ inclinationes non reducuntur in unum principium » ut ait S. Thomas, sed sunt facultates realiter distinctæ, quod demonstratur :

a) Ex objectorum et actuum discrimine ; — non enim bonum quod imaginatur facile idem est ac bonum quod æstimatur ut sic arduum, nec concupiscere idem ac aggredi hostiliter : hic luctaminis, ille fruitionis appetitus est.

b) Ex diversitate propensionis in duabus istis potentiis — quæ etiam interdum opposito modo procedunt, nam « concupiscentia accensa minuit iram, et ira accensa minuit concupiscentiam, ut in pluribus [3] ».

Nec *dicant* Suareziani et Scotistæ, qui distinctionem rationis tantum admittunt, ejusdem esse facultatis concupiscere bonum et eligere iram, sicut intendere finem et eligere media pariter ad finem.

Respondent enim Thomistæ : — 1° Alia est facultas quæ eligit, et alia quæ elicit actum, nam voluntas eligit attentionem, solus autem intellectus illam præstat : ita in ordine sensibili alia est quæ concupiscit et alia quæ irascitur. — 2° concupiscentia non potest eligere sibi contrarium : porro talis est natura boni ardui, ut concupiscentiæ repugnet.

73. Quænam sit *sedes* seu organum appetitus sensitivi ?

Quoniam appetitus est facultas organica, sedem in corpore determinatam habeat oportet : quamnam vero, controvertitur.

A. — Sententia Aristotelis, S. Thomæ [4], Suarezii [5], a pluribus neoscholasticis [6] admissa, tenet cor esse « instrumentum passionum animæ [7] » seu organum appetitus sensitivi ; sicque ab ipsis *explicatur*, *suadetur* et *probatur* [8].

a) *Explicatur*. — Est *cor* musculus conicus quatuor cavitates, duas nempe auriculas, duosque ventriculos amplectens, in medio pectore costas inter et sternum positus. Porro, cordi, ut aiunt « organe paradoxal », inest vis mira et ingens (40.000 kilogrammètres en 24 heures) ad impellendum sanguinem rubrum ad

1. **Bossuet**, *Connaissance de Dieu et de soi-même*, c. I, n. 6 ; — Cf. **Bourquard**, *Théorie de la connaissance*, p. 118.— 2. Cf. **Gardair**, *Les Passions et la Volonté*, p. 59-65. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 81, a. 2. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 48, a. 2, c ; — *Opusc.* 61, *De dilectione Dei et proximi*, c. 19. — 5. *De Anima*, L. V, c. VI, n. ult. — 6. **Vallet**, *La tête et le cœur* ; — **Billot**, *de Verbo incarnato*, V^e^ édit., p. 365. — 7. *Sum. Theol.*, *ibid.* — 8. **Bainvel**, *Dict. de Théol. cath.*, art. *Cœur de Jésus.* — **De Cyon**, *Nerfs du cœur*, *Dieu et science*, p. 161-163 ; — **Dr Grasset**, *Introd. physiol.*, p. 353 ; — **S. Franç. de Sales**, *Traité de l'amour de Dieu*, VI-XV.

extremas corporis partes, quumque sit primum vivens, ultimumque moriens, centrum fit omnis motus vegetativi. Unde poterit etiam esse principium motus appetitivæ partis modo nervis pneumo-gastricis cum cerebro uniatur.

b) *Suadetur.* — Sic enim opinatur vulgus, loquuntur homines, ipsa Scriptura Sacra : « J'ai le cœur brisé,... lætatum est cor meum... etc... » — Sic, debita proportione, vita cognoscitiva in cerebro, affectiva autem in corde distribuitur.

c) *Probatur* vero, nam illud est organum appetitus, quod est subjectum in quo et per quod efficitur appetitio seu passio : porro, teste conscientia, cor transmutatur in passionibus, et a corde procedit motus iræ et concupiscentiæ : ergo cor est organum appetitus sensitivi.

B. — *Impugnatur* tamen variis argumentis illa opinio quæ a recentioribus physiologis et philosophis rejicitur :

1° Organum ad suum munus implendum aptum esse debet : porro cordis nulla est proportio cum affectione, sed circulationi sanguinis tantum inservire posse videtur ; ergo motus, non affectus est organum.

2° Cor est musculus : atqui musculorum functio non est sensibilitas, sed tantum motus ; ergo motus, non affectus est organum.

3° Cerebrum sedes est cognitionis sensitivæ : ergo pariter appetitus ; secus appetitus, a centro cognoscitivo separatus, non posset ad bonum ferri, nam ignoti nulla cupido.

4° Ibi est appetitus, ubi radix motus jacet : hæc autem in cerebro tantum reperitur, ad quod tendunt nervi sensibiles et ex quo redeunt nervi motores.

5° Juxta physiologos, præsertim Cl. Bernard [1], constat læsionibus cerebri non cordis, functiones appetitus impediri.

Ad justificandas autem locutiones vulgi et S. Scripturæ, quibus cor habetur ut amoris et passionum symbolum, sufficit cor esse principale organum quo passiones exterius manifestantur : quod ab omnibus conceditur [2].

§ II. *Passionum Theoria* [3].

74. Quid sit appetitio seu *passio* appetitus sensitivi ?

Motus vehemens appetitus sensitivi, ortus ex apprehensione boni vel mali sensibilis, dicitur *passio*... Hic, inquam, motus — 1° oritur ex *apprehensione* aliqua, sive sensu, sive phantasia fiat ; — 2° *duplex* est ejus directio, prout fertur ab bonum vel avertitur a malo sensibiliter apprehenso ; — 3° recte vocaretur *appetitio*, sicut actus intellectus dicitur intellectio ; — 4° si tamen sit vehementior, melius dicitur *passio*.

1. *La Science expérimentale.* — 2. Cf. Dr **Surbled**, *La Vie effective* ; — **Mercier**, *Psych.*, t. I, n. 142 : — **R. P. Janvier**, *Carême*, 1905, 1re conf. — 3. **Gardair**, *Les Passions et la Volonté* ; — **S. Thomas**, *in hac re fusior*, 1a 2æ, q. 22-48.

Prob. — Revera « nomine passionis importatur quod patiens trahatur ad id quod est agentis [1] » (Ontol., n. 135). Porro hoc in sensu et vi appetitus sensitivi, homo maxime patitur, — tum quia appetitio sensibilis fieri nequit sine aliqua organi, nempe cordis, commotione, quæ sanguinis undas ad alias corporis partes transfert, et exterius, maxime in mimica vultus, manifesta fit ; — tum quia appetitio non est receptio objecti, sed potius tendentia ad objecta sensibilia, ad quæ proni sumus etiam inviti, et quibus inclinatur voluntas ipsaque ratio, appetitui sensitivo naturaliter obediens[2]. Hæc ergo tendentia, si fuerit intensa, hæc organi transmutatio, si fuerit vehementior, quasi antonomastice dicitur passio.

Hinc passio *per se* non est mala, sed est motus naturalis, imo necessarius in ente sensitivo. Nec mala fit nisi per accidens, id est, vel ratione excessus in commotione organica, vel ratione objecti cui applicatur, ut, v. g., voluptas, auri sacra fames, etc. Unde passiones, si quando a moralistis, non a philosophis inclinationes *perversæ* dicendæ sunt [3].

Hodiedum sæpe, passio minus recte tamen, vocatur *emotio*.

75. *Quotuplex* sit passio ?

Undecim ordinarie passiones numerantur, ex quibus sex referri possunt ad appetitum concupiscibilem, et quinque respiciunt appetitum irascibilem.

En earum *genesis*. Tot erunt passiones, quot excitantur motus formaliter diversi in appetitu sensitivo. — Atqui

1° In appetitu concupiscibili, bonum, quia habet virtutem attractivam, tres generat motus : vel enim simpliciter apparet, et oritur *amor* ; vel est futurum, et *desiderium* ejus habetur ; vel præsens, et *delectatione* cor afficitur. — E contra, malum quod habet virtutem repulsivam, ubi apparet, *odio* detestamur ; si adhuc futurum, ab eo *fuga* avertimur ; si præsens, *tristitia* cruciamur.

2° In appetitu irascibili, bonum et malum vel *absens*, vel *præsens* habetur. — In primo casu, bonum arduum absens, si acquisitu possibile videtur, *spem* erigit ; si impossibile, in *desperationem* cor dejicit. Similiter malum arduum absens, si superabile apparet, *audaciam* accendit ; si insuperabile, mem-

1. *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 22, a. 1 et 2. — 2. **Gardair**, *Les Passions et la Volonté*, p. 40-54. — 3. Contra **Rabier**, *Psych.*, p. 517.

bra *timor* invadit. — In secundo casu habetur tantum *ira*, propter præsentiam mali ardui : nam præsentia boni ardui nullum excitare valet motum in irascibili, sed tantum in concupiscibili gaudium ; malum vero præsens, quod in eodem concupiscibili tristitiam causat, iram insuper seu motum agressivum et defensivum producit in irascibili.

Quomodo pudor, invidia, æmulatio, stupor, — item inquietudo, sollicitudo, pavor..., reducantur ad prædictas passiones, ex dictis commode deducitur, et fusiori stylo evolvit S. Thomas[1].

76. Utrum et quatenus *amor sit* passionum *fons* communis ?

A. — Omnes hominis passiones referri possunt ad amorem, et ex eo tanquam e fonte communi oriuntur. Hinc provenit utraque directio passionum, sive sit tendentia ad bonum sive sit fuga mali ; hinc ipse appetitus irascibilis in amore principium habet et ad amorem terminatur.

Ad rem apposite Bossuetius : « Nous pouvons dire, si nous consultons ce qui se passe en nous-mêmes, que nos autres passions se rapportent au seul amour et qu'il les renferme ou les excite toutes. La haine de quelque objet ne vient que de l'amour qu'on a pour un autre. Je ne hais la maladie que parce que j'aime la santé. Je n'ai d'adversion pour quelqu'un que parce qu'il m'est un obstacle à posséder ce que j'aime. Le désir n'est qu'un amour qui s'étend au bien qu'il n'a pas, comme la joie est un amour qui s'attache au bien qu'il a. La fuite et la tristesse sont un amour qui s'éloigne du mal par lequel il est privé de son bien et qui s'en afflige. — L'audace est un amour qui entreprend, pour posséder l'objet aimé, ce qu'il y a de plus difficile, et la crainte un amour qui, se voyant menacé de perdre ce qu'il cherche, est troublé de ce péril. L'espérance est un amour qui se flatte qu'il possédera l'objet aimé, et le désespoir est un amour désolé de ce qu'il s'en voit privé à jamais, ce qui cause un abattement dont on ne peut se relever. La colère est un amour irrité de ce qu'on veut lui ôter son bien, et s'efforçant de le défendre. Enfin ôtez l'amour, il n'y a plus de passions, et posez l'amour, vous les faites naître toutes. »

« Outre ces onze principales passions, il y a encore la honte, l'envie, l'émulation, l'admiration et l'étonnement et quelques autres semblables : mais elles se rapportent à celles-ci.... L'inquiétude, les soucis, la peur, l'effroi, l'horreur et l'épouvante ne sont autre chose que les différents degrés et les différents effets de la crainte[2]. »

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, p. 26-48. — 2. *Conn. de Dieu et de soi-même*, c. 1, n. 6.

B. — Hanc genesim passionum exprimit tabula sequens :

Ex *amore* boni producitur	A. In concupiscibili	versus malum ut bono oppositum		1. *odium.*
		deinde	boni futuri	2. *desiderium.*
			mali futuri	3. *aversio.*
			In bono præsenti	4. *delectatio.*
			In malo præsenti	5. *tristicia.*
	B. In irascibili	circa bonum arduum absens	si possibile	1. *spes.*
			si impossibile	2. *desperatio.*
		circa malum arduum absens	si superabile	3. *audacia.*
			si insuperabile	4. *timor.*
		circa malum arduum præsens		5. *ira.*

Quapropter erravit Cartesius qui, novam passionum theoriam molitus, sex tantum passiones invenit, inter quas primam posuit *admirationem*, quæ ne passio quidem est, sed emotio contemplantis (n. 105) [1].

77. Hinc apparet *momentum* passionum in vita hominis.

A. — Ex triplici capite desumitur vis passionum. Sunt quidem *permultæ* ; nihil est enim quod non prosequi possimus passione, etiam spiritualia, modo tantum a phantasia repræsententur : unde quot objecta, tot possunt esse passiones, materialiter saltem distinctæ. — Sunt et *necessariæ* : has enim nemo non experitur, et frustra Stoici eradicare tentaverunt : harum proinde motum vel sequatur oportet voluntas, vel ipsis suam conferat directionem et præbeat terminum. — Tandem, per se quum sint *indifferentes*, ex sua aptitudine in utramque partem habent quod modo vitiis, modo virtutibus, pro variis individuis, sociantur et inserviunt.

B. — Passionum porro influxus in totam vitam redundat :

1° In *vitam physicam* ; passio nempe multiplicat activitatem, nam sive præviis appetitus motibus nulla est motio nec locomotio, dum e contra ex multitudine passionum varietas actionum fit magna nimis, etiam apud animalia. Adde quod quædam passiones in morbos et sanitatem influunt, et etiam mortem causare possunt, v. g., tristitia, « quæ magis nocet corpori quam aliæ passiones [2] ».

2° In vitam *intellectualem* ; nam, ex una parte, ut aiunt : « L'esprit est souvent la dupe du cœur », ex altero vero, in

1. E. Blanc, t. II, n. 893-903. — 2. Cf. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 37, a. 4.

multis verum est dicere : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum (veritatem) videbunt [1]. »

3° Denique in vitam *moralem* ; nam passiones bonitatem et malitiam, meritum et demeritum diminuunt, vel augent[2] : minuunt, si nempe quis bonum aut malum facit sub impulsu passionis potiusquam voluntatis ; augent, si quando voluntas motum passionis antecedentem confirmat, vel consequentem secum trahat in bonum vel in malum (Eth., n. 32).

ARTICULUS IV.

De Vi motrice seu Locomotiva[3].

Sicut sensus prior est in ordine experientiæ intimæ, ita in ordine experientiæ externæ locomotiva prior apparet : hæc vero sensationi posterior est in ordine rei [4]. Unde

78. Utrum sit et quid sit in homine *vis motrix* ?

A. — Certum est vim motricem hominibus *inesse*. Nam homo res exteriores sæpius appetit, v. g., cibum, indumentum et alia similia : sed res istas exteriores assequi non valet, alligata vi motrice ; ergo, non secus ac « omne animal, ad consequendum aliquod desideratum et intentum, movetur..., secundum locum..., ad rem exteriorem, sicut ad terminum operationis et motus [5] ».

B. — Vis motrix, quæ dicitur etiam *locomotiva* et potestas exequendi, recte definitur : *facultas organica per quam anima corpus secundum locum movere potest.*

1° Vocatur *facultas* ; non enim est mera corporis proprietas, ut multi recentes opinantur.

2° Est facultas *organica* ; nervis enim motoribus utitur velut organo seu instrumentis ad suas actu exercendos.

3° Per vim motricem anima *corpus movet*. Ex quibus verbis passim colliges : — *a*) contra plures, hanc facultatem ab aliis discriminari ; non est enim cognoscitiva, nec appetitiva, sed executiva motus secundum locum ; — *b*) contra Cartesium, Malebranchium et Leibnitzium, animam realem influxum habere in corpus humanum ; — *c*) imo animam esse vis mo-


1. *Matth.*, V, 8. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 24, a. 3. — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, 2e part., ch. 1 ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. I, n. 143-149 ; — **Pierre Janet**, *L'automatisme psychologique*. — 4. **Farges**, *ibid.*, p. 231-132. — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 1.

tricis primarium principium, corpus autem (nerfs et courants nerveux) haberi tanquam medium aut instrumentum.

79. Quotuplici modo *exerceatur* actus locomotivæ ?

Duplici modo, nam vel exercetur sub imperio voluntatis ut infra (n.81), vel sub influxu appetitus sensitivi et sua sponte : en actus spontanei, instinctivi, inter quos annumerari debent motus qui *reflexi* a recentibus nuncupantur : juxta nos enim, actus reflexi sunt locomotivæ sensitivæ proprie actus. Unde

A. — *Sic* generatim efficiuntur actus locomotivæ *reflexi*. In primis, sensatio afficit organum externum, et per nervum sensitivum centrum petit, seu cellulam centralem in medulla spinali. Dein cellula, reagendo per nervum motorem, musculum cui alligatur contrahit et movet[1]. Ideo excitatio sensibilis centrum petit, sed reactio motrix centrum fugit, ut in figura contraposita manifestum fit.



B. — Quod si impressio organica a medulla spinali ad cerebrum usque transmittitur, habentur *reflexi conscii*, v. g., tussis, sternutamentum : secus sunt *inconscii*, quos sine ulla conscientia producunt hypnotici, apoplectici, somnambuli ; item homo, rana, canis, quibus caput amputatum est[2]. — Præterea motus alii sunt *naturales* seu *innati*, v. g., motus æquilibrii ; alii vero sunt *acquisiti*, v. g., motus digitorum in scribendo, aut in organo pulsando.

80. Hinc vis motrix *sensitiva*, non mechanica, est facultas.

Probatur contra materialistas, et plures recentiores[3].

A. — *Ratione*. Ille enim motus non est mere mechanicus qui impressioni receptæ non proportionatur, et ad finem intentum ordinatur. Atqui talem esse actum reflexum haud ægre videtur : sic — 1° nulla est proportio, v. g., inter sternutamentum et pituitoriæ excitationem, vel inter plantarum pedis levem frictionem et convulsiones quas producit..[4] ; — 2° reactio nervi motoris naturæ sensationis et appetitus perfecte respondet, et cum ea variatur quasi ex intentione[5]..., v. g., in motibus reflexis, sive defensivis, sive offensivis, ranæ cui caput

1. Farges, *Ibid.*, p. 26. — 2. Farges, *Ibid.*, p. 243-256. — 3. Cf. Alibert, *Psych.*, p. 146-8. — 4. Farges, *Ibid.*, p. 235. — 5. Farges, *Ibid.*, p. 285-261.

ablatum est. Ergo actus reflexus non est mere mechanicus.

B. — *Experientiæ* fere innumeræ, sive vulgo, sive doctis probatæ, cunctæ demonstrant distantiam magnam intercedere inter motus automatorum et motus quos reflexos vocant[1].

Nec dicas *reflexos* ab excitatione externa fieri sicut automaticos ab interna. — Nam e contra vel, hoc concesso, sedulo secernendi sunt a *motibus vegetativis*. Sunt enim plures motus vitæ vegetativæ, qui fiunt sine appetitus aut sensibilitatis concursu, nam omnis operatio, præsertim organica, motus est et per motum absolvitur (Ontol., n. 137) ; tales sunt motus contractionis musculorum, quibus præsertim explicantur motus cordis et pulmonum, respiratio, circulatio sanguinis, etc. Hi porro plastice, absque prævia sensatione, efficiuntur ; illi vero (reflexi) non absque sensatione, nam ratio illorum est appetitio, sicut appetitionis ratio est sensitiva impressio[2].

81. Utrum vis motrix ab appetitu *moveatur* et *secernatur*[3] ?

I. — *Movetur* ab utroque appetitu sed aliter et aliter :

1º *Appetitus sensitivus* ex se potest movere locomotivam ; nam valet in homine appetitus sensitivus quod in brutis, et quidem a fortiori : in brutis autem, appetitus sensitivus imperat motus locales. — Non tamen ordinarie movet, contradicente voluntate. Etenim « potentia (superior) quæ respicit finem universalem, movet » et consequenter impedit moveri, « potentias quæ respiciunt fines particulares[4] ». Porro voluntas respicit hominis finem ultimum et universalem, appetitus autem finem particularem et priori subordinatum. Ergo appetitus nequit agere contra imperium voluntatis, ut aliunde constat experientia, saltem quoties ordo naturalis concupiscentia et peccato non turbatur.

2º *Voluntas*, e contra, potest motricem movere, etiam contradicente appetitu sensitivo. Revera, ut experientia constat, voluntas despoticum exercet dominium in motus locales, v. g., in motus pedum et brachiorum : aliunde hoc facit aliquando renuente appetitu sensitivo, v. g., quum amore Dei martyres tradunt corpus ad supplicia. Ergo ex se et contra appetitum voluntas movet vim motricem.

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 242-260. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 240. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 3, ad 3 ; — q. 78, a. 1, ad 4. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 82, a. 4.

II. — Hinc ab appetitu sensitivo *distinguitur*. Nam in potentiis organicis, quæ super seipsas reflectere nequeunt, alia est facultas quæ imperat, et alia quæ obedit et elicit actum imperatum. Porro appetitus sensitivus imperat motum, vis autem motrix illum exsequitur. Ergo hæc ab illo distinguitur.

Confirmatur, — tum *experientia* vulgari, cujus ope constat appetitionem sine motu existere posse et vicissim ; nam sæpius, imperante appetitu, membra non moventur, quia ligatur vis motrix, vel e contra, renuente appetitu sensitivo, movetur corpus a voluntate, ut, v. g., corpus martyris ad tormenta ; — tum *scientificis* experimentis physiologorum, præsertim Cl. Bernard, qui veneno inficientes nervos sensibiles aut motores, sensibilitatem sine vi motrice, aut vim motricem sine sensibilitate, de facto existere posse, mirifice probaverunt [1].

CAPUT TERTIUM.

DE POTENTIIS VITÆ INTELLECTIVÆ.

Ultimus in homine vitæ gradus est vita rationalis. Hæc porro facultatibus exercetur, quæ ad duplicem classem revocari possunt, videlicet ad cognoscitivas et appetitivas, seu ad *Intellectum et Voluntatem*. Unde duplex erit articulus.

ARTICULUS I.

De Intellectu.

Ea quæ spectant ad intellectum in quatuor paragraphis absolventur : 1° De *Natura* intellectus ; — 2° De *Objecto* intellectus ; — 3° De intellectu *Agente et Possibili* ; — 4° De variis *Officiis* intellectus.

§ I. *De Natura intellectus* [2].

82. Quid sit *intellectus* et quomodo differat a sensu ?

A. — Quoad *nomen*, intellectus « quamdam intimam cognitionem importat ; dicitur enim intelligere, quasi « intus legere [3] » seu potius, juxta recentes, « inter legere [4] ». Quoad *rem* definitur : *facultas inorganica per quam anima res quatenus immateriales apprehendit.*

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 34, 52, 240. — 2. **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 162-173 ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 8, a. 1. — 3. **E. Blanc**, t. II, n. 864 *bis*. — 4. *Sum, Theol.*, *ibid.*

Dicitur — 1. *facultas* : et hoc est genus definitionis remotum ; 2. — *inorganica*, unde pertinet ad altiorem ordinem, quam potentiæ vegetativæ et sensitivæ, quæ sunt e contra organicæ ; 3. — per quam anima *res apprehendit*, et ita discrepat a voluntate, quæ easdem ab intellectu cognitas appetit ; 4. — et quidem res, *quatenus immateriales*, et ideo differt a sensibus ; res enim, in quantum materiales, modo sensibili primum percipiuntur.

B. — Hinc, *triplex* viget *discrimen* inter intellectum et sensum : — 1um ex parte *objecti* ; res enim quatenus materiales et singulares sunt sensus objectum ; in quantum universales et a materia abstractæ, per intellectum cognoscuntur, juxta illud : « sensus est particularium, intellectus vero universalium » ; — 2um ex parte *subjecti* ; nam sensus inhæret organo, non intellectus ; — 3um ex parte *exercitii* ; nam modus operandi sequitur esse ; sed altior natura intellectus ; ergo virtuosior erit ejus operatio. Revera dum sensus ad unum determinatur, intellectus diversis actibus in objectum universale fertur, nempe perceptione, judicio, ratiocinio, reflexione, etc.

83. Utrum intellectus revera sit facultas *solius animæ* ?

Hanc veritatem negant materialistæ, pervertunt sensistæ, in periculo ponunt Cartesiani. Alii enim intellectum esse materialem contendunt, alii intellectum ad sensum reducunt, alii sensum ad intellectum revocant. Sit igitur

THESIS

Intellectus est facultas spiritualis et inorganica [1].

Prob. ex triplici discrimine præcitato intellectus et sensus.

I° *Ex objectis.* — Revera intellectus — attingit omne ens, sive reale, sive possibile ; — concipit res immateriales, ut sunt Deus, anima, angeli ; — cognoscit universalia, v. g., verum, bonum, jus, officium ; — resque materiales et extensas apprehendit modo immateriali et inextenso, v. g., equum, lapidem, hominem in genere. Porro circa hæc quatuor impotens est omnino facultas organica : ergo intellectus non est organicus.

Probatur *minor.* Nulla enim facultas versari potest circa objectum sibi non proportionatum ; porro facultas organica, quum nihil sit nisi organum animatum, est omino limitata,

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 88, a. 2, ad 3.

— determinata ad unum, — aliquatenus materialis, — necnon extensa ; ergo facultas organica ad infinitum, universale, immateriale et inextensum minime proportionatur.

Ergo oportet ut intellectus sit spiritualis sicut intelligibile, cum intellectus et intelligibile in actu sint unum [1].

II° *Ex operationibus.* — Actus intelligentiæ sunt apprehensio ideæ, judicium et ratiocinium, reflexio ; hæ autem operationes a facultate organica elici non possunt ;

1. Non *apprehensio* ideæ ; nam idea, v. g., veri aut boni non figuratur, non pingitur, non sentitur, modo materiali non imaginatur, sed concipitur sine formis extensis. Imo idea imagini phantasiæ contraria est, nam imagini confusæ et imperfectæ idea clara et perfecta respondere potest, v. g., difficile circulus perfectus aut myriagonon imaginantur, dum clare et optime intelliguntur. Ergo idea, quæ est immaterialis, a facultate organica elici non potest.

2. A fortiori nec *judicium* aut *ratiocinium* ; quæ requirunt apprehensionem identitatis, i. e., relationis idealis inter duas ideas, vel immediate, vel mediante tertia idea.

3. Denique nec *reflexio*, nam materialitas organi impedit quin reflexio hujusmodi a facultate organica fiat. Ita, v. g., nunquam linea extensa, aut radius solis in seipsum reflectitur, sed alia pars in aliam partem tantum replicari potest.

III° Ex *conditionibus exercitii* intellectus. Nam facultas organica ut plurimum passiva est, organi vicissitudines sequitur, et, eo læso, destruitur ; non ita intellectus, qui circa objectum suum multa active operatur, ex se non pendet a temperamento, organo cerebrali non proportionatur, et, senescente cerebro, sæpius suum adauget vigorem, ut fusius infra videbitur (n.162).

« Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens [2]. »

84. Cor. circa *independentiam* et *superioritatem* intellectus [3].

A. — *Extrinseca est dependentia intellectus a sensu.* Videlicet, sicut imaginatio pendet ab objectis externis, ita intellectus a sensuum imaginibus : hæc autem dependentia est objectiva et extrinseca, sed non afficit constitutionem subjectivam et intrinsecam facultatis. Unde, sicut imaginari sine objectis exte-

1. *In Metaphys.*, *procemium.* — 2. **Thesis Thomistica XVIIa.** — 3. **Mercier,** *Psych.*, t. II, 222-225.

rioribus, ita intelligere sine imaginibus, ut absolute possibile concipitur, quamvis in hac vita res nunquam, saltem naturaliter, ita se habeat, propter unionem corporis et animæ.

B. — *Homo essentialiter a bestiis differt intellectu.* Nam essentiale discrimen inter duo dici debet, quod est ratio cæterorum discriminum. Porro talis est intellectus : homo enim, quia est intelligens, ideo est organismo perfectior, — ideis, libertate et loquela præditus, — moralitatis capax et religionis, — ad societatem natus, — in operibus suæ artis perfectibilis ; animal vero hisce dotibus prorsus caret, quia ipsi deest intellectus[1] (n. 217). Ergo intellectus *essentiale* constituit discrimen inter hominem et animal[2].

Quapropter homo — qui « habet completissime virtutem sensitivam et perfectius [3] » — « animal rationale seu intellectivum » merito definitur, dum metaphorice tantum animal dicitur intelligere (n. 67).

§ II. *De Objecto intellectus.*

Objectum intellectus triplex est, sc. proportionatum, adæquatum, directum et indirectum seu per accidens. Unde :

85. Quodnam sit intellectus objectum *proportionatum*[4] ?

Respondet S. Thomas : « *Intellectus humani, qui est conjunctus corpori, proprium objectum est quidditas*[4] (quid sit res) *seu natura in materia corporali existens*[5]. »

Prob. — Objectum intellectui nostro proprium et proportionatum est illud, quod anima in præsenti unionis statu primario apprehendere potest. Atqui objectum hujusmodi est essentia seu quidditas rerum materialium, quod dupliciter constat :

a) *Experientia.* — Nam homo primum inquirit naturam eorum quæ sensus immediate perspiciunt : quod multa probant, imprimis conversio continua intellectus ad phantasmata (infra, n. 137), necnon relatio quam habent cum rebus sensibilibus omnes ideæ nostræ, quarum primariæ sunt simplices abstractiones essentiarum materialium, secundariæ vero a primariis derivantur (n. 141).

b) *Ratione.* — Nam inter objectum et facultatem cognosci-

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 420-460. — 2. **E. Blanc**, t. II, n. 864 *bis*. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 5. — 4. Cf. **Farges**, *La crise de la Certitude*, p. 108. — 5. **Thesis Thomistica XVIII**[a] ; — *Sum. Theol.*, p. 1, q. 84, a. 7.

tivam proportio requiritur : sed intellectus est forma spiritualis in materia existens ; ergo pariter illius objectum erit quidditas immaterialis « in materia corporali existens[1] ».

Corol. — Quapropter, sicut objectum intellectus angelici est immateriale purum, et objectum sensus animalis concretum materiale,ita objectum intellectus humani, qui inter utrumque mediat, est immateriale *in* materiali et *a* materia abstractum.

86. Quodnam sit intellectus objectum *adæquatum*[2] ?

Resp. : est *omne ens* seu ens in tota sua latitudine sumptum.

Prob. — Revera objectum adæquatum est id omne cui intellectus aliquo modo conformis fieri valet, id est, quidquid quocumque modo cognoscere potest. Atqui talia sunt omnia quæ habent rationem entis, dummodo nobis et modo captui nostro accommodato proponantur. Ergo communiter ipsum ens, in quantum est cognoscibile, est objectum intellectus.

Constat *minor experientia* : quippe præter ea, de quibus dictum est (n. 83, 85), alia quamplurima cognoscimus : id est quidquid *inductione* vel *deductione* infertur ex his quæ objectum proportionatum intellectus sunt ; sic e contingentibus ad necessarium, e finitis ad infinitum, e rebus creatis ad Creatorem ascendere possumus ; sic animam humanam, Deum et ejus attributa gradatim assequimur. — Nec satis, nam quidquid rite per *revelationem* aut *auctoritatem* edocemur, est objectum intellectus nostri ; hoc autem modo existentiam cujuslibet entis, pariterque illius naturam, saltem aliquatenus analogiis et negationibus, percipere possumus.

Corol. — Hinc intellectui adscribi debet nota quædam universalitatis et infinitatis, juxta illud Aristotelis : « Anima quodam modo (i. e., per assimilationem) est omnia entia[3]. »

87. Quod sit intellectus objectum *directum* et *indirectum* ?

Respondet S. Thomas : « *Intellectus directe non est cognoscitivus nisi universalium, indirecte autem et quasi per quamdam reflexionem potest cognoscere singulare*[4]. »

Explicatur. — Sit exemplum : ope sensuum proprietates sensiles, v. g., colores in individuis percipiuntur ; intellectus autem, omni proprietate individuali semota, notionem generalem comparat, seu apprehendit, v. g., quid sit albedo in abstracto, nam

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 2, a. 4 ; — q. 84, a. 7.— 2. **Thesis Thomistica XVIIIa.** — 3. **Aristoteles**, *De Anima*, L. III, c. 8, text. 37 ; — *Sum. Theol.*, p. 1, q. 14, a. 1. — 4. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 86, a. 1.

universale existit fundamentaliter in rebus singularibus. Postea vero indirecte et per accidens rem ipsam singularem attingere potest, sic judicamus Socratem esse album [1].

Probatur Ium. — Intellectus directe apprehendit suum objectum proprium seu essentiam rerum materialium per *abstractionem*, nempe, ut experientia constat, considerando quidditatem rerum separatam ab omni conditione aut proprietate singulari. Porro essentia rerum materialium, separata ab omni conditione singulari, est universalis. Ergo essentia rerum materialium, quatenus *universalis*, est objectum directum intellectus.

Probatur IIum. — Nam intellectus non potest apprehendere universale nisi in rebus ipsis singularibus (Log., n. 215-222). Ergo cognoscit etiam ipsum *singulare* seu individuum, sed tantum indirecte et per accidens per conversionem ad phantasmata.

Constat *consequentia* contra Scotum et Suarezium, nam « fieri nequit ut intellectus in sensibili individuo consideret directe et in concreto universale, quin indirecte et ut objectum per accidens apprehendat simul individuum, in quo est universale ipsum : sicut fieri non potest ut visus percipiat colorem in concreto, quin indirecte et per accidens percipiat subjectum in quo color perceptus existit [2]. »

Corol. — Quapropter singularia sensu attingimus, tum etiam intellectu, et sicut sensus directe singulares proprietates, et, ratione illarum, etiam substantiam concretam rerum materialium percipit (n. 45), ita intellectus directe non percipit nisi essentiam universalem, indirecte vero per quamdam reflexionem singulare rerum materialium [3].

§ III. *De Intellectu Agente et Possibili.*

In unoquoque hominum dico unum esse intellectum, qui *virtute duplex est* et dicitur *agens et possibilis*. Unde

88. Quid sit et utrum sit *intellectus agens* [4] ?

A. — Intellectus *agens* definitur : *animæ virtus per quam essentia seu forma rerum sensibilium fit actu intelligibilis.*

1. *Quæst. disp.*, q. 10, a. 5. — 2. **Zigliara**, *Psych.*, lib. IV, c. III, a. 4, n. 5 ; — Cf. objectiones apud **Suarezium**, *De Anima*, L. IV, c. 3 ; — apud **Farges**, *Le Cerveau*, p. 386-390. — 3. **Thesis Thomistica XX**a. — 4. **Liberatore**, *De la connaiss. intellect.*, n. 224-231 ; — Cf. *l'Abstraction scolastique*, in *Rev. de philos.* (oct. 1903-janv. 1905).

1° Dicitur *animæ* virtus seu lumen a Deo quidem « participatum », quod tamen existit in ipsa anima, non extra ipsam.

2° Hæc virtus sic operatur : cum objectum omne concretum essentia et existentia particulari coalescat, intellectus essentiam exuit ab existentiæ conditionibus individuis, eamque sic illuminans, efficit *actu* intelligibilem, eodem ferme modo ac lux formam rerum materialium efficit visibilem.

Hinc est cur intellectus agens dicatur — lumen *intelligibile* quo sensibilium essentia, omni proprietate particulari exuta, fit abstracta, universalis, et ideo tanquam forma universalis contemplari potest (n. 137) — necnon *vis abstractiva*, nam « abstractio est *productio* rei abstractæ, sc. speciei intelligibilis[1] ».

B. — Jam fere omnes philosophi admittunt necessitatem medii, quo veritas fiat quasi nuda et aperta oculis nostris. Sed, quodnam sit illud medium ? Controvertitur in scholis quæ maximo animorum æstu inter se digladiatæ sunt, et in varia systemata, de quibus agetur ubi de origine idearum, abierunt. Porro, ad hanc quæstionem tanti momenti solvendam, plerique scholastici, nec formas sine materia Platonis, nec lumen divinum Ontologistarum, nec rationem impersonalem Averrois, nec rationem puram nonnullorum spiritualistarum, sed necessitatem intellectus agentis propugnant. Sit igitur

THESIS

Admittendus est intellectus agens qui species intelligibiles abstrahat, ut essentia rerum materialium fiat actu intelligibilis[2].

Prob. — 1° *Experientia*, nam omnes *conscii* sumus vim quamdam nobis inesse, cujus auxilio e cognitione singulari ad cognitionem generalem assurgimus — aut saltem conscii sumus *de facto* nos ita assurgere, v. g., e perceptione hujusce rei *coloratæ* vel *rotundæ* ad notionem *coloris* vel *circuli*. Est igitur in anima vis quædam activa, quæ species intelligibiles a phantasmatibus abstrahit, nempe intellectus agens.

2° Ex *natura universalium*. — Universalia primario non existunt in rebus singularibus nisi fundamentaliter (Log., n. 218) ; quapropter, relative ad hominem, universalia non sunt *actu*, sed *potentia* solum intelligibilia ; — similiter formæ rerum naturalium, non subsistunt sine materia : formæ autem

1. Cajetanus, in *Sum. Theol.*, p. 1, q. 85, a. 1.— 2. Thesis Thomistica, XIX.

in materia existentes non sunt intelligibiles *actu*, sed *potentia* tantum. Porro nihil transit e potentia ad actum nisi mediante quadam virtute. « Oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quæ faciat intelligibilia in actu, per abstractionem specierum a conditionibus materialibus. Et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem [1]. »

89. Quid sit et utrum sit *intellectus possibilis* seu patiens [2] ?

A. — Intellectus possibilis est *ea virtus, per quam anima res intelligibiles apprehendere, et verbo mentis exprimere potest.*

1° Est animæ *virtus* : realis quidem, non mera possibilitas, nec dicitur « patiens seu possibilis », nisi in eo sensu quod primario est in potentia in genere rerum intelligibilium, sicut et materia prima in genere rerum sensibilium, nam « in principio sumus intelligentes solum in potentia, postmodum autem efficimur intelligentes in actu [3] ».

2° Hæc virtus res *apprehendit* ; nempe virtus abstractiva active res intelligibiles efficit, hæc altera virtus res intelligibiles effectas passive accipiens et intelligens, verbum mentis concipit ; prior vis effectrix, posterior vis receptrix specierum vocatur et proprie intellectus (n. 82).

An revera existat, nunc quæritur.

B. — Jam inter adversarios, alii (post Platonem, Cartesium, et Leibnitzium) docentes intellectum esse essentialiter in actu, intellectum possibilem non agnoscunt ; — item Ontologismi fautores (præcipue Malebranchius et Gioberti), aliique recentes non pauci. Adversus eos sit

THESIS

Admittendus est intellectus possibilis, formaliter intelligens [4].

Prob. — Tria *requiruntur* et *sufficiunt* ad probandam necessitatem et consequenter existentiam intellectus possibilis : 1. ut insit hominibus *potentia*, per quam idealem veritatem apprehendere valeant ; — 2. ut potentia illa non sit semper et necessario *in actu* ; — 3. ut realiter *differat* ab intellectu agente. Sed hæc tria certa sunt. Ergo stat thesis.

Probatur *minor*. — 1° Facultas quædam propria et perso-

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 3. — 2. **Liberatore**, *ibid.*, n. 218-224. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 2 ; — q. 87, a. 1. — 4. **S. Thomas**, *In de Anima*, L. III, lect. 8. — Negant Occam, Suarez et alii, quorum objectiones vide apud **Lahousse**, *Psych.*, n. 434-438.

nalis *inest* homini, per quam multarum rerum ideam apprehendere potest et formaliter intelligit ; nam, de facto, multa cognoscimus et unusquisque conscius est seipsum concipere ideas, quibuscum potest intelligere, judicare et ratiocinari.

2° Aliunde, facultas illa non est *essentialiter in actu* : sed sæpe transit e potentia ad actum ; nam, experientia teste, multa intelligimus, quæ prius nobis erant ignota, multa etiam ignoramus, quæ, lapsu temporis, fortasse cognoscemus.

3° Intellectus possibilis *differt* ab intellectu agente ; quippe hic essentialiter activus est et determinans suum objectum ; ille passivus et ab objecto determinatus : porro idem et secundum idem non potest esse naturaliter agens et patiens. — Præterea respectu ejusdem objecti, nempe speciei intelligibilis, intellectus agentis officium est *illuminare* et *abstrahere* ; munus intellectus possibilis est *apprehendere* et *cognoscere* ; unus est causa efficiens intelligibilitatis, alter autem intellectionis, quâ idea seu conceptus seu verbum mentis perficitur. — Cæterum nil prohibet eamdem animam immaterialem duplicem vim habere [1].

Cor. — Intellectus noster per applicationem ad res sensibiles intelligit : ergo judicium ejus per ligamentum sensus impeditur et erit imperfectum [2].

§ IV. *De variis intellectus Officiis*[3].

Intellectus officia seu functiones sunt diversi generis : ideas enim *concipit*, de illis *judicat*, *ratiocinando* varia demonstrat, per *conscientiam* se cognoscit, necnon præteritas cognitiones per *memoriam* revocat. Hinc intellectus variæ denominationes, de quibus gravissimæ quæstiones ortæ sunt : en magis utiles.

I

90. Utrum idearum *apprehensio* antecedat omne judicium ?

Si pluribus fides, non a simplici apprehensione, sed a judicio exordium haberet cogitatio humana : siquidem Reidius, Kantius, Gioberti, Cousin, Damiron [4] sentiunt esse judicia *primigenia* et *instinctiva*, — quorum enuntiatio præcedit simplicem apprehensionem aut ab illa non distinguitur, — eaque judicia vi instinctus naturalis proferuntur ab hominibus, et etiam quodammodo cæteris animalibus, saltem perfectissimis, inesse debent. — Hæc autem tria falsa esse ostendit sequens

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 7 ; — q. 79, a. 10 ; — q. 88, a. 1. — 2. *Ibid.*, q. 48, a 8. — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 374-379. — 4. *Logique*, p. 34.

THESIS

Judicium non antecedit idearum perceptionem ; — nec dantur judicia instinctiva, — quæ competerent brutis.

Primum constat. — Nam judicium *proprie dictum* ea est intellectus operatio cujus ope dignoscimus idearum convenientiam aut discrepantiam. Porro prius est cognoscere ideas quam earum convenientiam aut discrepantiam. Ergo, saltem in homine, judicium subsequitur idearum apprehensionem. — Dixi : *saltem in homine* ; nam « intellectus angelicus et divinus statim perfecte totam rei cognitionem habet [1] », sed intellectus humanus, utpote valde imperfectus, successive eam acquirit, id est primum diversos rei aspectus et discrimina percipit, postea vero componendo et dividendo de eis judicat.

Secundum etiam. — Nam judicium instinctivum sine terminorum comparatione, saltem implicita, esset motus cæcus intellectus, qui non determinaretur evidentia objectiva, nec experientia fundaretur. Porro — 1. certitudo judiciorum ab instinctu cæco repeti non potest quin via aperiatur scepticismo ; 2. — est secundum naturam intellectus ut non moveatur nisi lumine specierum intelligibilium quæ experientia comparantur. Quare judicium instinctivum et a priori est contra naturam intellectus.— Sunt tantum innatæ habitudines intellectuales, v. g., habitus primorum principiorum (n.23-26) [2].

Denique *tertium*. — Illud enim nititur in hoc falso placito sensualistarum (de Tracy), nempe quod judicare nihil est nisi sentire relationes inter nostras perceptiones. — Sed e contra sentire est singularium tantummodo, judicium vero fertur de ideis universalibus. Ergo nullo modo judicium intellectus ad animalia pertinere potest ; illis sufficit actus æstimativæ, quæ de singularibus et concretis, lato sensu, judicat (n. 66-69).

II

91. Quænam sit et non sit essentia *judicii* ? — Ad rem sit

THESIS

Judicium est actus intellectus, qui non in associatione, nec in comparatione, nec in apprehensione tantum identitatis aut discrepantiæ, sed in alterutrius affirmatione consistit.

I. — Est *actus intellectus*, contra Malebranchium et Carte-

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 5, c. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 378 ; *Théorie fond.*, p. 190-191.

sium, qui asserunt omne judicium esse voluntatis actum [1]. — Sed contra : sicut bonum est objectum voluntatis, ita verum est objectum intellectus : atqui objectum judicii est verum ; ergo judicium refertur ad intellectum. — Nec mirum, cum intellectus solus ideas apprehendit, de quibus est judicium.

Dices : voluntas præstare vel impedire potest assensum. Ergo. Resp. *Dist. ant.* — 1° in judiciis evidentibus, *nego* : horum enim evidentia tam affulget menti, ut rapiat intellectum, velit nolit voluntas, sicut qui videt lumen solis non potest non videre. — 2° In judiciis non evidentibus, *subd.* : judicium potest quidem esse actus *imperatus* voluntatis, *conc.* ; non est actus *elicitus solius* intellectus, *nego* (n. 103). Voluntas enim triplicem habet influxum in intellectum, quem scilicet — applicat ad rei considerationem, — avertit a consideratione motivorum oppositorum, — cogit imperio ad adhærendum, absente evidentia intrinseca, ut, v. g., in actu fidei, in opinionibus.

II. — Non *in associatione* consistit [2], ut volunt Bain et positivistæ. Possunt enim duæ ideæ secum sociari, quin ullum efficiatur judicium ; ut cum, v. g., canis imagines ignis et caloris conjungit, quin ullum pronuntiare possit.

III. — Nec *in comparatione idearum*, ut contendunt Lockiani. Est enim comparatio actus mentis attentionem suam in plures ideas dirigens, et earum relationes inquirens. Sane quidem judicium, comparationem saltem instantaneam, ut medium requisitum, supponit : in hac vero non consistit, nam diu protrahi potest hujusmodi comparatio, quin ullum fiat judicium, si nulla percipitur nec affirmatur identitas vel disconvenientia.

IV. — Nec tantum *in apprehensione identitatis vel discrepantiæ* subjectum inter et attributum, nam in apprehensione complexa, sicut in simplici, non adhuc esse videtur illa explicita affirmatio aut negatio mentis qua completur judicium.

V. — Ergo demum sit *in affirmatione identitatis vel discrepantiæ* perceptæ inter subjectum et attributum. Revera forma seu essentia judicii merito dicitur id quo perficitur. Sed affirmato nexu inter subjectum et attributum, habetur assensus intellectus. Ergo et judicium saltem opinativum.

Jam autem, ut patet, *assensus* intellectus, etiam renitente

1. **Sanseverino**, fusius in *Dynamil.*, art. XXVII, p. 1018-1053 ; — **Farges**, *La crise de la certitude*, p. 141. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 152 ; *Le Cerveau*, p. 377.

voluntate, haberi potest, ac proinde a *consensu* seu complacentia voluntatis valde differt.

III

92. Utrum *ratio* sit facultas ab intellectu distincta [1] ?

Tum antiqui, tum recentes philosophi erraverunt circa *naturam* rationis, v. g., materialistæ, positivistæ et sensistæ (n. 83). — Sunt alii, v. g., spiritualistæ, qui rationis ab intellectu differentiam propugnant : — imo Kantistæ rationem *puram* ab intellectu, necnon rationem *speculativam* a ratione *practica* discriminandam esse putant. — Contra quos sit

THESIS

Ab intellectu vel intelligentia non differt ratio, nec ratio superior et inferior, nec ratio speculativa et practica.

Dixi : *ab intellectu vel intelligentia* : quæ vel sunt idem, juxta communiorem usum loquendi, vel differunt tantum sicut potentia et actus : est enim intelligentia actus intellectus[2].

I. — Ab *intellectu non differt ratio*[3]. — Ratio ex præviis duobus judiciis tertium deducit : quod non implicat objectum formaliter diversum, sed ejusdem objecti successivam et proinde imperfectam considerationem ; ergo non est alia potentia, sed solum alia intellectus operatio. — Hinc eadem est facultas quæ magis nota primum intuetur et deinde e magis notis alia minus nota deducit ; quomodo enim, quæ nesciret præmissas, posset ex ipsis conclusionem inferre ?

II. — Nec *ratio superior et inferior sunt* diversæ potentiæ[4]. Nam « ratio superior ea est quæ intendit *æternis* conspiciendis aut consulendis ; ratio vero inferior intendit *temporalibus* rebus [5] ». Hæc, v. g., detegit finitum bonum in creaturis existens esse amandum ; illa, ad supremam boni rationem assurgens, comperit summum bonum esse summe amandum. Jamvero, secundum viam inventionis, cognitio veritatis in rebus finitis et contingentibus tempore quidem præcedit contemplationem veritatis in principiis absolutis et æternis, sed actus est ejusdem rationis, quæ « pertransiens medium pervenit ad terminum ». Ergo ratio inferior a superiore non differt.

III. — Relative ad praxim, ratio dicitur vel mere *specula-*

1. Cf. *Sum Theol.*, p. II, q. 27, a. 1 et q. 85, a. 5 ; — **Farges**, *Le Cerveau*, p. 379. — 2. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 10. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 8 ; — **Kleutgen**, *Phil. scol.*, t. I. p. 292-300. — 4. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 9. — 5. **S. Augustinus**, *De Trinit.*, c. V.

tiva vel *speculativo-practica* vel *practica* simpliciter. Ratio mere speculativa veritatem inspicit, sine ullo ad praxim respectu : v. g., quando dicimus, duo duoque dant quatuor. Ratio speculativo-practica conspicit principia generalia, quibus actus nostri reguntur ; ut si dicas : non furaberis, non occidés. Ratio practica simpliciter dictat quid sit hic et nunc agendum aut fugiendum ; nempe, hanc Joannis crumenam furari non est licitum. — Jam vero, quod intellectus non ordinet ad opus id quod apprehendit, accidens quidem est in consideratione veritatis, sed non constituit objectum formaliter diversum nec diversas potentias. Ergo ratio speculativa et practica realiter inter se non differunt [1].

IV

93. Quænam sit *conscientiæ* intellectivæ brevis theoria ?

Definiri potest : *ea operatio quæ testatur mentis operationes spirituales et præsentes.* — *Testatur* operationes et sic differt a conscientia morali quæ de earum moralitate judicat ; — *spirituales*, unde secernitur a conscientia sensibili ; — et *præsentes*, ideo a memoria intellectuali distinguitur.

Hinc naturam, objectum et limites conscientiæ colliges :

A. — *Naturam* : non est facultas ab intellectu distincta. Contra recentiores, qui, Reidium secuti, asserunt conscientiam esse specialem facultatem, cujus ope phænomena, sive sensationis, sive intellectionis percipimus. — Sed contra : in tantum operationes alicujus facultatis aliam requirunt facultatem ut percipiantur, in quantum ab ipsa percipi nequeunt ; atqui intellectus suas potest operationes percipere, tum quia sunt immateriales, tum quia facultas spiritualis in seipsam reflectere valet ; ergo intellectus ipse conscientiam habet suarum operationum.

B. — *Objectum* : est *internum* tantum, nam conscientia non est tota intellectio, et duplex est : directum et indirectum. — *Directum* est omnis et sola operatio spiritualis ; hæc enim sola, utpote immaterialis, est aliquid ab intellectu directe apprehensibile. — *Indirectum* vero est sive subjectum cogitans, sive operationes organicæ : *primum* quidem, nam qualitas a subjecto et actio ab agente separari nequeunt, et ideo, sicut

1. Nec ars et synderesis differunt a ratione : *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 12.

oculus non videt proprie colorem, sed rem coloratam, ita intellectus reapse apprehendit animam sua cogitatione instructam, seu directe percipiendo actus animæ, non potest non percipere indirecte animam ipsam quæ agit[1] (*infra*, n. 141) ; *secundum* etiam, nam singularia per reflexionem impropric dictam seu per reditum intellectus in sensus cognoscuntur (n. 87).

C. — *Limites* : reales sunt, nam conscientia non attingit :

a) *Naturam ipsius animæ*, ut volunt Vacherot, Cartesiani : hæc ratiocinio tantum, non simplici conscientiæ testimonio, cognoscitur (Log., n. 205).

b) *Nec mundum externum*, ut contendit Hamilton : nam cuique suum ; porro, sicut sensu communi nostrum corpus, ita sensibus tantum externis corpora externa percipi possunt.

c) Imo de facto *non omnes status animæ* spiritualis attingit. Est nempe intellectus semper habilis ad percipiendum suas operationes, *de facto* tamen, sicut ipsa conscientia sensibilis, non semper eas percipit : hinc explicantur distractiones, extases... « On peut donc penser sans savoir que l'on pense. Un fait psychique n'est donc pas nécessairement un état de conscience, quoiqu'il soit toujours un état d'âme[2] » (n. 57).

Hinc conscientiæ opponitur *inconscium* sive absolutum, sive relativum (consciences sourdes, infiniment petites). *Subconscium* autem, apud hodiernos psychologos, dicitur phænomenon, menti quidem præsens, quod non refertur ad τὸ ἐγώ sed ad aliam personam (dédoublement de la personnalité) (n. 171, 206). Apud modernistas autem, subconscium sensu valde diverso usurpatur (Theod., n. 8).

V

94. Quænam sit *memoriæ intellectivæ* brevis theoria ?

Definitur : *Ea potestas vi cujus intellectus conservat species objectorum intelligibiles, earum ope revocat cognitiones præteritas, et quatenus præteritas recognoscit.* — Cujus natura, munera et exercitium sic ex dictis inferuntur.

A. — Memoria *non est alia* potentia ab intellectu. Re quidem vera ejus objectum non est aliud quam objectum intellectus, nempe veritas immaterialis et intelligibilis ; « ad rationem enim potentiæ passivæ pertinet conservare sicut et recipere[3] ».

1. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 419 et seq. — 2. **Farges**, *Le Cerveau* p. 394. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 7.

B. — Memoriæ autem triplex est *munus* : nempe conservare, reproducere et recognoscere species rerum. Porro hæc tria valet memoria intellectiva, sicut et sensitiva.

Primum quidem, nam intellectus possibilis est « stabilioris naturæ quam sensus : unde magis in eo possunt conservari species quam in parte sensitiva [1] ». Et revera in eo servantur : nam si conservaretur sola habilitas convertendi se ad phantasmata per intellectum agentem, ex hoc quod homo addisceret unam scientiam, non magis sciret illam quam alias : quod est contra experientiam.

Secundum etiam, nam unusquisque nostrum conscius est se multas ideas olim habitas iterum cognoscere ; sed illa recognitio fieri nequit nisi mediante earum iterata actuatione seu reproductione in memoria intellectiva, non autem in memoria sensitiva, quæ versatur tantum circa phænomena rerum sensibilium [2].

Denique *tertium* ; nempe intellectus recognoscit suas ideas ut præteritas (*le déjà vu*), non ratione objecti, quod abstrahit ab hic et nunc, sed ex parte actus intellectualis, qui « est quidam particularis actus in hoc vel illo tempore existens, secundum quod homo dicitur intelligere nunc, vel heri, vel cras ».

C. — Sicut intellectus possibilis sine specie intelligibili remaneret in potentia, ita et memoria intellectiva nisi ex statu passivo et habituali excitarentur species intelligibiles. Porro — *a*) *directe* non possunt agere in intellectum species sensiles : sunt enim organicæ et materiales. Ergo aliqua species intelligibilis sola potest excitare alias species intelligibiles in memoria sopitas, quæ cum ea et inter se colligantur secundum leges associationis idearum (n. 64).

b) *Indirecte* tamen quidquid influit in exercitium phantasiæ et memoriæ sensitivæ, pariter influit in memoriam intellectualem ; constat enim ex amissione specierum sensibilium aut perturbatione cerebri, impediri ejus exercitium.

Hæc breviter de memoria cui opponitur *oblivio*, quæ modo nocet, modo indirecte favet menti. « Il y a un oubli légitime, nécessaire, parce qu'il est un allégement heureux de la pensée : » quidquid enim non interest est impedimentum mentis. E contra :

1. S. Thomas, *Quæst. disp. de Veritate*, q. 10, a. 2, c. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 6.

« l'oubli est pathologique, quand il est une perte sans compensation, une diminution pure et simple de la pensée, plus encore quand il compromet l'unité du moi et rompt l'équilibre mental [1] » (n. 206).

95. ***Corol. gen.*** — **Viget parallelismus inter sensum et intellectum.** Sicut enim sensus res materialés percipit, perceptas exprimit ac retinet, illas æstimat, novas creat, omniumque conscius et memor est ; ita similiter circa res immateriales intellectus, qui tamen per unam facultatem præstat quod sensus per plures efficit.— Viget et *discrimen*, nam sensus realitatem ope contactus physici immediate percipit, intellectus e contra mediantibus phantasmatibus, et ideo species est tantum objectum *quo* pro sensu externo, dum, expressa, est etiam objectum *in quo* pro intellectu (n. 140). Ideo patet objectivitatem intellectus ab objectivitate sensus etiam pendere [2].

ARTICULUS II.

De Appetitu rationali.

Sicut intellectu ens quatenus *verum* est in intelligente, ita ad ipsum ens, prout in se est et *bonum*, alia facultate inclinamur, sc. appetitu rationali [3]. De qua duplex erit inquisitio : una de *Voluntate in genere*, altera de proprietate illius seu de *Libertate.*

§ I. *De Voluntate humana in genere.*

Quatuor de voluntate in genere exponere præstat, videlicet *naturam*, *objectum*, *motores* et *actus voluntatis* [4].

I. *Natura voluntatis.*

96. Quid sit et utrum sit in homine *voluntas* ?

A. — Breviter definitur a S. Thoma : « Appetitus quidam rationalis » ; appetitus, et hoc est genus definitionis ; rationalis, et hæc est differentia specifica. — Enucleatius autem : *Facultas inorganica prosequendi bonum intellectu cognitum.*

1º Dicitur *facultas* : proinde differt a conatu seu appetitu naturali (n. 71) ; cognitionem nempe supponit, sicut ipse appetitus *sensitivus*, et ideo vocatur appetitus *rationalis.*

1. Cf. *L'oubli et la personnalité*, in *Revue philosophique*, oct. 1912, p. 338 ; — **Ribot**, *Les maladies de la mémoire.* — 2. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 423-426. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 82, a. 3.— 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 8, a. 1 ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 196 et seq.

2º Est facultas *inorganica*, et ideo, sicut ipse intellectus, pertinet ad vitam intellectivam.

3º Est facultas *prosequendi bonum*... et ideo voluntas et intellectus specifice distinguuntur, quia, licet unum et idem objectum materiale habeant, illud tamen apprehendunt sub forma specifice diversa ; sc. intellectus attingit ens quatenus verum, et voluntas ens quatenus bonum prosequitur.

4º Unde prosequitur bonum *intellectu cognitum*, quo secernitur ab appetitu sensitivo. Revera « appetitus non est nisi boni [1] » ; sed appetitus sensitivus ad bonum sensibile, voluntas autem ad bonum rationale, directe et natura sua, ordinatur.

B. — *Quod vero sit* in homine voluntas, haud ægre probatur contra illos qui identitatem appetitus sensitivi cum rationali propugnant (n. 28).

Revera « mobilia distinguuntur secundum distinctionem motivorum [2] » ; porro appetitus est potentia seu mobile, bona vero apprehensa sunt moventia ; ergo sicut duplex est bonum apprehensum, ita duplex erit etiam appetitus. — *Secus* vita vel sensitiva, qua homo communicat brutis, vel intellectiva qua communicat angelis, evanesceret in homine [3].

97. Dixi : voluntatem esse facultatem *inorganicam*.

Constat *ex paritate* voluntatis cum intellectu. Etenim facultas appetitiva cognoscitivam subsequitur et est ejusdem generis ; ergo voluntas est inorganica sicut et intellectus.

Confirmatur consequentia, — tum quia voluntas habet objectum immateriale seu omne bonum rationale conveniens, — tum quia reflectere potest super seipsam et velle se velle, — tum quia corpori et organis sæpe dominatur, nedum sequatur eorum vicissitudines (n. 157).

Speciatim autem constat ex *libertate*. Omnis enim facultas organica necessario determinatur ad unum, ut experientia testatur ; porro facultas ad unum determinata nulla gaudet libertate ; ergo voluntas vel non est libera, vel est inorganica.

Hinc voluntas una est simplex potentia, licet virtualiter sit irascibilis et concupiscibilis sicque suo modo duplex.

II. *Objectum voluntatis.*

98. Quodnam sit humanæ voluntatis *objectum* ? — Ad rem sit

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 8, a. 1, c. — 2. **S. Thomas**, *De Anima*, L. III, text. 54. — 3. **Liberatore**, *Comp. hum.*, c. v, a. 7

THESIS

Voluntas appetere potest quidquid ipsi proponitur ab intellectu sub ratione boni sibi convenientis.

A. — *Quidquid proponitur ab intellectu.* Nam facultas appetitiva quamdam cognitionem supponit secundum illud : « ignoti nulla cupido » ; « nil volitum nisi præcognitum ». Ergo et voluntas sequitur, non præcedit cognitionem intellectivam. — Ergo ejus objectum est *immateriale* quod sensus non apprehendit, sicut scientia, virtus et alia hujusmodi. — Ergo etiam est *universale*, « et si feratur in res quæ sunt extra animam singulares, fertur in eas secundum aliquam rationem universalem [1] ». — Hinc tandem *objectum materiale* voluntatis, sicut et intellectus, est universaliter omne ens et æqualiter extenditur objectum utriusque facultatis.

B. — Objectum vero *formale* voluntatis est quidquid ipsi proponitur *sub ratione boni* : in quod fertur, ut sua cuique testis est *conscientia* ; revera « malum est præter voluntatem », verum autem per se solum non allicit. — *Nec mirum*, siquidem voluntas, sicut omnis appetitus, est inclinatio in aliquam rem. Sed « omnis res, in quantum est ens, est quoddam bonum, et ideo necesse est ut omnis inclinatio sit in *bonum* [2] » :

1º Sive sit *reale*, nam bonum dicitur proprie de rebus existentibus (Ontol., n. 62), sive saltem *apparens* : et ita aliquid in se malum, v. g., peccatum, appetere possumus, nam « sub specie boni multi falluntur [3] ».

2º Sive sit finis seu *volitum principale* et « secundum omnia conveniens [4] », sive sit medium ad finem et *volitum secundarium.* Ratio enim boni in utroque est : ergo ad utrumque se extendit voluntas [5].

C. — Tandem est bonum *sibi conveniens*, juxta illud : « Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium[6]. » Revera non bonum abstractum et mere possibile, nec a fortiori inaccessibile aut chimericum est appetibile, sed bonum aliquo modo *nostrum*, semper et invicte quærimus (n. 104).

Corol. — Bonum *vere* appetitum voluntate est quid in singulari : unde requiritur ut id quod apprehenditur ut *bonum* et *conveniens*, apprehendatur ut bonum et conveniens in *parti-*

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 80, a. 2, ad 2.— 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 8, a. 1. c.— 3. **Imitatio Christi**, L. III, c. 54, n. 1. — 4. **S. Thomas**, *de Malo*, q. 6. — 5. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 8, a. 2 et 3. — 6. **Aristoteles**, *Ethic.*, c. 8.

culari, et non in universali tantum : siquidem « consilia et electiones sunt circa particularia quorum est actus [1] ».

99. Hinc intellectus *altior* est potentia quam voluntas.

Est contra Scotistas qui contrarium inferunt, eo quod melior sit amor Dei quam ejus cognitio, et possessio finis quam simplex ejus cognitio.

Constat — *a*) ex utriusque *objecto*. Illa facultas est altior quæ respicit objectum nobilius. Atqui intellectus per se respicit objectum nobilius, nam cognitum est in intellectu secundum ejus modum, ergo immaterialiter, etiamsi sit inferius ; dum amans trahitur ad amatum, cui ergo assimilatur, et, si inferius, ab eo deturpatur. Ergo intellectus est altior [2].

b) Ex intellectus *independentia*. Quæ in eodem ordine per se prior est et causa alterius, est nobilior facultas : atqui intellectus in ordine intellectualium prior est voluntate, et ideo ab ea independens : necnon est causa voluntatis quam movet bonum ab intellectu apprehensum, sicut mobile passivum activus motor... ; ergo *simpliciter* est altior.

Dixi : *simpliciter* ; « secundum quid autem voluntas invenitur interdum altior intellectu, ex eo quod objectum voluntatis in altiori re invenitur quam objectum intellectus : unde melior est amor Dei quam cognitio [3] ».

III. *Motores voluntatis* [4].

Quælibet potentia indiget movente quantum ad duo, sc. quantum ad exercitium actus et quantum ad determinationem seu specificationem actus. Unde pariter alia ad agendum, movent voluntatem, alia ad agendum hoc potiusquam illud.

100. Utrum et quinam sint voluntatis motores *ad agendum* ?

A. — Necesse est ut aliquis sit motor voluntatis ad agendum. Quidquid enim non semper agit, de potentia ad actum ab aliquo reduci debet : atqui voluntas non semper agit, sed invenitur aliquando in potentia ; ergo necesse est ut ab aliquo determinetur ad agendum.

B. — Hi motores, præter bonum, sunt voluntas et Deus.

Bonum movet voluntatem ut causa finalis, nam omnis potentia passiva ab objecto movetur et reducitur in actum [5]. At *a*) *Voluntas* seipsam movet ut causa efficiens, nam « per hoc quod vult finem, movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem » ; quoad hæc enim est domina sui actus et in ipsa est velle et non velle hoc et illud, ut infra probabitur [6] (n. 111).

1. **S. Thomas**, *de Malo*, q. VI, a. unic., in c. *ad fin.* — 2. **Card. Billot**, *de Deo Trino*, p. 340. — 3. *Sum. Theol.*, q. 82, a. 3, c. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 9 ; — Cf. *Dict. de Théol. cath.*, art. *Grâce*, col. 1648-1652. — 5. *Sum. Theol.*, 1a, 2æ, q. 9, a. 4. — 6. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 3.

b) *Deus* movet voluntatem, sicut universalis motor, ad universale bonum, quod est objectum et finis voluntatis : revera sine hac prima motione voluntas non posset transire de potentia ad actum ad volendum finem, nec proinde semetipsam movere posset ad volendum media quæ sunt ad finem[1].

101. Hinc Deus est *primarius motor* voluntatis.

Nam, ex dictis, adesse debet aliquod movens a quo voluntas incipit velle suum finem, quando est in mera potentia, nempe, sive in primario instanti rationis, sive in nova volitione finis. Unde sic :

Prob. — Ille motor est — vel ipsa voluntas, — vel alia hominis potentia, — vel corpus aliquod externum, — vel spiritus, — vel ipse Deus. Porro quatuor priora esse non possunt.

Non 1um. — Siquidem mera potentia non reducit seipsam ad actum (Ontol., n. 167) : sed in utroque allato casu, voluntas est in potentia.

Non 2um. — Quia præter voluntatem hominis alia potentia vel est organica, et tunc agere nequit in spiritualem voluntatem ; vel inorganica, sc. intellectus, qui non agit in voluntatem nisi per modum causæ finalis et ad specificationem actus, non autem ut causa efficiens (n. 102).

Non 3um. — Quia corpus, sive terrestre, sive cæleste sit, « impossibile est quod imprimat directe in voluntatem et intellectum[2] ».

Non 4um, — nisi ipse Deus. Etenim Angelus non est sic supra voluntatem hominis, ut sit ejus causa. Porro, ex una parte, motus voluntatis est naturalis seu ab intrinseco, et ex altera parte « motum naturalem causare non potest nisi quod est aliqualiter causa naturæ ». Ergo Deus solus movere potest voluntatem (Theod., n. 119-120).

102. An et quinam sint *motores ad specificationem* actus ?

A. — Quoniam voluntas non semper vult idem, necesse est ut adsit motor qui illam applicet ad hunc vel illum actum, seu ad actus specifice diversos. Quod enim est objective indeterminatum seu ad plura indifferens, speciali indiget determinatione in qualicumque actu : secus, cur hoc et non illud *particulare* bonum ageret, non esset ratio.

B. — Porro hujusmodi motor ad *bonum aliquod particulare*, est duplex : *intellectus* et *appetitus sensitivus*.

a) *Intellectus* directe, « tanquam ei (voluntati) præsentans objectum suum » : « nihil enim volitum nisi præcognitum[3] » (Ontol., n. 176).

b) *Appetitus sensitivus*, tantum indirecte : nam « secundum

1. *Sum. Theol., ibid.*, a. 6. — 2. *Sum. Theol., ibid.*, a. 5. — 3. *Sum. Theol., ibid.*, a. 1.

quod homo est in passione aliqua, videtur ipsi aliquid conveniens, quod non videtur ei extra passionem existenti[1] ».

Hinc, uterque ad *particulare bonum* movet *eodem modo*, id est per modum objecti, sc. « determinando actum per modum principii formalis ». Porro diversitate bonorum formali actus specificantur, sicut materiali multiplicantur operationes.

Corol. — Hinc *radix* proxima voluntatis est intellectus. Illud enim est radix voluntatis proxima, quod est ratio cur prosequatur bonum rationale et diversum. Atqui talis est cognitio comparativa intellectus ; nam ideo « voluntas potest in diversa ferri quia ratio potest habere diversas conceptiones boni [2] ». Ergo intellectus est radix proxima voluntatis (n. 115).

IV. *Actus voluntatis.*

Maxima quidem est complexio volitionum : unde *præcipua* seligemus, et præsertim *amorem*, *cor* et *gaudium*.

103. Quotuplex sit *actus* voluntatis humanæ [3] ?

1° Ratione *principii*, — omnes actus nostri vocari possunt *actus hominis*, videlicet exercitium cujuslibet facultatis, etiam compositi, v. g., sentire : — actus autem voluntarii et solius voluntatis, si sint liberi, actus *humani* dicuntur.

Volontarius autem est *elicitus* vel *imperatus*. Actus elicitus ille est qui a voluntate ipsa directe procedit, ab ea immediate exercetur et in ea recipitur, v. g., consentire, eligere. Actus imperatus ille est quem elicit quæcumque facultas sub ordinatione intellectus et motione voluntatis, v. g., studere, pingere, castigare corpus. — Nota quod imperare est quidem essentialiter actus rationis, sed quod ratio moveat imperando est ei « ex virtute voluntatis[4] », quæ et ipsa « movet *in nobis* mediante appetitu sensitivo[5] ».

2° Hinc actus imperati bene multi sunt : eliciti vero sex numerantur, nam ratione *objecti*, bonum potest esse vel finis vel media, id est bonum propter se vel propter aliud amabile. Si prius, *vult*, *intendit*, aut *fruitur* voluntas ; si posterius, *eligit*, *consentit* vel active *utitur* [6].

3° Ratione *modi* quo bonum prosequitur voluntas, actus

1. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 2. — 2. *Sum. Theol.*, *ibid.*, q. 17. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 6, a. 1, 2, 4, 5 ; — **Mercier**, *Psych.*, t. II, n. 216-221. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 17, a. 1, c. — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 20, a. 1, ad 1. — 6. *Ibid.*, 1a 2æ, q. 10-21 ; — Cf. **Gardeil**, in *Dict. Theol.*, mot *Election.*

est *liber* vel *necessarius*, prout in his vel istis adjunctis poni aut omitti potuerit vel non.

Porro plura sunt elementa actus liberi, nempe præstitutio finis, electio mediorum, denique executio exterior et imperata : quæ quidem omnia non requiruntur ad actum necessarium seu spontaneum, sed necessaria sunt in actu humano, ut videbitur in analysi Actus Moralis (*Eth.*, n. 31).

104. Quid et quotuplex sit *amor* vel cor et cordis sensus ?

A. — *Amor* in universum dici potest : Appetitio seu volitio ; vel etiam : « Unio appetitus ad aliquid conveniens[1] ».

Stricte vero non quilibet actus voluntatis, v. g., velle, intendere, dicitur amor, sed « *unio voluntatis affectiva cum bono cognito* ». — Dicitur *unio*, quia verus amor existere nequit sine quadam unione cum objecto[2] : *affectiva* vero, quia omnis amor quamdam animæ complacentiam et delectationem importat.

Jamvero, sæpius amor sensibilis metaphorice vocatur *cor* : nec mirum, siquidem vulgo habetur cor ut sedes passionum et appetitus sensitivi (n. 73). — Hinc etiam, propter relationes utriusque appetitus, illa vox ad motus voluntatis designandos, et speciatim amorem, transfertur.

Quapropter *sensus cordis* (le sentiment) sumitur pro affectione utriusque appetitus, præsertim vero rationalis.

B. — Amor autem in genere dividi potest, ratione *subjecti*, in sensualem et spiritualem ; — ratione *finis*, in naturalem et supernaturalem ; — ratione tandem *objecti* formalis, in amorem concupiscentiæ, benevolentiæ et amicitiæ.

Amor *concupiscentiæ* dicitur ille quo appetimus bonum, quatenus est bonum nostrum ; ex. g., Deum amamus, quia merces nostra erit in cœlo. — Per amorem *benevolentiæ*, bonum amamus quatenus in se bonum et amabile : sic amamus Deum ut summe perfectum. — In amore tandem *amicitiæ*, diligimus amicum, non solum ut bonum in se, verum etiam quia nos amantes redamat[3]. Unde « ad rationem amicitiæ, requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione[4] ».

Nota. Inter se disceptant utrum *omnis amor*, in statu vitæ præsentis, quamdam saltem implicite *concupiscentiam involvat.*

1. **Polman**, *Breviar. Theol.*, vocab. *amor.* — 2. *Traité de l'amour de Dieu.* L. 1, c. VII, c. XIII. — 3. **S. Thomas**, *De charitate* ; — **Suarez**, *De charitate.* — 4. *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 23, a. 1.

Jamvero habitus amoris benevolentiæ, concupiscentiam omnem excludens, humanæ naturæ repugnat ; non autem actus transitorius amoris hujus modi [1].

105. Hinc *gaudii* et *doloris* theoriam perspicere licet [2].

A. — Est nempe *gaudium quies et emotio grata ex bono aut perfecto exercitio activitatis*, dum e contra, *dolor* est *emotio ingrata ex malo exercitio resultans in appetitu conscio.* Hoc de activitate rationali, sicut de sensitiva verum est : in utroque enim casu unio appetitus cum bono gratam, cum malo ingratam excitat emotionem plus minusve transitoriam. Hæc autem emotio ab actu appetitionis differt, in eo quod appetitio prosequitur aut fugit objectum, dum emotio grata aut ingrata hunc motum tantum sequitur aut concomitatur. Hinc est cur ab Aristotele dicatur *epiphenomenon* : non enim « *frui* » est stricte actus sed status et complementum actuum, connaturaliter resultans ex fine adepto (Eth., n. 31).

B. — Hujus igitur *subjectum* proprie est appetitus, juxta illud S. Thomæ : « Dolor sicut et delectatio est in appetitu intellectivo vel sensitivo. » Attamen quælibet alia facultas, cum appetitu quodam naturali in suum objectum tendat (n. 22), potest sese habere circa illud bene aut male, ac proinde quando fit conscia, videtur esse subjectum doloris et gaudii. Sic loquimur de gaudiis visus, intellectus, sensus æsthetici, aut de doloribus musculorum et stomachi : quæ potius primo sentiuntur et deinde *causæ* sunt cur gaudeat aut tristetur ipse appetitus [3].

C. — Duplex est *genus* dolorum et gaudiorum : alia sunt spiritualia, alia vero sensibilia, prout objectum habent spirituale vel sensibile. Sic alius est remorsus conscientiæ, alius vero dolor capitis. *Species* autem innumeræ sunt et distingui debent ratione objecti simul et facultatis a qua emotio oritur.

D. — *Conditio* vero tum doloris, tum gaudii, una est, nempe conscientia, sine qua status bene vel male essendi in potentiis essent tanquam si non essent. Hinc est cur somnus perfectus, sicut gaudiorum, ita et dolorum, sit suspensio.

E. — Denique *momentum* gaudii atque doloris ex eo patet,

1. **Suarez**, *De Anima*, L. V, c. II, n. 7. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 412-428 ; — Cf. **Aristote**, *Morale à Nicomaque*, x, 5 ; — **S. Thomas**, *in Ethic.*, x, lect. 6 ; — **Gardair**, *Les Passions et la Volonté*, 117-163 ; — **Bouillier**, *Du plaisir et de la douleur* ; — **Rabier**, *Psych.*, 471-482 ; — **Mercier**, *Psych.*, t. II, n. 216 ; — **H. Noble**, in *Revue des sciences philos. et théol.*, an. 1910, p. 661. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 10, a. 1, c ; q. 35, a. 1, a. 7, c.

quod sint criterium actionis naturæ conformis, incitamentum ad novam similem actionem, et quædam initialis remuneratio, juxta saltem leges naturæ generales.

Ex his omnibus *colliges* errorem recentiorum, qui sensibilitati, tanquam facultati speciali, dolorem et delectationem adscribunt, cum sint singulis facultatibus communes effectus sed status appetitui proprius.

§ II. *De Libertate voluntatis.*

Circa libertatem, tria suscipimus evolvenda : sc. ejusdem *naturam*, *existentiam*, et *radicem*.

I. *Natura libertatis.*

106. Quid et quotuplex sit *libertas* in universum ?

A. — Libertas in genere est *immunitas a subjectione* seu a vinculo : « La liberté, c'est un affranchissement. » Quare totuplex erit libertas, quotuplex vinculum specifice diversum a quo immunis quis esse potest.

B. — Illud autem duplex est : *physicum* et *morale*. Si prius, libertas esset immunitas a morte, a servitute, a tributis, a miseriis vitæ, etc... Si posterius, est immunitas a necessitatibus moralibus, et tot nomina suscipit, quot materias activitatis humanæ regulat : unde habetur libertas moralis, civilis, politica, libertas cogitandi, conscientiæ, cultuum, etc.

His omissis, duplex præsertim datur libertatis agendi vinculum : *extrinsecum*, si quando causa extrinseca operationem determinat contra voluntatis inclinationem ; *intrinsecum*, si determinatio ad unum voluntati naturalis est et intrinseca. Hinc duplex etiam libertas ; una ab extrinseco seu *a coactione* ; altera *a necessitate* interna seu libertas indifferentiæ, liberum arbitrium aut simpliciter libertas.

Rursus libertas a necessitate duplex distinguitur : una *exercitii*, quæ est ad actum vel ejus omissionem et dicitur etiam *contradictionis*, quia e duobus contradictoriis unum vel alterum eligit, ut legere vel non legere ; altera *specificationis*, per quam unum e pluribus *specie* diversis eligimus, v. g., legere vel ambulare, — et ista duplex est : vel *contrarietatis*, quæ potest e duobus contrariis unum aut alterum eligere, videlicet amare aut odio habere ; vel simpliciter *disparitatis*, ut inter ludere, legere, ambulare.

107. Quænam sit *essentia* veræ libertatis seu liberi arbitrii ?

A. — Jam evidens est essentiam veræ libertatis in *electione voluntatis* esse reponendam, nam, juxta consuetam loquendi rationem, hic libertate fruitur qui potest e duobus pluribusve unum aut alterum eligere, et libertas vocatur « potestas unum eligendi inter plura ». — Consonat S. Thomas : « Proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum accipere, alio recusato » ; et etiam : « Liberum arbitrium nihil aliud est quam vis electiva[1] ».

Hinc apparet error D. Bergson qui libertatem confundit cum mera spontaneitate, imo cum qualibet causalitate virium naturalium[2].

B. — Ad essentiam vero electionis requiritur et sufficit voluntatis *indifferentia*, tum *objectiva*, tum *subjectiva*.

1. — *Requiritur* : est nempe indifferentia (inter diversa) absentia — non quidem inclinationis et desiderii — sed determinationis ad unum, sive ex parte objecti, sive ex parte subjecti. Jamque patet sine utraque indifferentia objectiva et subjectiva non stare libertatem electionis : secus enim ab objecto necessario vel ex invincibili propensione determinaretur.

2. — *Sufficit*, et hæc duo tantum implicat notio liberi arbitrii.

108. Hinc — 1° libertas est *proprietas solius* voluntatis.

A. — Quod sit *proprietas* voluntatis, indirecte probatur, nam

1° Libertas non est *actus* : alioquin, « si libertas nominaret actum, non semper remaneret in homine[3] », quum actus sit transitorius.

2° Libertas non est *habitus* — nec *acquisitus* : « hoc est enim naturale homini, quod sit liberi arbitrii[4] » ; — nec *naturalis*, qui non potest esse liber, ut patet de habitu primorum principiorum et aliorum ad quæ naturaliter et necessario inclinatur.

3° Libertas non est *facultas executiva*, quia sæpius homo non potest exsequi quod libere vult ; — nec *cognoscitiva*, quia sensus aut intellectus *per se* non est liber in apprehendendo aut non apprehendendo.

His vero rejectis, restat quod libertas sit qualitas voluntatis ; imo

B. — Libertas, *formaliter* sumpta, est *solius voluntatis*, nam proprium voluntatis est velle, proprium autem libertatis est eligere : sed eligere bonum est velle tale bonum ; ergo eligere et velle duplex est functio ejusdem facultatis circa idem objectum. — Dixi *formaliter*, quia radicaliter libertas est in ratione,

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 83, a. 1, 2, 3, 4.— 2. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 119. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 83, a. 2, ad 1. — 4. *Sum. Theol.*, *ibid.*, c.

sicut voluntas radicaliter est in intellectu ; « et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii, eo ipso quod rationalis est[1] » (n. 102 et 115). — Unde fit ut actus liber sit totius hominis, — nec tantum intellectus qui per se liber esse nequit, — nec tantum voluntatis quæ sine intellectu nihil valet.

109. Hinc — 2° ad veram libertatem sufficit *libertas contradictionis,* — *nec pertinet libertas contrarietatis aut specificationis, nec mutabilitas propositi, nec facultas peccandi.*

Prob. — Illud ad essentiam libertatis non pertinet sine quo voluntas est domina sui actus et datur veri nominis electio. Atqui ad utrumque sufficit libertas contradictionis, sed hæc quatuor prædicta non requiruntur :

1° Non *libertas contrarietatis.* Si enim e duobus contrariis unum præ alio voluntas libere eligere possit, cur non e duobus contradictoriis ? — Si in eligendo bonum inter et malum sit domina sui actus, cur non sit etiam, quando eligit inter agere et non agere ? utriusque actus causa et domina vere est.

2° Non *libertas specificationis.* Nam diversitas objectorum est aliquid accidentale et extrinsecum ex parte libertatis ; nec minus est actus sui dominus, qui inter ambulare vel non ambulare eligit, quam ille qui inter ambulare et sedere sese determinat.

3° Non *mutabilitas propositi.* Vel enim prior determinatio fuit libera, vel non : si prius, ergo jam existit libertas, nec mutatio propositi requiritur ad essentiam ejus ; si posterius, nec subsequens determinatio erit libera, antequam iterum mutetur propositum, et sic in infinitum.

4° Non *facultas peccandi*, contra liberales [2]. Revera libertas peccandi sic se habet ad libertatem, sicut potentia errandi ad intellectum : porro facultas errandi est quidem intellectus creati imperfectio naturalis, non vero essentiam intellectus constituit ; ergo et libertas peccandi est imperfectio.

Confirmatur, nam Deus est immutabilis, Beati in cœlo sunt impeccabiles, Jesus Christus in terra libertate contradictionis tantum in multis præditus fuit : qui tamen omnes sunt perfecte liberi.

1. *Sum. Theol., ibid.*, a. 1. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 62, a. 8, ad 3.

II. *Existentia libertatis.*

110. Quinam sint sive *hostes*, sive *defensores* libertatis [1] ?

A. — Sunt philosophi, v. g., pantheistæ, dualistæ, manichæi, qui libertatem *indirecte* rejiciunt, systema cum ipsa incompossibile propugnando : — qui vero eamdem *directe* negant, vel fatalismi vel determinismi sunt fautores.

1. *Fatalistæ* necessitatem ab extrinseco inducunt in voluntatem, triplici quidem via. — Nam Stoici veteres et Astrologi cujusvis ætatis, Fato vel Astris tribuunt cunctas voluntatis determinationes ; hinc fatalismus *mythologicus*. — Multi hæretici, v. g., Calvinistæ, Jansenistæ, cum pluribus rationalistis, libertatem cum Dei præscientia aut concursu componi non posse contendunt ; hinc fatalismus *theologicus*. — Tandem non pauci, sæculo XVII° et XVIII°, v. g., Hobbes, Bayle, Helvetius et Lamettrie, item multi sensualistæ ætate præsenti, nihil sine causa necessaria fieri, et libertatem solum a coactione admittendam esse docuerunt : hinc fatalismus *metaphysicus* [2].

2. Crassior vero paucis abhinc annis error ubique grassatur, nempe *determinismus*, qui necessitatem ab intrinseco tribuit voluntati. Illius systematis patroni libertatis nomen usurpant, rem vero e medio tollunt, nam, ut dicunt, hominis voluntas — vel functionibus cerebri et materiæ, — vel dispositionibus temperamenti, — vel rationibus sufficientibus, ad agendum vel non agendum determinatur. Hinc determinismus *mechanicus*, *physiologicus* et *intellectualis*.

B. — Ast frustra : nam apud omnes homines omnesque populos libertatis notio viget. Item fere omnes philosophi, si excipiuntur fatalistæ et recentes determinismi fautores, eamdem libertatem agnoscunt ; sed consensus hominum in re hujus momenti est infaillibilis (Log., n. 240).

111. *Utrum* homo libertate arbitrii gaudeat [3] ? — Respondet

THESIS

Homo libertate arbitrii gaudet.

Probatur conscientia, ratione et consectariis sententiæ oppositæ : quæ tria libertatis inconcussa sunt argumenta.

1. *Conscientia.* Factum negari non potest quod testimonio conscientiæ probatur. Porro conscientia psychologica testatur hominem, sicut obligatum, ita liberum esse multis quidem

1. Cf. **Fonsegrive**, in *Essai sur le libre arbitre*, 1re p., l'histoire, p.1-271. — **Piat**, *La Liberté*, 1re p. — 2. Cf. **E. Blanc**, *Traité de phil.*, t. II, n. 920-927. — 3. Cf. **E. Blanc**, *Théorie du libre arbitre* ; — **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, 1re p. ; — **Piat**, *La Liberté*, 2e p. ; — *Annales de philos. chrét.*, août 1896, p. 457 ; — **Bossuet**, *Traité du libre arbitre* ; — **J. Simon**, *Le Devoir* ; — *Questions actuelles*, t. VIII, p. 188, 338 ; t. XX, p. 244 ; — **D'Alès**, *Dict. Apol.*, art. *Libre arbitre*.

modis. Nam, experientia teste, — ante effectam determinationem, deliberamus inquirendo motiva agendi vel non agendi ; — sæpe in agendo, libere operantem unusquisque se sentit, ita, v. g., a legendo vel ambulando desistere posset, si vellet ; — commisso peccato, conscientiæ stimulum sæpius experimur, nobis autem gratulamur de bono patrato. — Quinimo agere possumus aut non agere, v. g., ambulare aut sedere, ad probandam libertatis nostræ existentiam. Sed hæc omnia manifestant libertatem arbitrii : « La liberté est un fait et, parmi les faits, il n'en est pas de plus clair [1]. » Ergo certum est hominibus inesse veram arbitrii libertatem.

2. *Ratione*. Ad libertatem duo requiruntur et sufficiunt : ut voluntas extrinsece non moveatur invincibiliter a natura ipsius objecti, nec intrinsece sive ab intellectu, sive a seipsa. Sed duplex illa conditio sæpius adest : — 1ª quidem, nam multa sunt objecta sine quibus « finis esse potest [2] », quæ inutilia et indifferentia apparent, nedum sint necessaria : ergo trahere invincibiliter voluntatem non valent. — 2ª etiam, nam *intellectus*, qui penetrat essentiam rerum et perpendit earum proportionem ad finem nostrum, multos defectus invenit in objectis, quæ proponit voluntati « et ideo circa ea judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum » : nec proinde *voluntas*, quia « forma per quam agit non est una, sed plures sunt secundum quod sunt plures rationes intellectæ [3] » : atqui inter illas non fertur ex necessitate nisi in finem ultimum, sc. beatitudinem et in media evidenter necessaria, non autem in ea quæ sunt ad finem suum indifferentia. Ergo voluntas libertate arbitrii gaudet (n. 115).

Brevius, « voluntas necessario appetit id quod sibi præsentatur tanquam bonum ex omni parte explens appetitum, sed inter plura bona quæ judicio mutabili appetenda proponuntur, libere eligit [4]. » En celeberrimum argumentum metaphysicum in favorem libertatis. Revera libertas eligendi inter plura est consectarium necessarium capacitatis infinitæ rationis. Homo est rationalis, ergo liber est [5].

3. *Ex fatalismi vel determinismi consectariis*. Libertate enim

1. **Bergson**, *Essai sur les données*..., p. 168. — 2. **S. Thomas**, *Contra Gent.*, L. I, c. 81. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 41, a. 2, — q. 83, a. 1 ; — *Cont. Gent.*, L. II, c. 48. — 4. **Thesis Thomistica**, XXIª. — 5. **Farges**, *La Liberté*, p. 133-138.

rejecta, jam corruit conscientia moralis omnisque moralitas. Hinc « frustra sunt consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, prœmia et pœnæ [1] ». Hinc bonum et malum, virtus et vitium inter se distingui non possunt. Denique ima societatis humanæ fundamenta diruuntur, ut confiteri coguntur multi sociologistæ, qui, negata libertate, leges tamen et pœnas dicunt societati necessarias haud secus ac animalibus [2].

Ast contra libertatem permultæ sunt difficultates, quæ ad *triplicem* classem referri possunt [3].

112. Quænam sint objectiones : 1° ex *psychologia* desumptæ ?

Obj. I. — Conscientia percipit tantum actus animæ, sed non ejus facultates, « ces causes profondes d'où jaillissent nos actes ». Porro libertas quædam est facultas. Ergo a conscientia non percipitur [4].

Resp. *Transeat maj.*, quippe actus, cum ab ipso agente non separetur, percipi nequit, quin agens ipsum percipiatur. — *Dist. min.* libertas est facultas semper in potentia, *nego* ; modo in actu et modo in potentia, *conc.* Porro, si quando est in mera potentia, percipi nequit, sed si in actu, a conscientia percipi potest.

Inst. I. — Si libertas in actu perciperetur, hoc fieret vel *ante* vel *post* actum consummatum. Sed non ante, quia actus nondum existit ; nec post, quia actus jam est determinatus et non liber. Ergo nunquam.

Resp. Libertas nec ante, nec post actum percipitur, sed *dum fit* actus, seu dum libertas transit de potentia ad actum completum. Revera in conatu attentionis, deliberationis et determinationis conscientia processum nostræ libertatis vere intuetur et ab actibus non liberis optime distinguit. « Même lorsqu'on esquisse l'effort nécessaire pour accomplir une action, on sent bien qu'il est encore temps de s'arrêter. » Ita Bergson [5], W. James, Maine de Biran, Rabier... contra Lahousse, Fonsegrive, etc.

Inst. II. — Falsum est testimonium conscientiæ : ergo nulla distinctio. Constat antecedens exemplo sive somniantis sive hypnotici, qui se liberum esse credit et reapse non est.

Resp. Fallit per accidens et in statu non normali, *conc.* ; per se et in statu normali, *nego*. Et sane utriusque status discrimen paulisper consideranti haud ægre apparet, nam, v. g., 1° dormiens, statim ac evigilat, evidentiam veram a falsa et apparenti perfecte distinguit ; 2° quod attinet ad hypnoticos, negandum est illos esse liberos, et revera non sunt ; nam, etsi non sint in statu normali ad recte judicandum, sæpe tamen a suggestore suo obsessos se esse et captivatos sentiunt et dicunt.

1. *Sum. Theol.*, *ibid.* ; — **Mgr Turinaz**, *L'âme*, p. 101 ; — Cf. **Farges**, *La Liberté*, ch. I. — 2. Cf. **E. Blanc**, *Psych.*, n. 917 et suiv. — 3. Quas omnes confutat **Farges**, *La Liberté*, p. 66-218 ;. — **Levesque**, *Psych.*, ch. X, 2e et 3e leç. — 4. Ita **St. Mill**, *Examen de la philos. de Hamilton*, ch. 26.— 5. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 88.

Inst. III. — Ast etiam in statu normali, homo forsan ignorat motiva et causas secretas quibus determinatur, jamque, vi talis inconscientiæ, se liberum esse credit, sed revera non est.

Resp. Sunt casus in quibus hæc ignorat et tunc non est liber, *trans.*; non sunt in quibus perfecte cognoscit motiva agendi vel non, eaque recusandi possibilitatem, tuncque non sentit positive se a seipso determinari, *nego.* Jamvero hoc positivum conscientiæ testimonium non est æquivocum et illusorium, sicut testimonium mere negativum.

Obj. II. — Anima bilanci comparari potest; quæ semper deprimitur in partem lancis gravioris : sic etiam anima in partem motivi gravioris.

Resp. *Dist. ant.* : est bilanx mere passiva, *nego*; activa quæ seipsam movere potest, saltem ex parte, *conc.* — *Dist. cons.* : motivum, quod voluntatem trahit, aliis semper fortius est : *subjective* propter adhæsionem quam mens ei præbet, *conc.*; in se et objective, *nego.* Ex quo patet qualis sit vis mentis erga motiva : imo « Tout l'effort moral revient à soutenir (pour les rendre prépondérantes) des représentations [1] ».

Inst. — Nunquam nolumus aliter ac cogitamus : sed cogitatio nunquam non est necessaria : ergo pariter volitio.

Resp. *Conc. maj.*, *nego min.*, nam de rebus contingentibus, quarum evidentia non est manifesta, fere semper quod placet cogitare possumus. — Quinimo, a rebus claris et evidentibus attentionem avertere aliquando juvat, et ideo has omittere. Quare non omnia judicia sunt necessaria, sed multa sunt libera (n. 115).

113. Quænam sint objectiones : — 2° ex *metaphysica* petitæ ?

Obj. I. — Si daretur actus liber, daretur eo ipso transitus spontaneus e potentia ad actum, e minori ad majus, daretur et initium absolutum motus, seu effectus sine causa. Porro hæc omnia contradicunt principio causalitatis. Ergo non datur actus liber.

Resp. *Nego maj.*; spontaneitas enim non importat transitum puræ potentiæ ad actum, sed transitum ex primo actu ad secundum : quod valde differt. Revera voluntas, jam in actu posita circa finem seu beatitudinem, postea seipsam movet ad electionem mediorum : ergo actus primus est, qui movet voluntatis potentiam ad actum secundum, fere eodem modo, dicente S. Thoma, ac ratio se non movet ad conclusiones, nisi sit in actu primo circa principia. Jamvero supra diximus (n. 101) primum motorem voluntatis non esse tantum ideam seu causam finalem, sed primam causam efficientem et motricem, nempe Deum. Inde divina præmotio, quæ requiritur, sed sufficit (n. 116, obj. IIa).

Obj. II. — Ante actionem liberam vel datur ratio sufficiens illam ponendi vel non; si prius non poni non potest; si posterius,

1. **W. James**, *Précis de Psych.*, p. 588.

poni nullo modo potest. Ergo actio libera repugnat principio rationis sufficientis.

Resp. *negando* utramque partem dilemmatis. Revera, si datur una ratio sufficiens agendi, possum et alteram inquirere meliorem, et diversam ponere actionem. Si nulla datur, possum aliquam inquirere et interea ab actione libere desistere. Ea est enim vis rationis, ut concipere bonum ideale, cum ipso conferre bona finita, et sic meliora semper desiderare et quærere possit : et in hoc multum differt a sensu qui « simpliciter aliquid unum apprehendit [1] ».

Obj. III. — Desumitur ex præscientia et concursu Dei ; utriusque autem solutionem videsis in Theod., (n. 85, 124).

114. Quænam sint objectiones — 3° ex *scientiis* desumptæ ?

Obj. I. — Experientia externa omnia extra nos esse necessaria demonstrat : ergo pariter omnia intra nos necessitati subjiciuntur [2].

Resp. nego *paritatem* allegatam, nam *a priori*, aliæ esse debent leges quæ regunt materiam, et aliæ quæ regunt spiritus. De facto, scientia, quæ observat leges eo fieri magis complexas et indeterminatas quo perfectiora in scala entium regunt, prona est inducere in supremo gradu entium creatorum inveniri maximam indeterminationem seu libertatem.

Obj. II. — Viget lex *conservationis* energiæ juxta quam summa energiarum in actu et energiarum in potentia semper eadem est. Porro, si libertas motus corporis dirigere posset, novam energiam crearet, quod contradicit prælaudato principio [3]. Ergo.

Resp. *Transeat* major, quæ non est omnino certa ; sed nego minorem. Non enim confundere fas est motores spirituales cum motoribus physicis, imo nec motores simpliciter viventes sed motu immanenti præditos cum motoribus extrinsecis et mechanicis. Motor enim physicus nequit agere in mobile extrinsecum absque aliquo impulsu (un choc), et ideo sine energia propria, quæ certam laboris mechanici quantitatem producat. Ast non ita actio immanens et spontanea viventium, in qua neque impulsus neque labor mechanicus requiritur : et ratio est quia principium vitale, per quod ex potentia in actum vel ex actu in potentiam reducuntur vires physico-chimicæ latentes in organis, in earumdem statu mutationes *qualitatis* producit, minime vero mutationes *quantitatis* totalis. Ergo principium quantitatis constantis servatur a viventibus et *a fortiori* a motoribus spiritualibus, anima sc. et Deo. Ex quibus concludes unamquamque seriem motuum mechanicorum habere principium in primo motore alterius ordinis, qui moveat, quin ipse eodem motu moveatur, et ideo qui, relative saltem, sit immobilis [4].

Obj. III. — Nascuntur homines præditi, vi hæreditatis, dispo-

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 82, a. 2, ad 3. — 2. **D'Alès**, *Diction. apolog.*, art. *Déterminisme.* — 3. M. **Couailhac**, *La liberté et la conservation de l'énergie*, in *Etudes relig.*, t. 76, p. 765 ; Cf. *ibid.*, 5 avril 1904 ; — *Revue thomiste*, an. 1899, p. 409 ; an. 1905. — 4. **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, p. 150-177 ; — *Théorie fond.*, 1re part., c. 5.

sitionibus ad virtutem vel ad vitium, ut probant physiologistæ et criminalistæ. Ergo non sunt liberi.

Resp. *Dist. ant.* : et istæ dispositiones necessitatem important *aliquando, conc.* ; semper et *ordinarie, nego.* Nec mirum, si in vita morali dantur casus teratologici, in quibus responsabilitas moralis plus minusve minuitur, sicut in vita rationali dantur idiotæ et amentes : sunt nempe exceptiones quæ, ut aiunt, legem confirmant generalem.

III. *Radix libertatis.*

115. Utrum et quisnam sit *influxus* rationis in libertatem ?

De relatione intellectus cum voluntate, quadruplex est sententia, prout *nullus*, vel *aliqualis*, vel *essentialis*, vel *determinans* asseritur influxus rationis in libertatem. Revera :

1. Juxta multos liberales, seu, ut aiunt, fautores absolutos liberæ cogitationis, voluntas minime pendet ab intellectu, sed autonoma est, et absque prævio rationis judicio, quidquid vult amplecti potest.

2. Juxta Scotum, Suarezium aliosque recentes, voluntas agere nequit sine prævio aliquali intellectus judicio, bene vero contra ultimum judicium rationis practicum ; nam, posito judicio intellectus speculativo, seipsam ducem constituere potest, juxta illud :

« Sic volo, sic jubeo : sit pro ratione voluntas. »

3. Non ita nobiliores scholastici, S. Thomas, S. Bonaventura, quibus adhæserunt Bellarminus et Leibnitzius. Juxta eos, datur ultimum judicium rationis practicum, quod ante actionem, quid sit hic et nunc inter plura præeligendum, decernit : hoc autem judicium semper, licet libere, sequitur voluntas, imo nec contra illud agere potest.

4. Perit ergo libertas, concludunt deterministæ : non enim liberum est judicium intellectus, nec libera sunt motiva quibus innititur : ideo nec libera voluntas quæ contra judicium agere non valet, sed ab eo necessario determinatur. Sed contra sit

THESIS

Electio voluntatis judicium practicum ultimum intellectus semper, sed libere, sequitur[1].

A. — *Judicium.* — Revera non datur facultas sine objecto sibi proprio ; ergo nec appetitus rationalis sine objecto ab intellectu proposito. — Nisi dicant voluntatem, quæ est omnino cæca, agere tamen posse sine ulla cognitione, quod est absur-

1. **Thesis Thomistica, XXI**[a] ; — Cf. **Farges**, *La Liberté*, 139-141.

dum in philosophia, et moralitatis eversivum. — Nec dicatur amor ipse bene discernens : « dicitur *enim* amor discernere in quantum movet rationem ad discernendum [1] ».

B. — *Practicum.* — Nam « apprehensio veri sine apprehensione boni et appetibilis [2] » vim non habet attractivam, qua moveatur appetitus. Atqui judicium speculativum, in sensu Scotistarum, quod in mera veri contemplatione sistit, non est apprehensio alicujus boni appetitui nostro convenientis. Ergo judicium voluntatem ad actionem trahere nequit, nisi sit practicum, id est, nisi appetitui proponat aliquod bonum conveniens hic et nunc prosequendum (n. 98).

C. — *Ultimum.* — Nam multa, præsertim in arduis, solent proferri judicia practica in hunc vel alterum sensum ; sed quantumvis a ratione protrahatur deliberatio aut reiteretur consilium (n. 103), tandem ultimo dicatur oportet via quam vult, utpote sibi meliorem, eligere voluntas : secus nullo modo ageret.

D. — *Semper*, ita ut sine hoc ultimo judicio agere nequeat. Siquidem voluntas hoc judicium sequitur vel aliud novum ; si prius, causam habemus ; si posterius, etiam, nam hoc novum judicium erit simul ultimum.

E. — *Libere* : nam, posito ultimo rationis judicio, voluntas vel objective vel subjective necessario determinaretur. Atqui — non *objective*, quia objectum de quo agitur in præsenti quæstione, non est aliquid perfectum sub omni respectu ac proinde necessarium ; — nec *subjective*, quia, si *vellet*, posset *non* agere : en libertas exercitii ; vel, intellectum ad aliud objectum retrahendo, pro libitu suo, aliquid adhuc melius quærere et eligere valet : en libertas specificationis. Ergo ex voluntate ipsa libera intellectus se sistit in ultimo judicio, seu, « quod sit ultimum, voluntas efficit [3] ». — Ipse Angelicus : « Determinato consilio, vult,... sicque judicium (ultimum) est quasi conclusio et determinatio consilii : determinatur autem consilium primo quidem per sententiam rationis et secundo per *acceptationem* appetitus.. [4] ».

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 47, a. 1, ad 1. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 9, a. 1, ad 2. — 3. **Thesis Thomistica, XXIa.** — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 83, a. 3, ad 2 ; — *de Malo*, q. VI ; — *Cont. Gent.*, L. I, c. 88 ; — L. II, c. 48.

116. *Objectiones* contra theoriam ultimi judicii practici.

Obj. I[a]. — Contra *ultimum judicium*. — Sæpius agimus contra ultimum judicium, v. g., quoties peccamus ; ergo falsa thesis.

Resp. Dist. ant. Agimus contra judicium intellectus imperantis quid esset faciendum tanquam bonum aut melius *in se*, *conc.* ; contra ultimum judicium dictitans, quid tandem aliquando hic et nunc faciendum est, tanquam bonum et melius *pro nobis*, *nego*. Nam et sub specie boni multi falluntur ; v. g., qui vult furari, quamvis sciat in universali furtum malum esse, tamen judicat *sibi et tunc* bonum esse furtum, et sub specie boni ipsum eligit [1].

Inst. I. — Voluntas majori bono minus bonum anteponere valet : sed hoc in casu electio erit contra ultimum judicium rationis : ergo iterum falsa thesis.

Resp. *Dist. min.* Erit contra aliquod judicium, dicens majus *in se* bonum anteponendum esse, *conc.* ; contra ultimum judicium asseverans hoc minus in se bonum, tamen *hic et nunc* melius esse pro nobis, *nego*.

Inst. II. — Sed dantur aliquando duo bona *perfecte æqualia* : ergo in hac hypothesi voluntas agere non poterit, vel agit sine ultimo judicio [2] : ergo vel nulla electio vel contra thesim.

Resp. Solvant dilemma Suareziani vi cujusdam liberalismi voluntatis ! Sed cum thomistis *nego cons.* seu utramque partem hypothesis, siquidem in praxi, ob rationes extrinsecas vel convenientias personales, in promptu adest ultimum judicium de hoc uno eligendo bono potius quam nullo : « Quod (enim) voluntas feratur in id quod sibi offertur magis secundum hanc particularem conditionem quam secundum aliam, potest contingi tripliciter. *Uno* quidem modo, in quantum una præponderat, et tunc movetur voluntas secundum rationem. *Alio* vero modo, in quantum cogitat de una particulari circumstantia et non de alia... *Tertio vero modo contingit ex dispositione hominis*, quia, secundum Philosophum, qualis unusquisque est, talis finis videtur ei [3]. »

Obj. II[a]. — Contra *liberum judicium*. — Judicium ultimum, ex dictis, liberum est ex imperio voluntatis. Sed hujusmodi imperium est actus liber, qui jam supponit aliud judicium ultimum, quod rursus et ipsum præsupponit aliud imperium, et ita inducitur series infinita volitionum et judiciorum.

Resp. *Nego* seriem induci infinitam, nam intellectus agit in voluntatem et voluntas in intellectum, diversa causalitate, sc. finali et efficiente. — Aliunde, ultimo « statur in intellectu, sicut in primo : omnem enim voluntatis motum necesse est quod præcedat apprehensio, sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis [4] ». Porro, sicut voluntatis dicimus Deum esse primum motorem, ita et intellectus. Unde non est procedere in infinitum.

1. **S. Thomas**, *Quæst. disp., de Veritate*, q. 24, a. 2, c. — 2. Cf. **Franck**, *Dict. des sciences phil.*, art. *Buridan*. — 3. *Quæst. disp., de Malo*, q. VI, a. unic., c. in fine. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 82, a. 4, ad 3 ; — Cf. **Gardeil** : mot *Election*, in *Dictionnaire de théologie catholique*.

SECTIO III[a].

DE ORIGINE IDEARUM SEU IDEOLOGIA [1].

117. Status *quæstionis* de origine idearum.

A. — *Ordo.* — Hactenus, sermonem habuimus de potentiis animæ, primo quidem in genere, dein vero in specie ; nunc igitur, ulterius progrediendo, agendum est de earum exercitio seu actibus. De quibus autem multa passim, speciatimque de actibus sensuum (n. 40-70) et ipsius voluntatis (n. 103), jam diximus. Unde specialius tractandum restat de actibus quibus homo specifice (n. 84) ab aliis entibus secernitur, nempe *de ideis intellectus humani.*

B. — *Sensus.* — Revera præter potentiam sensitivam, inest homini facultas cujus ope tum res materiales immateriali modo, tum res immateriales et necessarias attingit. Porro potentia sensitiva actione corporum determinatur ad rerum sensibilium perceptionem. Quomodo autem intellectus determinetur ad rerum immaterialium apprehensionem, sicque ad efformandos conceptus universales et necessarios, nunc quæritur[2]. His enim habitis, statim habentur judicia primitiva, postea vero ideæ derivatæ, necnon judicia secundaria.

C. — *Momentum* porro hujus quæstionis neminem fugit. Nam, ut historia compertum est, ex solutione hujus quæstionis pendent cæteræ philosophiæ quæstiones. Unde S. Augustinus : « Tanta in eis (ideis) vis constituitur, ut, nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit[3]. » — Hinc est etiam cur omni tempore tam acriter philosophi de origine idearum disputaverint, totque prodierint systemata.

Ex quibus autem plura sunt falsa ; unum autem verum est, nempe systema scholasticum. Unde duplex erit caput : I. *De Falsis systematibus* philosophorum ; II. *De Intellectualismo* seu de vera sententia circa originem idearum.

1. Cf. **S. Thomas**, *Quæst. disp., de Veritate*, p. I, q. III ; — *Sum. Theol.*, q. 79, 84, 85, 86, 87, 88 ; — **Liberatore**, *De la connaiss. intellect.*, vel *Psych.*, c. IV ; — **Kleutgen**, *Phil. Scol.*, t. I, dissert. I ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 174-188. — 2. **Liberatore**, *De la Connaiss. intell.*, p. 91-92 ; — **Levesque**, *Psychol.*, c. VII. — 3. **Augustinus**, *De diversis quæstionibus* 83, q. 46, n. 1.

CAPUT PRIMUM.

DE FALSIS SENTENTIIS CIRCA ORIGINEM IDEARUM.

118. Quænam sint de origine idearum *falsa systemata* ?

Circa præsentem quæstionem, præsertim apud recentiores, quot fuerunt auctores, tot fere prodierunt sententiæ ; quæ tamen ad nonnullas classes revocari queunt.

Nempe, *mundus*, *anima et Deus* diverso modo concurrere possunt ad formandas ideas ; exinde diversa systemata.

Juxta scholasticos, Deus animæ largitur facultatem et lumen requisitum ad veritatem assequendam ; mundus seu res sensibiles primum cognitionis elementum suppeditant ; intellectus autem elementum ab experientia acceptum elaborat et verbum internum concipit : inde *Intellectualismus*.

Philosophi vero non pauci *mundo* seu rebus externis maximam partem tribuunt in ideis acquirendis ; propterea, illorum systema nomine communi vocatur *Empirismus*. — Alii vero contendunt ideas originem *ab anima* deducere, sive sint innatæ, sive prodeant e solius rationis viribus ; tale systema dici potest *Inneismus*. — Nonnulli tandem asserunt ideas *immediate* per visionem intuitivam exordium *a Deo* sumere, vel ab ipso creari ; et hic est *Ontologismus*. — His sententiis accessit *Traditionalismus*, qui ex tribus præcedentibus aliquid habet : hic enim mentem exhibet ut meram capacitatem quæ ideas suas accipit ab hominibus, mediante exteriori sermone, qui a Deo sumit originem.

Hinc *Intellectualismo*, quatuor opponuntur systemata : *Empirismus*, *Inditismus*, *Ontologismus* et *Traditionalismus*.

ARTICULUS I.

De Empirismo.

119. Quænam sint *empirismi* præcipuæ formæ ?

A. — Crassior empirismi forma est *materialismus* et *positivismus*. Philosophi enim nonnulli (apud antiquos Democritus et Epicurus ; inter recentes autem : Hobbes, Volney, Helvetius, d'Holbach, Cabanis, Buchner, omnesque materialismi et positi-

vismi fautores) idearum originem per solas impressiones organicas et materiales explicari voluerunt [1].

B. — *Sensistæ*, rejectis materialismi commentis, animam e medio tollere nolunt, sed exclusivam nimiamve partem sensibus et rebus corporeis largiuntur.

Imprimis, *Lockius* asseruit ideas omnes originem ducere vel ab observatione rerum sensibilium, vel a consideratione sensationum ipsarum ; hinc, duo sunt fontes idearum, *sensatio* atque *reflexio* seu conscientia ; per sensationem, ideas simplices, et per reflexionem, ideas complexas acquirimus [2].

Condillachius, qui « sensismi parens merito habetur », unicum ideæ fontem, nempe *sensationem* admittit ; propterea attentio, comparatio, judicium, reflexio, imaginatio, ratiocinium, nihil aliud esse possunt quam ipsa sensatio « transformata [3] ».

Lamoriguière hanc theoriam emendare conatus est ; et idcirco, præter sensationem, agnovit quamdam *activitatem*, quæ sese per attentionem, comparationem et ratiocinium exerit. Sic, juxta eum, omnes ideæ sumunt originem in sensibus, et perficiuntur per attentionem, comparationem et ratiocinium [4].

120. Quid de empirismo sit *sentiendum* [5] ? — Ad rem sit

THESIS

Empirismus, quocumque modo propugnetur, falsus est.

Prob. — Nam empirismi falsum est fundamentum, insufficiens theoria, pessima sunt consectaria ; ergo rejiciendus.

Constat Ium, nam materialismus præter materiam, sensismus præter sensum, nihil admittunt : porro utrumque falsum esse demonstravimus (n. 83) vel infra demonstrabitur (n. 168).

Constat IIum, nam insufficiens est quodlibet medium ab empiricis inventum ad explicandas ideas abstractas, immateriales, universales et necessarias [6] : — 1º *Sensus*, cum sit facultas organica, non potest cognoscere nisi singulare contingens et materiale. — 2º *Reflexio* super sensationem revocari debet ad aliquem sensum internum, quia objectum ejus est aliquid etiam singulare. — 3º Ipsa *sensationis transformatio*, quantumvis protrahatur, sensum in intellectum, contin-

1. Cf. **Taine**, *La Philos. en France* ; — **Broussais**, *De l'Irritation et de la Folie* ; — *Rev. méd.*, 1866, p. 134. — 2. **Locke**, *Essai sur l'entend. hum.* — 3. **Condillac**, *Essai sur l'origine de nos connaiss.* — 4. *Leçons de philos.*, leç. 5e. — 5. **Farges**, *La Crise de la certitude*, p. 113, — 6. Cf. **Plat**, *De l'Intellect actif*, p. 65-103,

gens in necessarium transformare nequit, quia alterius est ordinis. Ergo, juxta sensismum, nulla reperitur in homine facultas per quam universalia attingi possunt [1].

Quapropter sibi consentit Taine, post Lockium, cum essentias rerum necessarias homini impervias, item notiones substantiæ, causæ... vel objectivitate carentes, vel necessitate destitutas docet, et, uno verbo, universalia formaliter sumpta *mera esse nomina* audacter adstruit (Ontol., n. 18, 98, 164). — Item Bergson, Le Roy, modernistæ : sunt enim nominalistæ.

Constat III^{um}. Jam enim, notionibus principiisque universalibus et necessariis scientiarum de medio sublatis, via panditur *scepticismo*. — Præterea, si immaterialia, v. g., Deus, captum hominis superant, in *agnosticismum* decidere oportet. — Vel, si sensatio in intellectum transformari possit, vincit essentiarum *evolutionismus*.

ARTICULUS II.

De Inneismo.

121. Quinam sint *inneismi* præcipui fautores ?

Nobiliores philosophi, melius de præstantia animi sentientes, empirismo contrarium callem inierunt ; idearumque principium e ratione ipsa repetendum esse duxere. Illorum systema nomine communi vocatum est *Inditismus* seu *Inneismus*. Cujus duplex est forma.

A. — Alii *ipsasmet ideas menti ingenitas esse* prædicant, et quadrupliciter, sc. vel omnes, vel quasdam, vel unam totius universi, vel entis possibilis.

1. Apud veteres, *Plato* ipse docuit animas olim in astris exstitisse, et ibi contemplasse res æternas et immutabiles, per species aut ideas ipsis inditas a « summa mente » ; postea vero, propter scelera detrusæ sunt in corpora, necnon in his veluti carceribus inclusæ. In illo statu miserrimo, cognitiones anteactæ non amittuntur, sed sopitæ sunt et occasione sensuum evigilant ; nam, dicente Platone, res sensibiles præ se ferunt imaginem earumdem idearum. Ideoque, cognitiones hominis nihil aliud sunt nisi *reminiscentiæ*.

2. Juxta multos, *Cartesius* sententiam Platonis recoxit et emendavit ; nempe, distinxit ideas *adventitias*, *fictitias* et *innatas*. Sed non semel ambiguus est. « Vel forte etiam omnes ideas esse adventitias possum putare, inquit, vel omnes factas : nondum enim

1. **Cousin**, *Histoire de la philos. du* XVIIIe *s.*, leç. 18

veram illarum originem clare perspexi [1]. » Imo, facultatem solam ut innatam admittere videtur [2]. Plerique tamen illius discipuli idearum inneitatem admisere.

3. *Leibnitzius* et Wolfius docuerunt animam ex essentia sua ideam ingenitam totius universi seu « *schema* » rerum omnium in se habere. Illa mundi repræsentatio prius est confusa et quasi implicita ; deinde vero per virtutem nativam animæ fit explicita et distincta. « Les propositions d'arithmétique et de géométrie sont toutes des vérités innées dans notre âme. Leur connaissance actuelle ne l'est pas, mais bien ce qu'on peut appeler la connaissance virtuelle [3]. »

4. *Rosmini* universalissimam et simplicissimam, sc. *entis possibilis* ideam, nobis ingenitam esse voluit, ex qua deinceps omnes aliæ, sive generis, sive speciei, formantur ideæ ; ea enim est lumen intellectus et quasi forma rationis.

B. — Alii vero *facultatem tantum ingenitam esse* prædicant. Hanc autem ex suo fundo et *a priori*, ante omnem experientiam, haurire omnes ideas, asserit Rationalismus transcendentalis Germanorum et Gallorum, cujus præcipui duces fuere Kant, Schelling, Hegel et Cousin ; de quorum systemate fusius jam actum est in Logica (n. 210).

122. Quid autem de inneismo sit *sentiendum* [4] ? — Ad rem sit

THESIS

Inneismus, quocumque modo propugnetur, est falsus.

Prob. — Inditistæ, vel facultatem tantum ingenitam, vel ideas etiam innatas admittunt. Si prius, eorum systema difficultatem de idearum origine non solvit, sed eludit. Si posterius, est *mera* hypothesis, valde quidem *periculosa*.

I. — Inneitas idearum est *mera* hypothesis, siquidem

a) *Gratis asseritur*. Quis enim est conscius se tales ideas accepisse aut nunc habere ? Quis dicit : studiis incumbo, ut ideas in me sopitas e gravi somno excitem ?

b) *Contraria* est factis : cur enim in infantibus et idiotis ideæ sopitæ nunquam evigilant ? Et cur, deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum quæ apprehenduntur secundum illum sensum [5]? « Si ces notions ne sont pas naturellement imprimées dans l'âme, comment peuvent-elles être innées ? Et si elles y sont imprimées, comment peuvent-elles lui être inconnues [6] ? »

c) Est *inutilis* : nam sola facultas virtute naturali præ-

1. *Meditationes*. — 2. *Epist.* XXX ; cf. Lettres, l. 1, n. 477. — 3. *Nouv. Essais sur l'entend. humain*, L. 1, c. 1, 2, 4. — 4. **Farges**, *La Crise de la certitude*, p. 124-130. — 5. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 84, a. 3. — 6. **Locke**, *Essai sur l'ent. hum.* ; — Cf. **de Margerie**, *Phil. contemp.*, p. 334-356.

dita seu vis abstractiva, sufficit ad acquirendas notiones universales, ut ratione et experientia demonstratur.

d) Quinimo *insufficiens* est, siquidem inneitas non explicat quomodo singulæ ideæ quibusdam objectis potiusquam aliis, eisque solis, applicentur, nisi mens, ut volunt scholastici, potentiam habeat detegendi ideas expressas in ipsis objectis.

II. — Est valde *periculosa* duplici saltem ex parte : nam

1° *Scepticismo* favet. Revera inneistæ negant notiones universales e rebus ipsis per virtutem intellectus abstrahi et ab ipsa mente concipi, sed innatas in mente a priori existere contendunt ; quapropter affirmare nequeunt utrum inter ideam et objecta realiter habeatur conformitas : inde subjectivismus.

2° *Idealismo* viam aperit. Etenim, inditistæ rebus physicis nullam causalitatem largiuntur in idearum innatarum origine ; corpora sunt tantum *occasio*, qua data, ideæ prius habituales aut virtuales fiunt actus existentes. Hinc, Cartesius ipse corporum existentiam in dubium revocavit, et postea nonnulli, sicuti Malebranchius, Berkeleius, Humius, Fichteus, idealismum mitigatum vel absolutum aperte professi sunt (Log., n. 197 et seq.).

123. Dixi : quocumque modo propugnetur, — præsertim vero a rigidioribus... Nam de *reminiscentia Platonis*, quæ nititur in præexistentia animarum et metempsychosi, disserere foret otiosum (n. 215, 228). — Sententiæ vero *Germanorum* (Log., 212) nullo fundamento nituntur, experientiæ contradicunt, idealismum absolutum gignunt et necessario propellunt ad pantheismum universalem. Unde mera sunt somnia, dicente ipso Fichteo : « L'être n'est pas. Moi-même je ne suis pas. Autour de moi, la réalité s'est transformée en un songe bizarre, sans qu'il y ait une vie réelle à rêver, où ce songe lui-même se trouve être un rêve [1]. »

Obj. — Multis in locis asserit Angelicus cognitionem primorum principiorum esse nobis ingenitam, naturalem vel innatam ; ergo.

Resp. *Nego cons.* ; nam S. Thomas innatam vocat cognitionem, cujus causa, nempe facultas aut lux mentis, est naturalis nobis et innata. Sic enim ait : « Cognitio quæ fit per aliquid naturaliter nobis inditum, est naturalis, sicut principia indemonstrabilia quæ cognoscuntur per lumen intellectus agentis [2]. »

1. **Fichte**, *Destination de l'homme*. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 107, a. 1 ; — Cf. **Zigliara**, *Œuvres philos.*, p. 359-371.

ARTICULUS III.

De Ontologismo.

124. Quænam sint Ontologismi formæ et præcipui *fautores* ?

A. — *Formæ.* — *Ontologismus*, stricto sensu acceptus, est systema quod ex visione Dei immediata desumit nostras ideas. Duplex est : videlicet *absolutus* vel *mitigatus.* — Si prius, *omnes* cognitiones, etiam rerum materialium, in « rationibus æternis », ut dicunt, aut in ipso lumine infinito, mentem nostram illuminante, sumunt originem. — Si posterius, anima notiones necessarias et absolutas, potissimum ideam Infiniti, et prima principia contemplatur in *attributis* divinis ; cætera vero, nempe *contingentia*, per abstractionem intellectus et ope sensuum innotescunt.

B. — *Fautores.* — 1. Ontologismi *absoluti* parentes dicuntur Malebranchius et Gioberti. Juxta *Malebranchium*, anima fruitur *attributorum* divinorum visione, imperfecta quidem, sed *immediata* ; — Deus autem, ita perceptus, est lumen rationis omniaque per Ipsum fiunt intelligibilia et in Ipso conspiciuntur ; res ipsas contingentes in ideis divinis, tanquam in *exemplaribus* æternis, directe percipimus : « Car l'esprit peut voir en Dieu les ouvrages de Dieu, qui représente les êtres créés [1]. »

Gioberti asseruit Deum ipsum immediate ab anima cognosci ; — sed, quum Deus sit creans omnia, mens nostra, Deum intuendo, actionem *creatricem* et simul terminum hujus actionis, nempe mundum ipsum, dignoscit ; — unde principium omnis cognitionis est : *Ens creans existentias seu Deus creans mundum* [2].

Quapropter, juxta ipsos, Deus est non tantum primum ontologicum, sed et primum psychologicum, et ideo primum philosophicum.

2. Doctor Ubaghs Ontologismum *mitigatum* propugnavit : cui adstipulantur nonnulli recentiores, v. g., forsan Fenelonius et Gerdilius, præsertim Jean-sans-Fiel [3] et Fabre [4], denique nonnulli alii, Branchereau, Hugonin, qui postea suum errorem laudabiliter repudiaverunt.

Sed immerito S. Augustinus, S. Anselmus et S. Bonaventura habentur ut ontologismi duces et patroni. Hi enim hanc immediatam visionem non semel impugnaverunt, necnon systema scholasticum de origine idearum exposuerunt [5]. Non ergo ex aliquot vocabulis locisve, sed ex summa doctrinæ dijudicandi sunt SS. Doctores. Hæc sanæ interpretationis regula excidit e memoria

1. *Recherche de la vérité.* — 2. *Introd.*, vol. II, c. I, *Trad.* a Tourneur, 1847. — 3. **Jean-sans-Fiel**, *Discussion amicale sur l'ontologisme entre Lui et Moi*, 1865. — 4. *Défense de l'Ontologisme.* — 5. **Zigliara**, *Œuvres philos.*, t. II, p. 273-473.

eorum, qui etiam S. Thomam Ontologistam esse contendunt[1] (Cf. n. 128).

125. Quid de Ontologistarum placitis sit *sentiendum* ?

THESIS

Ontologismus, quocumque modo propugnetur, falsus est.

Prob. — Nam ontologismi sive absoluti, sive moderati, falsa sunt *fundamenta*, falsæ *theses*, pessima *consectaria*. Ergo.

I. *Falsis nititur fundamentis*, nempe duobus syllogismis.

En 1us. — Viget realis distinctio inter essentiam et substantiam vel inter essentiam et attributa Dei. Porro sola visio divinæ essentiæ intuitiva est beatis propria. Ergo visio attributorum Dei intuitiva viatoribus competere potest.

Resp. : « Cum Deus sit infinite simplex, nulla in eo est distinctio inter essentiam et substantiam, inter attributa et substantiam. Quapropter nequit videri Deus nisi ejus essentia videatur ; nequit mens intueri aliquod Dei attributum, quin simul ejus essentiam intueatur[2] », in qua essent hujusmodi attributa tanquam in objecto cognito[3] (Cf. Theod., n. 56).

En 2us. — Videt homo prima principia universalia, necessaria, infinita et immutabilia. Hæc autem videre nequit in rebus creatis quæ sunt particulares, contingentes, finitæ et mutabiles. Ergo debet ea videre in attributis divinis.

Resp. — *Dist. min.* Hæc videre nequit in rebus creatis quatenus sunt particulares, contingentes, finitæ et mutabiles, *conc.* ; quatenus abstractionis ope exuuntur a characteribus particularibus et contingentibus, *nego.* — Nam quælibet essentia rerum, si quatenus existens consideretur, est quidem particularis, contingens, finita et mutabilis ; si vero quatenus forma *possibilis* seu *imitabilis* attingitur, est logice universalis, necessaria, indefinita et immutabilis. Cum enim res contingentes juxta ideas Dei necessarias sint formatæ, illas sufficit inspicere ad divinas formas cognoscendum[4] (Log., n. 218).

126. II. *Falsæ sunt theses seu assertiones Ontologismi.*

A. — *En* 1a. — Mens humana, etiam in statu vitæ præsentis, Deum immediate et directe percipit.

1. Cf. **Piat**, *De l'intellect actif* : « Quid divini nostris ideis tribuat divus Thomas? » — 2. Ita *Postulatum Patrum Concilii Vaticani* : cf. **Billuart** (édit. Palmé), t. VIII, p. 329, n. V, VI. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 5. — 4. Cf. **Liberatore**, *De la Connaiss. intell.*, lib. I, c. 4, S. 10.

Sed contra : hæc visio immediatia *nec est, nec esse potest.*

a) *Non esse* probatur ex hominum sensu communi. Si enim homo gauderet intuitiva visione, conscientiam aliquando haberet hujus visionis ; quum enim Deus sit summa veritas, visio illius mentem nostram vivide afficeret, ut apparet exemplo solis in rebus naturæ. Sed nemo, quamtumvis interroget suam conscientiam, conscius est se intuitione Dei gaudere.

Dicunt : Multæ mentis apprehensiones conscientiam prætereunt ; ergo, a pari, visio Dei. — Sed *nego* paritatem : possunt enim cogitationes fugitivæ a conscientia non apprehendi. Quomodo autem conscientiam semper effugeret actus perpetuus intellectus, nunc et semper actualis, quin unquam etiam cum attenta reflexione percipi posset ?

b) *Nec etiam esse posse* sic ex ratione demonstratur. Nam illa perceptio fieret vel per speciem impressam, vel per unionem essentiæ divinæ cum intellectu nostro. Atqui neutrum dici potest : — Non fit *per speciem*, nam species creata ad Infinitum manifestandum omnino impar est. — *Nec per essentiam* Dei intellectui nostro conjunctam : ens enim infinitum nullius intellectus creati objectum proportionatum esse potest. — Ideo theologi docent Deum per essentiam uniri non posse nisi menti quæ elevatur et quasi deificatur per lumen beatificum ; ergo Deus non est naturale objectum homini proportionatum[1] (n. 85).

B. — *En* 2*a*. — Ex illa Dei intuitione originem idearum, saltem necessariarum, repetere debemus.

Quod e contra, etiam admissa Dei visione, falsum esse *experientia* deprehenditur. Tunc enim frustra experimenta varia adhiberentur ad dignoscendas rerum essentias : has enim omnes perfecte et dilucide, ut Beati, unusquisque in se ipso dignoscere posset, sicque indulgere tantum contemplationi deberet.

127. III. *Tandem consectaria Ontologismi sunt periculosa.*

Imprimis enim latam rationalismo et pantheismo viam sternit. — *Rationalismo*, nam, si semel intuitio Dei tanquam naturalis habetur, jam ordo supernaturalis fit ad minus inutilis, et distinctio specifica inter visionem gloriæ et intuitionem naturalem corruit. — *Pantheismo*, nam, ex una parte, lumen intellectus est lumen divinum, idem numerice in om-

1. Opusc., *Super Boet.* ; — *Quæst. disp., de Veritate*, q. 18, a. 1.

nibus : unde theoria pantheistica *rationis impersonalis* facile sequitur. Ex altera parte, si res creatæ propria intelligibilitate carent, carent etiam propria entitate, nam ens et intelligibile convertuntur : quod rursus cum pantheismo quadrat.

Præterea, si semel homo admittatur ad visionem idearum Dei, erroris incapax evadit, diversæ ejus opiniones, etiamsi contrariæ, partes sunt unius veritatis, sicque via *immanentiæ* proceditur ad *theosophiam* quamdam mysticam et occultam.

128. Confirmetur *auctoritate* confutatio Ontologismi.

A. — Quod attinet ad auctoritatem *philosophorum*, jam vidimus quod omnes philosophi, paucis tantum exceptis, Ontologismo contradicunt : porro moraliter impossibile est, ut tot et tanti sapientes decipiantur circa veritatem hujusmodi. — Hinc est cur Ontologistæ ad suum systema S. Augustinum et S. Thomam trahere conentur, sed frustra : sic enim Angelicus seipsum et D. Augustinum a causa Ontologistarum disjungit, dicens : « Aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo sicut in objecto cognito, sicut aliquis videt in speculo ea quorum imagines in speculo resultant. Et hoc modo anima in statu præsentis vitæ non potest videre omnia in rationibus æternis ; sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia Beati, *qui Deum vident et omnia in ipso*. Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis principio ; sicut si dicamus quod in sole videntur ea quæ videntur per solem. Et sic necesse est dicere quod anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. » — « Quod autem S. Augustinus non intellexerit omnia cognosci in rationibus æternis, patet, etc...[1] » Ergo juxta illos SS. Doctores, Deus non est *objectum* visionis intellectualis, ut putant Ontologistæ, sed tantum *causa prima* quæ facit objecta creationis intelligibilia et hominem intelligentem, sicut lumen solis objecta visibilia reddit et oculum disponit ad videndum [2].

B. — Nec desunt *documenta Ecclesiæ* quibus confirmatur hæc sententia.

1. *Imprimis* Conc. Viennense, ut profligaret errorem Beguardorum, hanc propositionem damnavit : « Anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante ad Deum videndum [3]. » In qua notandum est nullam fieri distinctionem inter Dei substantiam et essentiam, inter essentiam et attributa, inter visionem claram et obscuram, intuitivam et extuitivam.

2. Circa medium sæculi XIX[i], ab universalis Inquisitionis Congregatione postulatum est utrum *tuto tradi* possint septem propositiones, imprimis a P. Martin, S. J., propugnatas, quarum tres

1. *Sum. Theol.*, p. I. q. 84. a. 5. — 2. Cf. **Piat.** *op. cit.* : — **Kleutgen**, *Phil. Scol.*, t. I. p. 115. — 3. Cf. **Denzinger**, n. 475.

priores tantum afferemus : 1° « *Immediata Dei cognitio*, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere posset ; siquidem est *ipsum lumen intellectuale.* » — 2° « Esse illud quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum. » — 3° « Universalia, a parte rei considerata, a Deo realiter non distinguuntur. » — Porro, anno 1861, proposito dubio S. Congreg. Inquis. respondit : « Negative [1] ».

3. *Tunc* autem fautores Ontologismi, ut professoratum retinerent, vel ut episcopatum adirent, a suis erroribus recedere debuerunt. Unus autem ex eis, Branchereau, philosophiæ professor, quindecim propositionibus suam doctrinam breviter contrahens, rursus postulavit utrum differant, necne, a septem propositionibus jam damnatis. Cui S. Cong. respondit, anno 1862 : « *Vix differt, si tamen differt* ». Porro una ex his propositionibus sic se habet : « Inter veritates intelligibiles, quas idealiter apprehendimus, imprimis reponitur Deus, cujus intellectio, licet ab intuitione Beatorum essentialiter distincta, non ad imaginem, sed ad ipsum Deum terminatur [2]. »

4. Non *ergo* mirum cur Em. ac R. R. Cardinales Xystus Riario Sforza, arch. Neapolitanus, et Joachim Pecci, tunc episcopus Perusinus, postea SS. Pontifex Leo XIII, proposuerint damnandam a Conc. Vaticano sequentem propositionem : « Naturalis est homini cognitio Dei immediata et directa [3]. » Hoc quidem postulatum, defectu temporis, Concilium examini tradere non potuit, sed Ontologismum una cum Traditionalismi sententia implicite damnavit, explicite docendo : « Deum unum et verum..., per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine, certo cognosci posse. » Ergo mens e rebus creatis ascendit ad Deum : « La raison n'a pas de Dieu une vue directe ; la pensée du Concile à cet égard ne peut être méconnue [4]. »

5. *Denique*, ad abundantiam juris, quadraginta propositiones Antonii de Rosmini-Serbati, anno 1888, damnatæ sunt. En 5ª : « Esse quod homo intuetur, necesse est ut sit aliquid entis necessarii et æterni : atqui hoc est Deus [5] ».

Post autem illa Ecclesiæ decreta, quæ quidem in juramento antimodernistico explicite confirmantur [6], non videtur quomodo Ontologismi defensores suum systema adhuc tuto docere possint. « Deum igitur in similitudine sua quæramus : in imagine sua Creatorem cognoscamus. »

ARTICULUS IV.

De Traditionalismo [7].

129. Quinam sint *Traditionalismi* varii gradus ?

Traditionalismus est systema eorum qui originem cognitionum,

1. **Denzinger**, n. 1659-1665. — 2. Cf. **Zigliara**, *Œuv. philos.*, t. II, c. xi, p. 169. — 3. Cf. **Billuart** (édit. Palmé), t. VIII, append. 61. — 4. **Card. Pie**, év. de Poitiers, *Inst. synod.*, t. II, p. 215. — 5. **Denzinger**, n. 1895. — 6. Motu proprio *Sacrorum Antistitum*, 1910. — 7. Cf. **Zigliara**, *Œuv. philos.*, t. I, in integ. ; — **P. Chastel**, *De la valeur de la raison humaine*,

saltem universalium, a magisterio externo et a traditione, mediante sermone, repetunt. Cujus quidem duplex est gradus :

1. De Bonald, mentis imbecillitatem exaggerans, docuit ideas *omnes*, præsertim universales et abstractas, non esse conceptus rationis humanæ, verum ab extrinseco per magisterium et ope sermonis in mentem irrepere. Tales ideæ protoparentibus revelatæ fuerunt, et in decursu sæculorum transmissæ sunt auxilio sermonis, qui a Deo etiam revelatus est.

2. Nonnulli Traditionalismum rigidiorem emendare tentaverunt : inde traditionalismus mitigatus, cujus duplex est forma.

a) — Juxta quosdam, duce Bonnetty, traditio solum necessaria videtur ad acquirendas veritates *necessarias*, quæ ad dogmata religionis naturalis et ordinem moralem pertinent ; ideas vero sive particulares, sive universales rerum naturalium ratio detegere potest [1].

b) — P. Ventura, Traditionalismi theoriam iterum mitigare volens, asseruit ideas *claras* Dei, spiritualitatis et immortalitatis animæ, nonnisi per traditionem innotescere ; sed rationem, propria virtute, notiones universales, etiam dogmata religionis naturalis et præcepta moralia saltem confuse cognoscere posse ; imo, Dei existentiam, animæ spiritualitatem et immortalitatem, postquam eas per traditionem didicimus, *demonstrare* possumus et aliis comprobare.

130. Quid tandem de Traditionalismo sit *sentiendum* [2] ?

THESIS

Traditionalismus, quocumque modo propugnetur, est falsus.

I. — *Falso nititur fundamento*, id est imbecillitate rationis, quæ tanta esset, ut per se ad veritates necessarias pervenire nequiret. — Sed contra : ut intellectus sit capax ideas universales acquirendi, duo requiruntur et sufficiunt : potentia physica ; exercitium hujusce facultatis. Porro inest homini vis radicalis abstrahendi, comparandi.., quod etiam adversarii confitentur, alioquin funditus evertitur cognitio humana ; — hæc potentia ope phantasmatum procedit ad actum suum [3], ut fusius dicetur (n. 134, 141). Ergo capax est intellectus.

II. — *In se falsus est, impossibilis est, contradictorius est.*

A. — *Falsus est*, nam originem idearum explicare nequit. Id enim a quo ideæ originem habent, debet esse prius ideis, ut patet. Atqui sermo est posterior ideis : nam signum posterius est re significata. Ergo non est id a quo ideæ originem habent.

B. — *Impossibilis* etiam, nam mentis prima evolutio, non solum a sermone vel a traditione non pendet, sed e contra

1. *Annales de phil. chrét.*, t. VIII. — 2. **Farges**, *Crise de la certitude*, p. 131-136. — 3. **Zigliara**, *Œuv. philos.*, t. I, n. 8, 73 et suiv. ; n. 145 et suiv.

sermo et traditio aliqualem mentis evolutionem supponunt. Revera, sine prævia quarumdam idearum possessione, discens non magis ex docentis loquela proficiet quam lapis aut asinus aut etiam indoctus qui linguam hebraicam audiret.

C. — Denique *contradictorius*. Siquidem traditionalistæ, rationem humanam deprimentes, traditionem colunt ; sed traditio certo non cognoscitur nisi rationis ope, cognita vero traditionalismum rejicit.

III. *Probatur ex consectariis* traditionalismi *præcipuis* : nam

1° Ex una parte, traditio errorem tradere potest ; ex altera vero, errores traditionis nonnisi traditionis ope cognosci possent : quod viam pandit *scepticismo*.

2° De medio tollitur discrimen inter veritates ordinis naturalis, et veritates ordinis supernaturalis : utrisque enim æque *necessaria* esset Revelatio : quod est contra doctrinam catholicam de gratuitate revelationis.

3° Quibus non pervenit ista Revelatio, ii Deum, — spiritualitatem, — immortalitatemque animæ ignorent necesse est ; porro 1um damnavit Conc. Vatican.[1] ; 1um et 2um S. Cong. Indicis[2] et 3um Conc. Later. V[3].

Habet quidem *speciem veri* traditionalismus, nempe influxum sermonis, licet secundarium, in ideas, quem infra dicemus (n. 144-146).

CAPUT SECUNDUM.

DE INTELLECTUALISMO[4].

Seu de vera sententia circa originem idearum.

Tota quæstio tribus articulus absolvetur, quorum Ius de *prævio animi statu circa ideas*, principia solutionis exponet ; — 2us erit de *ipsa formatione idearum*, sive sint primariæ, sive secundariæ ; — 3us *de expressione idearum*, celebratissimam de sermone quæstionem breviter tractabit.

ARTICULUS I.

De primo animæ Statu circa ideas.

131. Quisnam sit *primus animæ status* relative ad ideas ?

Intellectus, sicut et sensus, ab actibus suis distinguitur

1. **Sess.** III, cap. 2, can. 2, ap. **Denzinger**, n. 1785 et 1806. — 2. *Ibid.*, n. 1649-1552, *Propositiones subscriptas a Bonnelly.* — 3. *Ibid.*, n. 738. — 4. Cf. **D'Alès**, in *Dict. Apol.*, art. *Intellectualisme, Idéalisme*, et Mgr **Chollet**, in *Dict. de Théol. cath.*, art. *Abstraction*.

(n. 19). Quinimo non est necessario et semper in actu. Unde sit

THESIS

Anima humana, primo existentiæ tempore, est tantum in potentia relative ad cognitionem.

Sensus. — « Primario, anima *non est* cognoscens actu sed tantum in potentia[1] », id est, nullam habet speciem inditam seu ideam innatam. — Sed *est* in potentia ad hujusmodi species omnes, sicut « materia prima ad species naturales », vel « sicut tabula rasa, γραμματεῖον, in qua nihil est scriptum[2] ».

Prob. 1° *Indirecte.* — Anima humana, ex natura sua, nullis ideis innatis instructa est, ut probavimus contra inneismum (n. 121). Ergo, primo existentiæ tempore, de facto realiter adhuc non cognoscit. — Quæ tamen cognoscere potest ; secus enim neganda esset omnis animæ capacitas ; ergo sit in potentia ad cognoscendum necesse est.

2° *Experientia.* — Infantes habent animam, ipsi tamen nullam habent cognitionem. Ergo anima infantium est primario tantum in potentia relative ad veritatem. — Nec mirum, nam, mens humana, ratione unionis suæ cum corpore, sensuum auxilio eget, ut agere possit ideoque corpori uniri postulat ; sed primario usus organorum, præsertim cerebri informis, est impossibilis ; ergo primario mens est tantum in potentia relative ad actus suos.

3° *Ratione.* — Triplex est intellectus : divinus qui est actus purus respectu totius veritatis ; angelicus qui « semper est in actu suorum intelligibilium », et humanus qui est infimus in ordine intellectuum. Porro infimus omnium intellectus nequit habere perfectionem superioris intellectus. Ergo intellectus humanus, nec est actus purus, nec semper in actu, sed de se « in potentia respectu intelligibilium[3] ». — Hinc est cur etiam, « dum de potentia in actum reducitur, pertingit prius ad cognitionem confusam quam ad propriam, sicut de imperfecto ad perfectum procedens[4] ».

132. Quid sit *cognitio* et quænam sint ejus elementa ?

A. — Quoad *nomen*, cognoscere (connasci) idem est ac

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 3 ; q. 79, a. 2. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 2, ad 3 ; — q. 79, a. 2 ; — Aristoteles, III, *De Anima.* — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 2. — 4. *Ibid.*, q. 14, a. 6.

fieri quodammodo res cognita. Porro cognoscens profecto non fit res cognita, sicuti est, materialiter, sed tantum intentionaliter, quatenus formam ejus in se recipit et exprimit. Unde cognitio vocatur etiam *conceptio*, quia res secundum esse ideale ac novum quasi generatur, et *assimilatio*, quia cognitio rebus cognitis cognoscentem assimilat, recepta earum forma[1].

Quoad *rem*, cognitio *est functio vitalis, qua subjectum cognoscens rei formam in seipso recipit et exprimit.*

B. — Tribus ergo elementis constat cognitio, sc. *objecto, subjecto* et *actu unionis* inter utrumque. Hæc autem unio, quæ non est « actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manens in operante [2] » fit realiter aut idealiter, prout objectum est præsens aut absens. Si præsens, virtute contactus seu speciei impressæ, directe attingitur (n. 49) ; si autem absens, non attingitur nisi indirecte in specie expressa, tanquam in speculo[3].

Hæc autem *species* expressa seu forma rei sensibilis, aliter est in ipsa re materiali, aliter in anima ; siquidem in re est secundum suum esse materiale, in sensu autem et in intellectus est sine materia, secundum esse repræsentativum : nam « forma, qua lapis est, non est in anima, sed similitudo ejus[4] », sicuti sigillum ferreum non est in cera, sed similitudo ejus. — Porro hæc forma sine materia in sensu dicitur species *sensibilis* : quando autem per virtutem intellectus agentis omni proprietate individuali exuitur, et fit omnino immaterialis, vocari solet species *intelligibilis*.

Ast in utraque cognitio in tantum erit vera, in quantum mens fit objecto conformis, seu intentionaliter ipsa res.

133. Quatenus nonnisi *per species* fieri possit cognitio [5] ?

Hæc porro cognitionis notio probanda venit : unde de *modo* quo fit cognitio statuitur

THESIS

Cognitio, in creatis, nonnisi per species rerum fieri potest.

Dixi : *in creatis*, nam in Deo cognitio est ejus essentia.

1. Cf. DD. **Rosset**, *Psych.*, 93-94. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 1 et ad 3 ; — *Ibid.*, a. 4 ; — *Ibid.*, a. 6, ad 2 ; — q. 85, a. 3. — 3. **Liberatore**, *De la Connaiss. intellect.*, L. 1, c. 6, 7. — 4. **S. Thomas**, *Quæst. disp.*, *de Verit.*, q. 8, a. 11, ad 4. — 5. **Sanseverino**, *Dynam.*, c. II, a. 3 ; — c. III, a. 2.

Prob. 1. *Inductione.* — Nam in cognitione *sensibili*, unio objecti et subjecti, agentis sc. et patientis, fit mediante passione subjecti, quæ dicitur species impressa, et consummatur activa repræsentatione seu specie expressa, saltem in sensu interiori (n. 50). Ergo ex analogia probabilius concluditur in cognitione *intellectuali* unionem cum objecto nonnisi per speciem impressam et expressam similiter fieri.

2. *Ratione* seu *ex potentialitate intellectus humani.* — Revera intellectus, si divinus, est « actus omnium intelligibilium » ; si angelicus,est potentia semper in actu suorum intelligibilium ; si humanus et in infimo gradu, est mera potentia respectu intelligibilium. Sed cognoscere in potentia indiget determinatione objectiva per species. Ergo sicut intellectus angelicus speciebus inditis, ita intellectus humanus speciebus abstractis indiget, quibus et determinetur. — *Secus*, ipse determinaret res scibiles ; sed res non sunt quia et quà percipimus eas, sed illas percipimus quia et quà sunt ; ergo res ipsæ determinant intellectum et sunt causæ formales cognitionis nostræ : ergo nonnisi per species suas.

3. — Consentiunt SS. Patres, speciatim S. Augustinus[1] et Scholastici qui etiam in angelis, infusas quidem a Deo, ponunt species ; nec inditistæ negant, nisi originem harum specierum.

Hinc patet *error ontologistarum*, juxta quos ideæ divinæ sunt objecta quæ a nobis cognoscuntur seu videntur, nullis interpositis speciebus[2].

134. *Quonam ordine* procedat anima in cognitionibus suis ?

Cognitio singularium prior est quoad nos quam universalium. Unde sensus dicitur causa initialis cognitionis nostræ, non vero totalis et perfecta. Et ideo Thomistæ omnes cum Suarezio docent « philosophiam incipere per sensum, sed revera et formaliter perfici per intellectum[3] ». — In eo sensu verum est celeberrimum axioma : « nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu ». Unde sit

THESIS

Cognitio incipit a sensu et perficitur in intellectu.

I. — Probatur *experientia*, tum externa, tum interna.

1. *De Trinit.*, lib. XI, cap. 9 ; — cf. etiam *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 11 ; — lib. XI, c. 27. — 2. **Liberatore**, *De la Connaiss. intel.*, L. I, c. 4 et 5. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 1 et 6 ; — q. 85, a. 1.

1° *Externa*, siquidem infans, hunc aut illum hominem, ex. g., patrem et fratrem, primario quidem confuse, postea vero distincte sensu cognoscit, secundum illa Aristotelis : « Pueri a principio appellant omnes viros *patres*, posterius autem determinant unumquemque [1] » ; ultimo tandem intellectus ad ideam universalem hominis et humanitatis primo etiam indistinctam et sub quadam confusione, deinde distinctam, assurgit. — Itemque scientiarum naturalium cultores experimenta capiunt in rebus *singularibus*, ut earum naturam et *essentiam* agnoscant. — Imo, philosophus in veritate comparanda procedit e singularibus ad universalia, e finito ad infinitum et e creaturis ad Deum, juxta methodum empirico-rationalem.

2° *Interna*, non enim conscii sumus nobis inesse ideas innatas aut sopitas, nec in hac vita frui immediata Dei visione, neque ideas foris existentes ut formas separatas mentem nostram invadere. Sed e contra et quidem bene conscii sumus nos per intellectum cognitione immateriali cognoscere hæc eadem quæ primo cognovimus per sensus cognitione materiali.

II. — Prob. *ratione*. — Modus enim cognoscendi est secundum naturam cognoscentis. Sed homo, utpote natura tum materiali tum immateriali constans, instruitur sensibus et ratione, ita tamen ut prior evolvatur vita sensitiva. Ergo necesse est ut primario per sensum res materiales singulares percipiamus, et deinde, per vim abstractivam intellectus, ad notitiam immaterialium et universalium deveniamus [2]. — Nec tamen *putes* necesse « quod omnia quæ cognoscuntur ab intellectu vel sensu intimo, prius cognoscantur formaliter in externo. Nam sufficit in objecto illo *contineri* ut ex illo accipi possint [3] ».

Hinc patet non dari, saltem naturaliter, cognitiones *supra intellectuales* a sensibilibus cognitionibus independentes, seu *intuitiones* entia superiora immediate attingentes, ut excogitaverunt Neoplatonici aut recentius Bergson, W. James, Myers et Modernistæ. Neque prodest hæc vana hypothesis ad explicanda facta telepathiæ, spiritismi aut « experientiæ religiosæ » de quibus tractat psychologia « transcendentalis » [4].

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 6 ; — *De memoria et reminiscentia*, lect. 2. — 3. **Joan. a S. Thoma**, *Phil. natur.*, p. III, q. 8, a. 3. — 4. **Dr Grasset**, *Occultisme hier et aujourd'hui* ; — **Boirac**, *Psychologie inconnue* ; — cf. **Farges**, *Phénomènes mystiques*.

ARTICULUS II.

De ipsa Formatione idearum.

135. En de formatione idearum *scholastica* sententia.

Systema scholasticorum ad *sex puncta* reduci potest, ex quibus quinque priora spectant ad ideas primo acquisitas seu primigenias, sextum vero ad ideas secundarias. Hæc autem mox fusius evolvenda, sic breviter contrahi possunt :

1° *Imprimis* phantasia retinet et resuscitat « *phantasmata* » seu imagines a sensibus receptas, et ita præbet intellectui fundamentum reale seu *materiam* idearum universalium.

2° *Statim* vero intellectus *agens*, eas imagines elaborans et exuens a qualibet conditione individuali, illas *intelligibiles* efficit seu abstractas.

3° *Simul*, imagines sic intelligibiles effectas recipit intellectus possibilis modo passivo ; hac autem passione seu specie *impressa*, intellectus determinatur ad actum.

4° *Postea* concipit ideam abstractam, quæ dicitur *verbum* internum, seu species intelligibilis *expressa* a mente in seipsa.

5° *Eapropter*, species intelligibiles non sunt *id quod* directe percipitur, sed medium *in quo* intellectus essentias rerum materialium, modo quidem universali, primario apprehendit.

6° *Tandem*, reflexionis ope, mens redit in actus suos, ut seipsam cognoscat, vel redit in ideas jam habitas, ut, componendo et dividendo, alias et secundarias notiones acquirat.

Sit in exemplum idea *trianguli*. Hæc idea non est nisi fundamentaliter in hoc et in illo triangulo. Porro sic abstrahitur : impressam in phantasia imaginem alicujus trianguli, v. g., tribus lateribus æqualibus constituti, statim intellectus exuit ab omni proprietate individualis existentiæ, in eaque considerat typum ideale, imitabile, cujus est expressio. Hæc est *prima* idea vulgaris trianguli per abstractionem spontaneam intellectus directe acquisita. — *Deinde*, in ea vel in aliis ideis similiter abstractis ex aliis diversis triangulis, intellectus reflexionis ope detegit quid commune omnibus, sc. ideam genericam trianguli, quæ subdividitur in varias species : en ideæ seu notiones *secundariæ*.

7° *Restat* ut intellectus jam acquisitas *reminiscatur* ideas, sive primarias, sive secundarias, sicque de novo et infinite intelligat (n. 142). Sint ergo *septem* theses.

136. Quomodo efformentur ideæ *primigeniæ* ?

Jam ex ordine statuemus quinque theses quæ spectant ad

hanc partem principalem systematis scholastici [1]. Unde sit

THESIS I

Intellectus in hac vita ad primitivam rerum conceptionem converti debet ad phantasmata [2] ab eisque species abstrahere.

A. — *Dixi* : 1° *Converti debet*, quia intellectus noster, naturalem « habet respectum... ad inferiora, id est ad phantasmata, quæ sunt nata movere mentem humanam per virtutem intellectus agentis [3] ».

2° *Ad primitivam conceptionem* : vis enim abstractiva intellectus primario versatur circa quælibet facta singularia experientiæ sensibilis, quæ imaginibus phantasiæ exprimuntur. Attamen non negatur versari etiam, et secundario, circa facta conscientiæ spiritualia, ut sunt intellectiones et volitiones, quamvis imaginari non possint (n. 141).

3° *In hac vita* ; nam, in statu unionis cum corpore, convenit quod corpus animæ famuletur, et sensus cedat in profectum intellectus, sicut et intellectus redundet in sensum. In altera autem vita, dissoluto conjuncto, intellectus alterum et magis elevatum modum intelligendi sortitur (n. 226).

B. — *Probatur experientia*, nempe — 1° exemplo hominis cui, si deest aliquis sensus, v. g., oculus vel auris, et per consequens phantasmata coloris vel soni, horum deerit etiam conceptus universalis. Hujus enim defectus alia ratio dari nequit, nisi quod intellectus ad primo cogitandum, indigeat prævia experientia, seu phantasmatibus experientiam consequentibus. — 2° Similiter exemplo hominis in quo, turbatis phantasmatibus, v. g., morbo, læsione cerebri, etc., intellectus nequit recte uti speciebus antea acquisitis : et per hoc patet phantasmata requiri regulariter ad cogitandum (n. 142) : ergo a fortiori ad primo abstrahendum species intelligibiles.

Hinc est cur scientiæ metaphysicæ concretis exemplis et experimentis illustrari debeant ; — cur ad rudes erudiendos proponantur historiæ, narrationes ; — cur denique res spirituales, quæ directe non percipiuntur, v. g., angelos, Ipsumque Deum, concomitante aliqua forma sensibili, cogitemus [4].

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3. — 2. **Aristoteles**, *De Anima*, L. III, c. 8, § 2 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 7. — 3. *Sum. Theol.*, p. III, q. 9, a. 4, ad 2.
4. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 189.

THESIS II

137. *Ex conversione intellectus agentis supra phantasmata resultat* species intelligibilis [1].

Prob. — Hic agitur de simultaneo influxu intellectus et phantasmatis in ordine ad producendam speciem intelligibilem : quæ quidem certo datur (n. 88), sed *unde* sit, *quid* sit, et *quomodo* formetur, hic determinandum est.

I. — Porro vel phantasma agit in intellectum, vel intellectus in phantasma. Sed prius dici nequit contra Scotum : nam phantasma est materiale et extensum, et ideo in rem incorpoream non valet imprimere. Ergo agit in phantasma intellectus possibilis vel intellectus agens : sed prior utpote passivus, ad agendum excitari debet a specie intelligibili, nedum illam efficiat et ideo nec ipse in phantasma agere potest. Ergo restat ut intellectus agens, qui e contra omnino activus est, in phantasma sibi obvium, ad detegendam speciem intelligibilem, operetur.

II. — Illa autem species intelligibilis nihil aliud est objective quam aspectus quidam rei, consideratæ non quatenus *existens* et individua, sed quatenus est typus *possibilis* aut *forma exemplaris* [2]. Quælibet enim res, quatenus possibilis, est a materia abstracta, necessaria et æterna, seu independens a tempore et a spatio, denique infinita seu potius indefinite imitabilis.

Aspectus ille rei, quatenus possibilis, dicitur ejus rei *essentia* aut *quidditas* intelligibilis, sed omnino differt a quidditate aut essentia logica (Log., n. 15) quæ ex genere et differentia specifica constat, et cujus inquisitio ad scientiam pertinet. Sic, v. g., statim ac video hoc objectum album, intellectus cognoscit album simpliciter, quin cognoscat albedinis naturam intimam.

III. — Jamvero operatio, qua species producitur, vocatur « illuminatio phantasmatis » eo quod essentia abstracta ad lucem trahitur, dum adumbrantur ejus proprietates concretæ.

Quæ varie a variis explicatur [3]. — Juxta plures autem, in ea intellectus agens vices gerit causæ principalis, phantasma vero est quasi agens instrumentale. Re quidem vera, res existentes, imi-

1. **Sanseverino**, *Dynam.*, cap. III, a. 3. — 2. **S. Thomas**, *de Veritate*, q. IV, a. 2 ; — *De ente et essentia*, c. 6 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 12, a. 4 ; q. 84, a. 7 ; q. 85, a. 1. — 3. **Lahousse**, *Psych.*, n. 415-421 ; — **Liberatore**, *Psych.*, p. 425 ; — **Boedder**, *Psych.*, n. 167-190.

tationes cum sint idearum divinarum, vim habent sese reproducendi in ordine ideali, insufficientem vero, nisi altiori virtute juventur. « Unde oportet quod superveniat actio intellectus agentis[1] », quæ juvat phantasma ad producendum effectum altiorem, quam nativa ejus efficacia præ se ferret[2].

THESIS III

138. *Intellectui possibili* imprimitur *species intelligibilis.*

Prob. — Cognitio intellectualis in eo consistit ut intellectus fiat aliquo modo res intelligibilis per hujus rei similitudinem seu speciem. Porro intellectus possibilis, cum sit primo passivus, rei et huic rei potiusquam alii, fieri nequit similis nisi speciem quam non habet recipiat ab ejus causa efficiente. Ergo intellectui possibili imprimitur ab intellectu agente species intelligibilis, qua « fit intellectus in actu[3] ».

Probatur *minor via eliminationis.* Videlicet, ex dictis in primo capite de falsis sententiis, intellectus neque per sensationes, neque per essentiam suam, neque per ideas innatas, neque per Deum, neque per nomina rerum determinatur ad actum intellectionis. Ergo tandem restat ut determinetur per essentias rerum materialium.

Rursus autem essentiæ rerum materialium vel per suam entitatem physicam, vel per species imaginarias, vel per species earum intelligibiles uniuntur intellectui. Porro duo priora admitti nequeunt : I^um^ quidem, nam sane essentiæ rerum, physice symptæ, intellectum ingredi non possunt ; II^um^ *etiam*, nam phantasmata sunt quid etiam materiale, unde facultatem organicam, non autem inorganicam informare possunt : ergo restat III^um^, nempe per species essentiarum intelligibiles, ab intellectu quidem agente abstractas, intellectum possibilem informari fierique per ipsas et cum ipsis principium intellectionis. Inde sequitur intellectio seu cognitio intellectualis.

THESIS IV

139. *Cognitio intellectualis terminatur ad speciem intelligibilem* expressam *seu ideam seu etiam verbum mentis.*

Probatur — tum *a paritate* cum sensu, qui post impressam imaginem rerum, efformat objecti speciem expressam, qua terminatur in phantasia cognitio sensitiva ; — tum *ratione*,

1. S. Thomas, *Quodl.*, VIII, a. 3 in integ. — 2. *L'imagination et l'intellect agent dans la formation de l'idée*, in *Revue Augustinienne* (sept. 1906). — 3. *De Potent.*, q. 8, a. 1.

siquidem facultas activa, ut est necessario intellectus, statim ac excitatur, non reagere non potest, rem intellectualiter exprimendo ; — tum denique *conscientia*, quæ hanc intellectus activitatem testatur, et ideam intellectualem et generalem, v. g., hominis, perfecte distinguit a phantasmate hujus vel alterius individui.

Dixi : *Species expressa* seu *idea*, *conceptus* seu *verbum mentale* : quæ quidem ratione, non re, inter se distinguuntur.

Revera, cognitio intellectualis ratione sui termini dicitur : — species expressa, quatenus similitudo objecti depingitur ab intellectu in seipso ; — idea, quatenus simpliciter est ipsa objecti similitudo ; — conceptus, quatenus profertur intus ab intellectu ; — verbum autem mentale, quatenus « dictio »[1] est interna, et verbo externo exprimi potest.

Hinc verbum « differt ab *actione* intellectus, quia est terminus actionis et quasi quoddam per ipsam constitutum[2]. »

THESIS V

140. *Species intelligibilis non est* id quod *percipitur, sed* id quo vel in quo *res percipiuntur*[3].

I. Probatur *ex testimonio conscientiæ*, — quæ fere idem testatur in perceptione intellectus ac in perceptione sensus. Nemo scilicet, videndo Petrum, primario conscius est imaginis illius sensibilis, sed unusquisque firmiter credit se aliquid externum percipere, hancque perceptionem perfecte distinguit ab imaginibus phantasiæ. *Similiter* per intellectionis actum, nemo conscius est se directe attingere speciem intelligibilem, quam per reflexionem postea tantum cognoscit.

II. Probatur *ex ratione.* — Nam species est vel impressa, vel expressa. Si prius, nihil aliud est, ut jam diximus (n. 51, 139) nisi passio subjecti ab objecto, qua fit unio immediata agentis et patientis, cognoscentis et cogniti. Si posterius, est quidem imago rei, quæ, more speculi, ducit ad cognitionem ipsius rei, non vero primum apprehenditur. Dicatur ergo species impressa *id quo*, species autem expressa *id in quo*, sed neutra *id quod* seu objectum quod immediate percipitur, — quamvis utraque « in ipso agente importet habitudinem quamdam ad objectum[4] ».

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 34, a. 1. — 2. Cf. **Jo. a S. Thoma**, *Log.*, p. II, q. XXII, a. 2 ; — Cf. **S. Thomas**, *de Potentia*, q. 8, a. 1 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 34, a. 1, ad 2 ; — *Contra Gent.*, L. IV, c. 11. — 3. Cf. *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 2 et ad 3. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 37, a. 1, ad 2.

III. Probatur *ex consectariis.* — Si species esset *id quod* percipitur, consequens foret objectum a specie repræsentatum non percipi, nullamque cognitionem rerum nobis dari, sed solummodo specierum. Tota scientia hominis jam esset de ideis, nulla autem de rebus, vel scientia conjecturis tantum fideque innixa. Quod scepticismo objectivo seu subjectivismo latam panderet viam, ut historia constat.

Hinc vides quomodo in toto processu intellectus, salvetur idearum objectivitas, cum ideæ ex imaginibus, imagines autem e rebus ipsis immediate perceptis per sensum formentur : « attamen in re apprehensa per sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest[1] ».

141. Quomodo formentur ideæ *secundariæ* ?

Sicut primariæ vocantur ideæ, quæ primo et directe e rebus sensibilibus abstrahuntur a mente, ita secundariæ quæ *post* primigenias et aliquatenus *ex* illis aut *per* illas efformantur. Quomodo autem fiat illud, statuit sequens

THESIS VI

Ideæ secundariæ introspectionis et reflexionis ope formantur.

Prob. — Certum est et multiplici experientia confirmatum mentem nostram agere primum ad extra et deinde reflexionem spontaneam aut liberam instituere super actus suos. Hæc autem reflexio est duplex : *psychologica* quando in se ipsam, *ontologica* quando in notiones jam abstractas redit. Prior apud modernos *introspectio*, posterior *reflexio* simpliciter dicitur.

A. — *Si prius*, per introspectionem, duo cognoscit : 1. actus internos quos producere valuit, et ex singulorum intuitione surgit ad eorumdem notionem generalem. Sicque acquiritur notio generalis, v. g., ideæ, judicii, ratiocinii, libertatis, boni et mali moralis, legis et officii, etc. — 2. Per suos actus, cognoscit seipsam tanquam principium et subjectum horumce actuum (Log., n. 205), dicente Angelico : « Mens seipsam per se novit... licet per suum actum[2] », seu per suum intelligere, « quod est actus proprius ejus[3] ». — Nec mirum ; quod enim immateriale est, non repugnat intelligi et percipi directe ab intellectu[4], primo in singulari, deinde universali modo.

Quapropter duplex homini fons patet idearum quidditivarum

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 4, ad 4. — 2. *Ibid.*, q. 87, a. 1, c. et ad 1. — 3. *Ibid.*, q. 88, a. 2, ad 3. — 4. *Ibid.*, q. 86, a. 1, ad 3.

(Log., n. 23), unus externus et alter internus, mundus, sc. et conscientia : in utroque casu a rebus concretis ascendit ad earum notiones generales. — *Quinimo*, conscientia fons est idearum necessarius omnino, clarior et fecundior, — etsi tardior — ac mundus externus : — *a*) *Necessarius*, nam res materiales præbere non valent notiones vitæ interioris et moralis, sine quibus neque Deus neque anima humana cognoscerentur. — *b*) Sed et *clarior*, nam philosopho mundus internus notior seu intimior est quam ipsa materia. — *c*) Imo et *fecundior*, nam ad sublimiores vitæ moralis et divinæ veritates nos elevat.

Non ergo probandus loquendi modus Lovaniensium, juxta quos mens etiam seipsam suosque actus non apprehenderet quidditative, sed indirecte et improprie tantum per conceptus negativos et analogos e rebus sensibilibus abstractos [1] ; — haud secus ac « spiritualia ad quorum cognitionem per analogiam ascendimus [2] ».

B. — *Si posterius*, per reflexionem in conceptus jam acquisitos ideæ secundariæ elaborantur variis modis, sc. ope præsertim *analysis*, *synthesis*, necnon *comparationis* [3].

1° Ope *analysis*, essentias complexiores dividit intellectus in elementa constitutiva. Sic quantitatem resolvit in triplicem dimensionem.

2° Ope *synthesis*, elementa constitutiva idearum iterum congregantur variis modis ad novas notiones efficiendas.

3° Ope *comparationis* diversarum essentiarum inter se, res distribuuntur tum in species, tum in genera, proxima et remota ; sicque definitiones et classificationes rerum comparantur.

Rursus, ope *comparationis* rerum incorporearum — sive cum corporibus sensibilibus quorum sunt phantasmata, — sive cum mente nostra cujus est cognitio reflexiva, notiones substantiarum spiritualium et ipsius Dei acquiruntur. *Si prius*, dantur ideæ analogæ et negativæ per viam remotionis imperfectionum quæ sunt in rebus corporeis (Ontol., n. 90). *Si posterius*, dantur ideæ adhuc analogæ sed positivæ et minus imperfectæ, nam « per hoc quod anima cognoscit seipsam, pertingit ad cognitionem *aliquam* de substantiis incorporeis... sed non simpliciter et perfecte eas cognoscit [4] » (Cf. Theod., n. 43).

Sic ergo anima cognoscit omnia : et « quæ sunt infra ipsam, — seipsam et ea quæ sunt in ipsa, — necnon ea quæ sunt su-

1. **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 165, 192 ; — Cf. **E. Blanc**, *Une interprétation abusive de S. Thomas*, in *L'Université Catholiq.*, 15 fév. 1913 ; Cf. *La Pensée contemporaine*, an. 1913, p. 5-13, 74-85. — 2. **Thesis Thomistica XX**a. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 40, a. 3 ; — *Quodlibet*, VIII, a. 3. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 88, a. 1, ad 1. — Cf. **S. Augustinus**, *De Trinit.*, L. IX, c. 3.

pra ipsam[1] » ; prima per abstractionem, secunda per introspectionem, ultima, sc. Deum et puros spiritus, per analogiam seu per elaborationem quidditatum anterius acquisitarum[2].

142. Utrum imagines etiam *in reminiscentia* requirantur ?

Restat ut acquisitas jam ideas reminiscamur : quomodo autem fiat istud, statuit

THESIS VII

Homo regulariter ad phantasmata aut saltem ad signa rerum converti debet ad reminiscendum.

A. — *Constat ex dictis.* Jam enim diximus (n. 136) *imaginem*, quæ est similitudo rei in qualibet operatione intellectuali, saltem in hac vita, esse necessariam ; ergo etiam ad reminiscendum requiritur hæc *imago* : — Aut saltem *signum*, v. g., vocabulum, quod eam designat. Hoc enim signum non esse semper phantasma rei cogitatæ, constat experientia, quia multa intelligimus v. g., *signis* algebricis tantum et ad spiritualia mere contemplanda utimur *exemplis*. Unde

B. — Dixi : phantasma *vel signum* ; utriusque tamen necessitas valde diversa est, prout agitur de primitiva ideæ acquisitione, vel de ejusdem recogitatione ; sc. :

1° Imago rei necessaria est ad primariarum idearum formationem, nam abstractio cadit in imaginem, non in vocabulum : sic, v. g., imago coloris, menti ingerit ideam coloris, non vox *color*, siquidem cæco non posset illam ingerere.

2° Ast, acquisita jam idea, ad ejusdem imaginem conversio mentis, quamtumvis sit utilis ut reminiscentia vividior aut distinctior evadat, tamen non est absolute necessaria : sufficit, vocabulum, aut aliud signum ut recogitetur, v. g., idea coloris. Imo, si forte idea sit abstractissima, aut valde complexa, ut myriagonon, illius imago sæpe evadit impossibilis et ideo ad signum ejusdem mens se convertat necesse est : sic in Algebria, signa sunt substratum cogitationis.

3° Denique non idem est ordo imaginis et ideæ in prima rei cogitatione ac in reminiscentia. Nam si prius, imago præcedit ; si posterius, signum, etsi ordinarie præcedit ideam eamque excitat, quandoque tamen sequi videtur, ut fidelis echo. Quod constat sive frequentiori casu oblivionis signorum[3], sive vulgari experientia, nam, v. g., ut quis inquirat et pro

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 86, 87, 88. — 2. **Thesis Thomistica XX**[a] ; Cf. **Sanseverino**, *Ideologia*, c. 1, a. 5. — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, 189 et suiv.

libitu, eligat vocabula et imagines ad suam ideam exprimendam, jam illam, saltem confusam, habeat necesse est (n. 94).

Hæc tria constant experientia : nec mirum, nam connexio ideæ et imaginis ex unione naturali sensus et intellectus oritur, dum utriusque separatio demonstrat extrinsecam esse tantum dependentiam intellectus a sensu (n. 84).

143. Quomodo *confirmari* possit systema « abstractionis » ?

Multipliciter quidem, illud conferendo cum aliis systematibus :

1° *Tutius est in consectariis.* — Etenim sensismi, idealismi, scepticismi fugit errores. Sensismum vitat, admittendo vim abstractivam et virtutem activam intellectus humani : — visionem immediatam Entis Infiniti, necnon et ideas innatas idealistarum aut intuitiones a priori respuit ; — scepticismi quoque gurgitem effugit, nam, ex una parte, capacitatem intellectus, et ex altera parte, realitatem objectivam idearum propugnat. — *Item*, quoad notiones universales, systema scholasticum nominalismi, realismi et conceptualismi falsa consectaria devitat ; nam juxta scholasticos, universalia concipiuntur intellectus virtute, cum fundamento in rebus ipsis singularibus, ut dictum est in Logica (n. 218). — *Hinc* etiam, juxta dotes veræ methodi, inter vitia seu excessus aliorum systematum medium peragit iter (Log., 290 et seq.).

2° Quinimo *colligit in se commoda aliorum systematum.* — Nam cum empirismo initium cognitionis sumit a sensibus ; cum inneistis admittit facultatem innatam intelligendi capacem ; cum Ontologistis, vult intellectum a Deo perenniter illuminari, quatenus est illius creator et conservator, et cum eo operatur ; tandem cum Traditionalistis, evolutionem perfectam intellectus nonnisi ope magisterii fieri prædicat.— Nec habet aliorum *incommoda* : nam, omisso sensismo, qui insufficiens est, revera simplicius est systema scholasticum [1].

3° Insuper hoc systema *aliis auctoritate præstat.* Imprimis Aristoteles ejusque celeberrimi successores, v. g., Theophrastes, Strato, Aristo, Cristolaus et Diodorus ; deinde, operibus Aristotelis Romæ translatis, Andronicus Rhodius, Cratippus, Alexander Aphrodisius et alii ; plures inter SS. Patres Ecclesiæ tum græcæ tum latinæ, ipse S. Augustinus, ut dictum est (n. 128) ; apud Arabes, Alkendi, Alfarabi, Avicenna, Algazel cum aliis nonnullis ; postea tandem Alexander Alesius, Albertus Magnus, S. Bonaventura, S. Thomas, Scotus et cæteri scholastici, sive philosophi, sive theologi, scientia et ingenio conspicui, doctrinam expositam de origine idearum, una mente, saltem quoad præcipua puncta palmaresque theses, propugnarunt. En sane non spernendæ auctoritates.

Ad *objectiones* quod attinet ex dictis solvi possunt [2].

1. **Liberatore**, *De la Connaissance intellectuelle*, c. v, a. 3 et 4, n. 187-194. — 2. Cf. **Lahousse**, qui has objectiones evolvit in *Psych.*, p. 357-374 et 394-404.

ARTICULUS III.

De Sermone, quatenus est idearum expressio[1].

144. Quid et quotuplex sit *sermo* seu idearum expressio ?

A. — Sermo, in genere, est signum quodlibet, aut complexio signorum quibus utimur, ut cogitationes nostras et volitiones aliis manifestemus (Log., n. 51-53).

Hinc — 1° homini *soli* proprie convenit, eo quod solus ad ideas generales, quæ sunt quasi « anima sermonis », assurgere valet[2]. Animalibus competit tantum *clamor*, quo propositiones non exprimuntur, sed meræ emotiones ; sicut et infantes suas sensationes clamoribus instinctivis aperire solent, sed non » intelligunt quid dicunt[3] ». Hinc est cur plerisque animantibus desit sufficiens organum vocis articulatæ[4] ; quod etiamsi haberent, muta remanerent defectu idearum.

Sed — 2° competit *omnibus* hominibus : nam « homo est animal naturaliter politicum, et rationale[5] ». Suas igitur cogitationes exprimere debet, ope signorum sensibilium, quæcumque tandem sint : « Si les hommes eussent été sourds, ils parleraient par gestes[6]. »

B. — Quapropter sermo dividitur sicut et signum :

1. In *naturalem* et *arbitrarium*. Prior, qui signis naturalibus coalescit, dici solet *nativus* ; posterior autem, qui conflatur signis arbitrariis, dici solet *acquisitus*, eo quod homines illum ediscere, et per educationem accipere consuescunt.

2. Uterque dividitur in *gesticulatum*, *articulatum* et *scriptum*, prout gestibus, vocibus articulatis, vel scriptura constat : qui etiam, in quantum est arbitrarium, arte multum perficitur, ut, v. g., sermo gesticulatus ad surdo-mutos erudiendos[7].

3. Jamvero scriptura est ultima sermonis evolutio et, — cum ideas directe et immediate repræsentat, vocatur *ideographica* : talis est Sinensium scriptura ; — quum directe sonos, ideas vero indirecte significat, dicitur *alphabetica* seu *phonetica* ; ex. g., Gallorum aliorumque populorum Europæ scriptura ; — quæ tandem, juxta probabiliorem sententiam, est partim ideographica et partim phonetica, ea nuncupari solet *hieroglyphica* ; fuit apud Ægyptios olim usitata, ut constat ex monumentis.

1. Cf. **E. Blanc**, *Philos. scol.*, t. II, c. LIX, n. 991. — 2. **E. Blanc**, *ibid.*, n. 997. — 3. **S. Thomas**, *In I Pol.*, lect. 1 ; — Cf. **Liberatore**, *Comp. hum.*, c. II. — 4. **Cuvier**, *Le règne animal* (Mammifères). — 5. **S. Thomas**, *I Pol.*, lect. II. — 6. **Rabier**, *Psych.*, p. 604, — 7. Cf. **Berthier**, *Vie de l'abbé de l'Epée*, 1712-1789.

145. Quænam sit *utilitas* sermonis relative ad ideas [1] ?

Ex dictis, sermo mediat inter loquentem et audientem : et utrique est utilis.

1. *Loquenti proficit* : cujus enim cogitatio interna, sermonis ope, evadit distinctior, clarior et facilior. — *Distinctior*, nam lingua, cum sit analytica simul et synthetica, varia elementa cogitationum internarum speciatim enuntiat, necnon earum relationes demonstrat. — Sed et *clarior*, nam cogitatio mentis, per se aliquatenus abscondita, in vocabulis, ut ita dicam, incarnatur et feliciter « exteriorisatur ». Unde Hamilton : « Sans le langage, les idées abstraites sont des étincelles qui ne brillent que pour mourir. » — Denique *facilior* ; nam vocabula quodammodo et imaginum et idearum tenent locum, ita ut in mathematicis, in ratiociniis, in confabulatione, signis promptius negotiemur (n. 142).

2. *Audienti etiam prodest.* — Nam sermo jure dicitur et est vinculum societatis, viaque brevior et tutior, imo de facto communis ad verum assequendum.

Jamvero has omnes utilitates in se præsertim colligit sermo *articulatus, qui præstantior est aliis formis sermonis.* Revera, verba obtinuerunt principatum significandi, — tum quia ab omnibus hominibus, sive doctis sive indoctis, adhibentur, — tum quia intellectus alitur et docetur ex auditu, magis quam ex gestibus aut visu, — tum quia gestus, scriptura, cantus, symbola supponunt verbum et evolvunt

146. Quænam sit *necessitas* sermonis ad idearum originem ?

Traditionalistæ omnes necessitatem sermonis propugnarunt. Sed diverso sensu : nam de Bonald, ad notiones comparandas, saltem abstractas et generales [2] ; — traditionalistæ mitigati, ad ideas metaphysicas et morales, aut saltem ad ideam claram et distinctam Dei, spiritualitatis et immortalitatis animæ ; — quidam vero (Rosmini, Gioberti, et alii) ad reflexionem mentis supra seipsam, necessarium sermonem esse docuerunt. Adversus hos omnes sit una

THESIS

Sermonis necessitas ad idearum originem, quocumque sensu accepta, propugnari nequit.

Prob. — Dynamilogiæ, experientiæ et rationi contradicit :

1. E. Blanc, *Ibid.*, t. I, n. 83-84. — 2. *Sur un dernier ouvrage de M. de Lamennais* ; — cf. Aug. Nicolas, *Etudes philosoph. sur le Christian.*, L. I, ch. v.

1. *Dynamilogiæ*. — Nam, ex dictis (n. 49, 135), sine sermonis auxilio, sensus immediate percipit objecta, et intellectus per abstractionem res materiales cognoscit cognitione universali et immateriali. — Deinde vero, e veritatibus abstractis et generalibus ad alias veritates, et etiam ad ideam infiniti (n. 141), ope analysis et synthesis, mens assurgit. — Tandem, sufficit quod supra seipsam anima reflectere possit, ut actus suos distincte et *reflexe* cognoscat. Ergo ad acquirendas sive notiones abstractas, sive veritates metaphysicas et morales, aut etiam ideas claras et reflexas, nihil aliud requiritur quam unio intellectus cum objecto suo, ac simul normalis comitatus imaginum, signorumve mentalium.

2. *Experientiæ*. — Nam, sicut ab animalibus imagines, ita a pueris et à nobis efformantur ideæ, licet ad eas exprimendas termini deficiant. Quare surdo-muti sine sermonis auxilio non paucas adipiscuntur ideas generales, claras et morales : « Sciendum est omnes hodiernos institutores surdo-mutorum in eo convenire, quod surdo-muti, si satis ætatis habeant et nullo vitio organico corporis laborent, non mediocri copia conceptuum et cognitionum instructi inveniantur, cum domos educationis ingrediuntur [1]. »

3. *Rationi*. — Vocabula, quibus sermo coalescit, ab hominum placito pendent ; ergo non sunt ideæ signum naturale, sic vox *homo* non magis animal rationale quam equum aut avem designat. Hinc est cur, sicut idea sine vocabulo, ita vocabulum sine idea existere possit, et de facto sæpe existat : sicque generatim a vocabulis non pendet genesis idearum.

« Concluons : Sans les mots, l'homme penserait mal et malaisément, mais il penserait [2]. »

147. Quænam sit *origo* sermonis seu linguarum ?

Circa præsentem quæstionem tres sententiæ prodierunt. — Traditionalistæ autumant sermonem articulatum a Deo protoparentibus fuisse revelatum, sed et ab hominibus, sine revelationis auxilio, nunquam inveniri potuisse. — Alii vero (præsertim Epicurei veteres, deistæ sæculi proxime elapsi, omnes præsentis ævi naturalistæ et rationalistæ, denique evolutionistæ), contendunt homines non solum invenire potuisse, verum etiam de facto sermonem articulatum invenisse. — Non pauci tandem mediam sententiam propugnant [3], quibuscum sit

1. **Sanseverino**, *Ideal.*, n. 83. — 2. **Rabier**, *Psych.*, 621-622. — 3. **Liberatore**, *Psych.*, c. IV, 135.

THESIS

Sermonem homo de facto non invenit, sed per se reperire potuisset.

I. *Quæstio facti* solvitur triplici saltem argumento :

1º Ex *Historia*. Siquidem, ex libro Genesis, « Appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia [1] ». Ergo Adamo infusa est sermonis articulati cognitio perfecta, vel saltem expedita potentia inveniendi statim suarum idearum expressionem.

2º Ex *Ratione*. Repugnat enim Sapientiæ et Bonitati divinæ hominem ab origine rerum pluribus sæculis in statu fere bestiali, sine sermonis auxilio, vixisse. — Quod antiquorum populorum traditionibus confirmatur : nam, si fides historiæ et si attendatur linguis mire perpolitis barbarorum, status sylvestris est quædam degradatio, non status primitivus.

3º Ex *Linguistica*. — « Les philosophes allemands sont parvenus à démontrer l'identité de toutes les langues comprises sous le titre de langues indo-européennes [2]. » Porro, juxta plures [3], item dicendum est de omnibus aliis linguis, quæ primum una syllaba constitutæ, postea per syllabarum agglutinationem, postremo per flexiones varias evolutæ sunt. Ergo probabilius est omnia populorum idiomata, cum apud antiquos, tum apud recentes, a lingua primigenia, quoad voces radicales, originem duxisse : hæc autem fuit a Deo revelata.

II. Ad *quæstionem juris* solvendam, sic argumentari licet : Tria requiruntur et sufficiunt homini, ut *per se* sermonem invenire possit : ideæ quæ possint exterius manifestari, — vox articulata, — desiderium adhibendi hujus vocis varias flexiones ad significandas ideas. Porro hæc tria possidet homo : nam ideæ non pendent e sermone, — organum vocis nequidem in surdo-mutis deficit, imo instituuntur scholæ speciales in quibus loqui addiscunt ; — tandem connaturale est hominibus ut sibimetipsis invicem cogitationes suas quibuscumque signis manifestent : hinc est cur surdo-muti, loco verborum, ex seipsis linguam signorum invenerint. Ergo homo per se sermonem reperire potuisse videtur.

Qui autem de facto sermonem hominis inventioni tribuunt, de *modo* possibili hujusce inventionis longius disputent [4].

LIBER SECUNDUS PSYCHOLOGIÆ.

DE NATURA HOMINIS [5].

Ex cognitione facultatum logice ascendimus ad cognitionem ipsius naturæ hominis. Hæc autem, sicut quælibet alia

1. **Gen.**, II, 19, 23. — 2. Ita **Delatre**, *Encyclop. du XIX*e *siècle*, item De Humboldt, Eichhoff, Grimm. — 3. **Vigouroux**, *Manuel biblique*, t. I, p. 308-338. — 4. **E. Blanc**, *Traité de Phil. scol.*, t. II, n. 994-996. — 5. *Sum. Theol.*, p.I, q. 75, 76, 90 ; — **S. Thomas**, *De Anima* ; — **Liberatore**, *Le composé humain* ; — **Coconnier**, *L'âme humaine* ; — **Gardair**, *Corps et âme.*

res, quatuor habet causas, sc., *formalem*, *materialem*, *efficientem* et *finalem*. Quapropter homo sub quadruplici aspectu inspicietur in totidem capitibus, quæ hoc ordine veniunt : I. De *Anima*, nempe an et quid sit ? — II. De *Conjuncto*, sc., quid sit homo ? — III. De *Origine* hominis, i. e., unde sit ? — IV. De *Vita futura* hominis seu utrum sit ad vitam æternam ?

CAPUT PRIMUM.

DE ANIMA HUMANA.

148. Quid sit et utrum sit *anima humana* ?

A. — Corpus esse nemo negat : unde ad hominis adstruendam naturam inquirendum venit utrum in homine, præter corpus, existat anima. Ne autem quæstio procedat in incertum, primo dicendum est *quid* per animam intelligamus.

Porro *quoad nomen*, voces anima, animus. mens, spiritus idem fere significant. « Dicitur anima, dum vegetat ; spiritus, dum contemplatur ; sensus, dum sentit ; animus, dum sapit ; mens, dum intelligit ; dum discurrit, ratio ; dum recordatur, memoria [1]. »

Quoad rem, anima nonnisi per suas operationes hactenus a nobis cognoscitur. Hoc autem sensu, *generatim* dicitur *principium, a corpore distinctum, quo, mediantibus potentiis, actus vitales exeruntur*. Sicque in homine S. Thomas duplex principium operationum secernens, nempe proximum et remotum, facultatem vocat « principium proximum operationis animæ », animam vero : « *primum principium vitæ*[2] ». — Nec aliter, sed paulo pressius Aristoteles, dicens : « Anima est *id quo vivimus et sentimus et intelligimus primo*[3] », videlicet, est primum principium internum quo vivimus et sentimus et intelligimus. — Cujus definitionem *logicam* videsis infra (n. 166).

B. — Hanc porro animam existere certum et evidens est, nec potest negari, nec de facto negatur.

1. *Anima existit*. Enimvero, tria certa sunt in præsenti quæstione : videlicet, homo se movet, sentit, cogitat, vult ; — motus, sensatio, cogitatio et volitio non existunt sine causa

1. S. Augustinus, *De Spiritu et Anima*, c. XIII. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 1 ; — q. 78, a. 4. — 3. *De Anima*, L. II, c. II.

seu ratione sufficienti ; — sola ratio sufficiens et intrinseca motus, sensationis, cogitationis ac volitionis, est principium actionis et passionis, quod dicitur anima et cujus natura infra evolvetur (n. 155 et sq.). Ergo certum est animam existere.

2. Imo *evidens est*, siquidem, teste conscientia, immediate percipio me sentire, intelligere, velle, et quidem ut unum subjectum activum et passivum harum affectionum omnium : *ego* sum qui sentio, intelligo, volo et quidem unicus et idem ego. Porro illud subjectum vocamus animam.

3. *Nec potest negari* : qui enim negat existentiam animæ, cogitat, et seipsum cogitantem prodit ; ergo implicite affirmat adesse principium cogitationis, quod dicitur anima.

4. *Nec de facto negatur*, quum genus humanum in omni tempore animæ saltem existentiam admiserit, quæ profecto non est una ex illis veritatibus circa quas homines errare possunt : nisi enim anima existeret, omnia phænomena vitæ et mors ipsa concipi nequirent (n. 173).

149. En de natura animæ humanæ *variæ sententiæ*.

Jamvero, posita animæ existentia, plures hypotheses fingi possunt de ejusdem natura, in qua determinanda tota sistit difficultas. — Si enim anima existit, vel est substantia vel accidens. — Si substantia, vel est materialis et composita, vel immaterialis et simplex. — Si simplex, vel simplex tantum, vel etiam spiritualis. — Si spiritualis, vel spiritus purus, vel non.

De facto, totidem circa rem tanti momenti sunt errores philosophorum. Nempe — 1. *Opinio phænomenistarum*, qui decreverunt animam nil aliud esse nisi fasciculum et complexionem affectionum aut phænomenorum, sine substantia ab eis distincta. — 2. *Portentum materialismi*, qui contendit animam a corpore, et ideo facultates a proprietatibus materiæ nullo modo aut gradu tantum differre. — 3. *Sensismus* seu semi-materialismus simplicem quidem facit animam, sed simplicem tantum, seu ab anima belluina gradu solo diversam, non vero spiritualem. Dum e contra — 4. *Ultraspiritualismus* animam esse spiritum purum asserit.

Quapropter, procul recedens a materialismo necnon ab ultraspiritualismo, medius inter duos istiusmodi excessus incedet spiritualismus noster moderatus, ex una parte demonstrando animam humanam — contra phænomenismum realem

esse *substantiam.* — contra materialismum esse *simplicem,* — contra sensismum et ultra spiritualismum esse *spiritualem,*licet *incompletam* ; ex altera vero parte, confutando *materialismum* qui hos pessimos errores in se colligit. Unde quatuor sint articuli : I. De *Substantialitate* ; — II. De *Simplicitate* ; — III. De *Spiritualitate* animæ humanæ ; — IV. *Confutatio* materialismi.

ARTICULUS I.

De Substantialitate Animæ [1].

150. En de animæ substantialitate variæ *sententiæ*.

Alii tantum accidens, alii vero substantiam volunt esse animam. Unde duplex est sententia.

1. Prima sententia est omnium *phænomenistarum* : qui animam a corpore quidem esse distinctam, sed vel a collectione facultatum, vel etiam a complexione phænomenorum non secernendam esse putarunt (Ontol., n.98). Ita Protagoras cum veteribus sensistis [2] : cujus erroris recentes patroni, imprimis Hume, Condillac, Volney, de Tracy substantialitatem animæ rejicientes, materialismo favent. — Ita positivistæ, inter quos Taine : « L'âme humaine n'est ni substance, ni accident, mais *phénomène.* Il n'y a rien de réel dans le moi, sauf la file de ses événements [3]. » — Similiter omnes neo-positivistæ, ut D. Bergson et etiam D. Ribot, qui mentem vocat *epiphænomenon* cerebri [4].

2. Qui vero animam esse *substantiam* asserunt, discrimen admittunt inter essentiam animæ et ejus facultates ; sed gravis exorta est controversia de natura hujus distinctionis, utrum sit distinctio realis annon (Ontol., n. 51 et 117).

A. — *Simplicismum* animæ tenent : — *a*) Nominalistæ, juxta quos distinguere potentias realiter ab essentia esset entia multiplicare sine necessitate : — *b*) Scotistæ etiam, qui non admittunt nisi distinctionem formalem (Ontol., n. 56) ; — *c*) Cartesius et Cartesiani ut Wolf, Gerdil, Garnier, qui volunt animæ essentiam esse ipsum actum cogitationis ; — *d*) Atomistæ tandem et Dynamistæ, qui animam adstruunt satis perfectam ut sine potentiis immediate per suam substantiam agere valeat.

B. — Aristoteles, S. Thomas et plerique scholastici, post SS. Patres, dicunt animam quidem esse substantiam, sed potentias animæ ab ejus essentia *realiter* distingui, ita ut sint, juxta

1. Cf. **D'Alès**, *Dict. Apol.* art. *Ame.* — 2.**Laertius, I, xi.** — 3. *Philosophes class. au XIX*[e] *s.*, chap. de la Méthode ; — *De l'Intelligence*, préf. et liv. III, ch. i. — 4. **Ribot**, *Maladies de la personnalité*, p. 6, 15, 18. — **Jo. a S. Thoma**, *Philosophia naturalis*, p. III, q. 2, a. 2.

plurimos, entitates *reales* (Ontol., n. 116, 117), aut saltem juxta quosdam, modi *reales* quibus afficitur animæ substantia : en realismus mitigatus.

Quibuscum duo statuemus : 1. *Substantiam animæ* esse realem ; 2. *Facultates* autem realiter *distingui* ab animæ substantia. Unde duplex paragraphus.

§ I. *De Realitate animæ substantiali.*

151. Utrum et quomodo anima vere *sit substantia* ?

Respondet adversus phænomenistas omnes sequens

THESIS

Anima non est merum accidens, nec accidentium collectio, sed una substantia.

A. — Constat *testimonio conscientiæ*. Hæc *enim* affirmat simul et causalitatem activam et permanentiam nostræ animæ seu principii operationum vitalium sub fluxu variarum operationum : quod autem sic substat accidentibus mobilibus, substantia sit oportet (Ontol., n. 96-98). — *Et sane* derideretur homo qui serio diceret seipsum evanescere cum successivis suis affectionibus, vel senex factus, peteret a seipso utrum sit idem in senectute ac in tempore juventutis. — *Quare* adversarii ipso suo loquendi modo confutantur : v. g., dicit Taine : « *Nos* événements sont donc les composants successifs de notre *moi.* » — « Mais pourquoi dire *nos* événements, observe très justement M. Charles, puisqu'il n'y a qu'eux et que *nous* ne sommes pas[1] ? » Ergo non « illusio metaphysica », sed vox conscientiæ dicendus est iste modus loquendi[2].

B. — Constat per partes *ratione*. Siquidem anima vel est accidens, vel accidentium substantiarumve collectio, vel una substantia. Porro duo priora falsa sunt : nam

1. Non est *accidens*. — Agere enim non est primo accidentis, sed substantiæ. Unde, etiamsi accidens sit spirituale, per se solum actionem producere nequit, sed tantum valet esse instrumentum naturale substantiæ, a qua accipit suam indolem, et cui in producenda actione subministrat.

2. Non est *collectio*. — Vel enim facultates sunt substantiæ, vel proprietates cujusdam substantiæ : nam ens omne vel

1. *La Science cathol.*, Déc. 1888, p. 10. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 109-114 ; *Philosophie de M. Bergson*, p. 175-202 ; 419-423.

est accidens, vel substantia. Si prius, jam non una, sed tot sunt animæ quot facultates, quod ipsi phænomenistæ non admittunt ; si posterius, ea substantia cui facultates adhærent, est ipsamet anima. — Nisi *dicant* facultates existere sine subjecto. Sed qualitatum complexio seu fasciculus consistere nequit sine vinculo communi ab ipsis distincto, nempe substantia. Ergo sola anima substantialis potest haberi tanquam subjectum cui facultates adhærent (Ontol., n. 98).

152. Hinc *phœnomenismus*, quicumque sit, falsus est.

Revera quod gratis asseritur, gratis negari potest. Jamvero

1. *Veteres sic arguunt* : Anima est « certus modus mixtionis » (Alexander Aphrodisius) vel « complexio seu temperamentum » (Galenus) vel « harmonia contrariorum » (Empedocles), in homine ex qualitatibus passivis et activis emergens. Ergo non est substantia.

Resp. — *Nego cons.*, nam tria prædicta sunt effectus qui non existunt nisi dirigente principio, quod mixtionis, complexionis, et harmoniæ causa sit. Et hoc principium quid substantiale sit oportet [1].

2. *Recentes sic* : Anima est « fasciculus facultatum seu qualitatum » (Locke), vel « habituum acquisitorum » (Benecke), vel « activitatum entis inconscii » (Hartmann), denique « phænomenorum seu apparentiarum, quarum τὸ ἐγώ phænomenale se putat subjectum » (transcendentales). Ergo rursus non est substantia.

Resp. — *Nego cons.* Hæ enim qualitates, hi habitus, istæ activitates et apparentiæ, fatentibus adversariis, vitales sunt, imo et in unam vitam conspirant : ergo hæc quatuor pendent ab unico et ultimo principio actionis et passionis, ea colligante, quod est substantia.

3. *Taine* testimonium conscientiæ sic specialius impugnat : fallax est testimonium conscientiæ : « La conscience fourmille d'illusions » ; ergo pariter τὸ ἐγώ : « le moi n'est qu'un fantôme créé par la conscience » [2].

Resp. Conscientia patitur illusiones in casu morbi vel insaniæ, *conc.* ; in homine sano et in statu normali, *nego*. Nec ullus est philosophus, qui respuat testimonium evidentiæ experimentalis (Cf. Log., n. 202)

Inst. Anima est « illusio metaphysica ». Sicut enim illuditur, qui facta divisione tabulæ in partes rotundas, quadratas, etc., tabulam crederet esse diversam a suis partibus, sic qui reputat animam aliam esse a phænomenis psychologicis [3].

Resp. — Partes a toto integrali non distinguuntur, *conc.* ; a causa partium, *nego*. Porro sensationes, cogitationes, volitiones sunt partes animæ, *nego* : sunt enim effectus ab anima producti, et ab ea distinguuntur ut effectus a causa.

1. *Cont. Gent.*, L. II. c. 63 et 64. — 2. *De l'intell.*, 10, 11. — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 111.

§ II. *De Distinctione facultatum a substantia animæ.*

153. Utrum vera sit *distinctio* facultatum a substantia animæ ? Respondet contra fautores simplicismi exaggerati sequens

THESIS

Viget distinctio realis inter substantiam et facultates animæ.

Prob. — 1° *Ex multiplicitate numerica facultatum nostrarum.* Revera *plures non possunt non esse facultates* : 1. — quæ simul actus distinctos agunt, ut videre simul et velle : nam non est eadem potentia quæ simul in duplicem actum distinctum transit ; 2. — quarum aliæ aliis dominantur vel e contra aliæ aliis subjiciuntur, sicut ratio appetitui, vel imaginatio voluntati : idem enim secundum idem non potest a semetipso pendere, nec sibimetipsi subjici ; 3. — ex quibus aliæ contra alias pugnant : siquidem duo saltem ad conflictum requiruntur ; 4. — quarum denique aliæ ab aliis moventur, ut voluntas ab intellectu : quippe « idem secundum idem non movet seipsum ». — Unde sic : quæ differunt *numero* inter se non sunt una res cum tertia ; atqui potentiæ numero differunt inter se ; ergo non sunt idem ac essentia animæ.

2° *Ex natura omnino diversa operationum nostrarum.* Operationes enim nostræ sunt non tantum specie, sed genere omnino diversæ, sicut vegetare, sentire, intelligere : ergo natura diversæ sunt potentiæ : ergo ab eis anima distinguitur.

Prima consequentia *suadetur* analogia, quia viventes adhibere solent diversa organa juxta genus operationum ; sic et manus sine variis instrumentis, pingere, scribere et secare nequit. *Probatur* autem quia testimonio conscientiæ apparent *plures,* rationi autem *diversæ,* nam eadem potentia non potest habere diversas naturas, v. g., esse simul organica ad sentiendum, et inorganica ad intelligendum (supra, n. 28).

Secunda consequentia patet ; secus enim anima esset una simul et multiplex. — *Multiplex,* nam potentiæ quæ sunt natura diversæ, non sunt unum ; ergo multiplex erit essentia animæ, si ab eis non distinguitur realiter. — Sed etiam una sit oportet, nam facultates radicari debent in una eademque essentia tanquam in eodem fundamento ; secus enim non explicari posset earum connexio, vi cujus aliæ ab aliis moventur, aliæ aliis subjiciuntur et eidem individuo tribuuntur.

3° Ex *consectariis* negatæ distinctionis. — Si enim inter fa-

cultates animæ et ejus substantiam nulla sit distinctio realis, vel admittatur unica potentia vel plures. Si unica potentia, surgit contradictio, sive organica sive inorganica supponatur illa potentia, nam potentia organica non poterit elicere operationes animæ spiritualis, nec inorganica operationes vegetativas et sensibiles. — Si plures potentiæ, plures etiam animæ in eodem homine admittendæ sunt, sicque contra dicta (n. 151), anima esset mera collectio potentiarum ejusque substantialitas destrueretur.

4° Brevius ex *natura actuum* cum Angelico : « nullus unquam opinatur nisi insanus quod actus animæ sunt ipsa ejus essentia [1]. » Unde sic : actus animæ sunt accidentia : sed, ut fert axioma, « potentia et actus sunt in eodem genere » ; ergo etiam potentiæ sunt in genere accidentis et non essentia animæ.

154. Hinc *simplicismus animæ* absolutus est falsus.

Revera *falso fundamento* innititur, sc. negatione distinctionis realis inter esse et essentiam, itemque inter substantiam et accidentia. Porro utraque negatio falsa est (Ontol., n. 34 et 117) ; ideo anima spiritualis est quidem « in sua essentia omnino simplex », sed remanebit in ea « compositio altera duplex : essentiæ cum esse et substantiæ cum accidentibus [2] ».

Obj. I[a]. — Si facultates ab essentia animæ distinguantur, ab ea etiam separari possunt : quod est absurdum.

Resp. Nostra et communis opinio fert proprietates *vitales* nullo modo concipi a suo vitæ principio separatas [3]. Cæterum multa sunt, sicut materia et forma, sicut modi omnes et res modificata, quæ separatim existere non possunt, reali tamen distinctione inter se distinguuntur... (Ontol., n. 118-120). Porro ita est de facultatibus et de essentia animæ.

Obj. II[a].— Nihil, nisi essentiale, definitionem ingreditur. Sed homo, juxta omnes, definitur animal rationale. Ergo ratio et ideo aliqua facultas est quid essentiale seu pertinet ad essentiam hominis.

Resp. *Trans. præmis.*, *dist. cons.*, ergo rationabilitas pertinet ad essentiam hominis, *conc.*, ipsamet ratio, *nego*. Est nempe rationabilitas radix rationis seu attributum ipsius substantiæ animæ, vi cujus exigit rationem.

ARTICULUS II.

De Simplicitate animæ humanæ [4].

155 Utrum et quo sensu anima humana sit *simplex* ?

1. Anima humana dicitur simplex duplici quidem sensu : —

1. *De Spir. creat.*, a. 11, ad 1 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 77, a. 1. — 2. Cf. **Thesis Thomistica VII**[a]. — 3. Cf. **Mendive**, *Psych.*, n. 33. — 4. **Mercier**, *Psych.*, t. II, n. 252-255.

quoad essentiam, quia non est substantia ex duabus pluribusve substantiis etiam simplicibus composita, ut corpus, v. g., ex materia et forma ; *quoad entitatem*, quia non est subjectum quoad partes suas integrantes extensum seu quantitate præditum, sed merito dicitur prorsus indivisibilis.

2. In hoc præsertim ultimo sensu, et generatim contra materialistarum turbam, qui, nomen animæ sæpe retinentes, ipsam a corpore non distinguunt, et operationes psychologicas omnes attribuunt materiæ, statuitur

THESIS

Anima humana, a materia quidem apprime distincta, est substantia omnino simplex.

Arg. gen. — Anima principium dicitur a quo in homine procedit non tantum corporis organisatio et vita et motus, — sed etiam sensatio et intellectio et volitio. Atqui tale principium est a materia distinctum et simplex. Ergo etiam anima.

Major satis constat ex passim dictis in Cosmologia (n. 94-95), in Dynamilogia (n. 35, 37, 48, 78, 83, 96) atque ex infra dicendis de unitate animæ (n. 190). *Minor* probatur per partes.

156. I. *Anima a materia seu corpore est apprime distincta.*

Prob. 1° Ex *natura corporis.* — Revera (Cosmol., n. 49) omne corpus, quodcumque tandem sit, duplici constat principio, uno quidem passivo, altero autem activo : ergo etiam et imprimis in corpore humano datur principium activum, a materia distinctum, quod dicitur anima [1].

Hoc autem argumentum eo magis *urget*, quod hujusmodi principium a materia, ut ita dicam, « *physice* » secernitur. Non enim una eadem realitas transit et permanet [2]. Atqui, — ex una parte, materia corporis nostri effluit et renovatur de die in diem, ita ut dicere potuerit Moleschott : « Il faut 30 jours pour donner au corps entier une composition nouvelle », et Flourens, post mirabiles experientias : « Toute la matière paraît et disparaît, se fait et se défait, et une seule chose reste, c'est-à-dire la force qui vit au milieu de la matière et qui la gouverne [3]. » — Sed ex altera parte anima remanet, ut fatetur D. Flourens, et testimonio conscientiæ constat :

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 57-58. — 2. *La Science cathol.*, an. 1889, p. 73-77 ; — Cf. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 88-89. — 3. Cf. **Farges**, *Ibid.* ; — **Flourens**, *La Vie et l'Intelligence*, 1[re] part., sect. 1, ch. 3.

nam idem est qui est senex et qui fuit puer, qui sanatur et ægrotavit... Ergo animæ realitas non est materiæ realitas.

157. 2° Ex *natura vitæ*. — Homo vivit ; sed materia non potest esse principium vitæ ; ergo principium vitæ, sc. anima, est substantia a materia distincta. — *Minor* probatur, nam si materia haberetur ut principium vitæ, vel hoc esset quatenus materia, vel quatenus organisata. Atqui neutro modo :

a) Non *quatenus materia* : aliter enim omne corpus esset vivens, eo quod esse materiale est aliquid commune omnibus corporibus : « Manifestum est quod esse principium vitæ vel vivens, non convenit corpori ex hoc quod est corpus ; alioquin omne corpus esset vivens aut principium vitæ [1]. »

b) Nec *quatenus organisata* ; nam organisatio materiæ non est vitæ principium, sed e contra effectus qui producitur ab ipso vitæ principio, ut patet ex præcipuis biologiæ factis : sic, v. g., organa non nascuntur præformata, sed a vita successive formantur, evolvuntur, conservantur, læsa sanantur, imo ablata integre aliquando reproducuntur, ut constat, v. g., de forcipibus cancrorum (pattes d'écrevisses) et de cerebro columbarum [2]. — Nec mirum, nam corporis organisatio, licet perfectissima, materiæ naturam mutare nequit.

« Anima igitur, quæ est primum principium vitæ, non est corpus, sed corporis actus [3] » (Cf. Cosmol., n. 94).

3° *Ex natura motus*. — Illud a corpore distinguitur quod corpus movet, et quidem secundum leges diversas a legibus quibus reguntur vires mechanicæ. Sed — *a*) anima regit corpus, repugnat passionibus [4], et despotice pro libitu suo membra movet ; — *b*) movendo, aliis legibus regitur ac illæ quibus reguntur vires mechanicæ ; nam motus virium mechanicarum effectui impulsivo proportionatur, non autem motus animæ. Ergo anima a corpore distincta et corpori superior est.

Confirmatur exemplo, quod vocant *l'argument des archers* : « Que je dise à quelqu'un à l'oreille : il y a des archers qui vous guettent au coin de la rue pour vous prendre ; aussitôt mon homme se met à courir à toutes jambes. On voit bien qu'il n'y a aucune proportion entre ce peu de paroles dites à l'oreille, ou, si l'on veut, entre l'ébranlement qu'elles causent au cerveau de cet homme, et l'impétuosité de la course qui en est l'effet. Qu'est-ce donc qui s'interpose entre ces deux choses ?... Un principe interne d'action auquel le corps obéit [5]. »

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 1. — 2. **Farges**, *La Vie*, p. 43 et tout le ch. 2.— 3. **S. Thomas**, *loc. cit.* — 4. *Cont. Gent.*, L. II, c. 63, n. 4. — 5. **Fontenelle**, *Essais*.

Ergo tandem concludere licet : anima a corpore et a viribus mechanicis materiæ distinguitur : ex quo jam infertur ejusdem simplicitas, quæ tamen nunc directe probanda venit.

158. II. *Anima humana est substantia omnino simplex.*

Prob. 1º Ex natura sensationis [1]. — Certum est enim rerum materialium, v. g., domus, lapidis, inesse nobis perceptionem unam et indivisam : ergo anima sentiens seu sensus unus et indivisus est : ergo omnino simplex.

Probatur *antecedens*, nam in hypothesi sensus pluribus partibus compositi, sic argumentari licet : quælibet pars vel unam et totalem, vel partialem tantum habet objecti perceptionem. Si prius, tot dantur objecti perceptiones totales, quot sunt partes in sensu cognoscitivo ; si posterius, dantur quidem objecti multæ, sed partiales cognitiones, nunquam vero totalis et indivisa cognitio. — Sed utrumque contradicit testimonio conscientiæ : non enim multiplex sed una, nec partialis sed indivisa habetur unius ejusdemque objecti perceptio. « On a observé, par exemple, que la surface palmaire des doigts est tapissée par une infinité de fibrilles nerveuses (108 dans l'espace d'une ligne carrée). Or la sensation provoquée par le contact ne se compose pas de 108 sensations : elle nous apparaît globale, une, indivise [2]. »

Probatur *consequentia* : ergo sensus perceptivus, v. g., oculus, unus et indivisus est. Sed talis esse nequit sine « aliquo continente et uniente partes ejus [3] », quod iterum vel extensum vel simplex est. Porro extensum esse nequit : secus redit eadem difficultas. Ergo simplex est, ita ut, omnes et singulas organi moleculas compenetrando, in omnibus et singulis adsit, et una actione totum objectum cognoscat. Ita etiam contra Lovanienses [4].

159. 2º *Luculentius* ex natura intellectus. — Nam si cognitio sensibilis rerum materialium supponit subjectum simplex, *a fortiori* cognitio intellectualis rerum simplicium et immaterialium : « Quomodo enim, quod magnitudo quædam est, id quod magnitudine caret, et quod dividuum est, rem perciperet individuam [5] ? »

1. Cf. hoc argumentum apud **Garnier**, *Traité des facultés de l'âme*, t. I, p. 5, emendatum vero a **Farges**, *Le Cerveau*, p.66-85 et a **P. Coconnier**, *De l'âme humaine* ; — cf. **d'Hulst**, *Mélanges phil.* ; — **Alibert**, *La Psych. thomiste*, p. 347. — 2. **Ch. Fontaine**, *De la sensation et de la pensée*, Louvain, 1885. — 3. *Contra Gent.*, L. II, c. 65, n. 3. — 4. Cf. **Mercier**, *Psych.*, I, p. 232, *édit.* 1903. — 5. **Eusebius**, *Præp. Evang.*, L. XV, c. 22.

Unde sic : — Quod producit operationes omnino simplices simplex esse debet. Sed cognitio et volitio sunt actus simplices. Ergo anima seu principium cognitionis et volitionis est omnimodo simplex. — Minor probatur per partes :

A. — Nam, *intellectus* veritatem universalem, immaterialem, absolutam assequitur ; præterita recordari, quinimo futura quodammodo prævidere potest ; cognoscit ens, unum, verum et similia. Objectum autem harum cognitionum, et proinde ipsum cognitionis actum non solum omnis quantitatis, sed etiam omnis compositionis expertem esse constat. — Præterea, judicium,ut vidimus (n. 91), essentialiter consistit in affirmatione aut negatione ; sed nulla est compositio in simplici affirmatione aut negatione ; ex. g., Deus est sanctus, homo non est æternus. — Summatim ait Receveur : « La pensée, le jugement... sont des actes simples, immatériels, qui ne présentent aucune forme sensible, et qui n'ont absolument rien de commun avec les propriétés des corps ; leur caractère distinctif est l'*unité absolue*[1]. »

B. — Item, in actu *volitionis* simplicitas et qualitates a materia prorsus alienæ inveniuntur : revera, spontaneitas, electio, libertas, competunt hominibus ratione pollentibus ; unusquisque ad bonum cognitum fertur activate propria, et legibus mechanicis non regitur, imo sæpius eis obsistit. Volitiones istæ et actus quo justitiam diligimus, amor veritatis et spes æternæ felicitatis, sunt actus compositionis expertes.

Ergo volitiones,sicut intellectiones supponunt agens simplex.

3° *Confirmatur ex unitate subjecti* operationum istarum. Ut conscientia testatur, unum et idem est subjectum affectionum et operationum nostrarum, etiamsi affectiones et operationes hujusmodi sint diversæ, imo *oppositæ* ; v. g., eodem instanti, pedes frigoris et manus caloris phænomena experiri possunt : studere simul et dolere possum ; attamen, idem subjectum dicit : frigus et calorem *experior*, studeo simul et doleo. Porro, illud dici non potest, nisi subjectum, in quo recipiuntur illa phænomena, sit simplex et inextensum ; nam, si frigus in subjecto A, calor autem in sujecto B recipiantur, unum et idem subjectum dicere nequit : *ego* frigore et calore afficior, etc.. Ergo animam esse simplicem supponit hæc unitas.

1. *Encyclop. du XIXe s.*, art. *Ame*.

ARTICULUS III.

De Spiritualitate animæ humanæ[1].

160. En status quæstionis de *spiritualitate* animæ.

A. — *Sensus.* Anima belluina et forma quælibet simplex est sicut et ipsa anima humana. Nunc ergo quærendum est quomodo anima humana specifice differat a qualibet alia substantia simplici aut immateriali.

B. — *Notiones.* Spiritus in genere est *substantia simplex, quæ ita est a materia independens, ut sine illa et esse et vivere et operari possit ; quæ ideo ab ea separari potest,* χωριστος : unde brevius : spiritus est forma « *subsistens* ». Hinc, et bene advertas, simplicitas meram dicit rei indivisibilitatem, spiritualitas addit et a materia independentiam (n. 20).

C. — *Errores.* Non pauci e recentibus philosophis, post Cartesium et Reidium, simplicitatem et spiritualitatem minime secernunt ; unde prolapsi sunt in duplicem errorem. Alii ut animam humanam a principio vitali belluarum discriminent, asserunt bruta animantia esse meras machinas (Cartesius) ; alii vero, nullam assignant differentiam specificam inter homines et bestias, nempe eclectici (Damiron), juxta quos, asinus vel bos et homo gradu tantum differunt[2].

D. — *Distinctiones.* Ad solutionem quæstionis notandum est quod substantiæ simplices in triplicem classem dividi possunt : 1º Aliæ ita *pendent* a materia, ut nequeant ab illa separari, quin esse desinant, v. g., principium vitale plantarum et anima belluina : substantiæ hujusmodi dicuntur *mere simplices* ; 2º Aliæ vero, licet informent corpus materiale, ab eo tamen *non pendent intrinsece*, et, corpore soluto, possunt *esse* et *vivere* : tales substantiæ vocantur *spirituales* seu spiritus materiæ uniti ; 3º Aliæ tandem non pendent a materia, nec *intrinsece*, nec *extrinsece*, quia nullum corpus *informant* : hi sunt *spiritus puri*, nempe Deus et Angeli. — Porro sæpe scholastici formas mere simplices, ex. g., animam belluinam, materiales vocant ; substantias spirituales corporibus unitas appelant immateriales ; spiritus autem puros nominant formas separatas et subsistentes[3] (Ontol., n. 100).

In secundo sensu præcedentis distinctionis, animæ humanæ

1. **Mercier**, *Psych.*, t. II, n. 250-251. — 2. Cf. **Boirac**, *Métaph.*, c. IV, 1º. — 3. **Suarez**, *De Anima*, c. X, n. 18 ; — **S. Thomas**, *IV Sent.*, disp. 45, q. 1, a. 1.

spiritualitatem asserere debemus : unde sit duplex *thesis*, una contra sensistas et altera contra ultraspiritualistas, ex utraque vero *corollarium* educetur de essentia animæ humanæ.

§ I. *Demonstratio spiritualitatis.*

161. Utrum anima humana sit *vere spiritualis* [1] ?

THESIS

Anima humana vera spiritualitate gaudet.

Prob. — En *argumentum fundamentale* : inter operationem, potentiam et substantiam proportio datur ; sed operationes intellectus et voluntatis in se seu intrinsece non pendent a corpore ; ergo intellectus, ergo voluntas et consequenter ipsamet anima, pendere nequit intrinsece a corpore materiali et organico, sed merito dicitur subsistens.

Jamque *major* per se patet et *minor* ex passim dictis (n. 83, 97) : de utraque tamen, ob rei præstantiam, agemus.

Major in dubium revocari nequit. Nam omnis causa secundum naturam viresque sibi proprias operatur, juxta illud : « modus essendi sequitur esse » et « operari sequitur esse », et sic inter essentiam, potentias et operationes agentis proportio necessaria requiritur : « Cum virtus sit media inter essentiam et operationem, ait S. Doctor, oportet quod virtus et operatio cujuslibet rei proportionetur essentiæ ejus[2] » ; « similiter enim unumquodque habet esse et operationem[3] ».

162. *Minor* probatur ex parte intellectus et voluntatis.

A. — Ad *intellectum* quod attinet « decem sunt ex quibus probaverunt Peripatetici[4] » ejus spiritualitatem. His autem jam præmissis (n. 83), duo tantum argumenta addere præstat :

1. Primum est *negativum.* — Id est : nulla virtus organica seipsam apprehendit, nulla organum suum cognoscit, nulla qualitates sui organi discernit. Intellectus autem apprehendit et seipsum reflexione completa ; percipit enim simul se agentem, actum suum et objectum sui actus. Ergo. — *Similiter* omnis virtus organica organo proportionatur, vicesque organi sequitur ; v. g., senescente organo, debilitatur. E contra intellectus cerebro non proportionatur, nec « vigor mentis » necessario debilitatur, senescente cerebro, sed vehementior aliquando est apud senes. Ergo et ipse organicus non est.

1. Cf. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 2 ; — **Farges**, *Le Cerveau*, p. 85-229 ; — 2. *Quodlib.*, VI, a. 2. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 3. — 4. **Albertus Magnus**, lib. III, *De Anima*, tract. II, c. XVI (Ed. Vivès, t. V, p. 345).

2. Secundum est *positivum*[1]. Id est : intellectus in se recipit, et quidem indivisibili modo, formas abstractas et immateriales omnium rerum ; ergo est spiritualis, cum corpore non mixtus.

Constat *antecedens*, quoniam sunt conceptus quidam intellectus omnino immateriales, sicut conceptus entis et unius, veri et boni aut principiorum ; v. g., axioma $2 + 2 = 4$ nec est extensum, nec coloratum, neque situm in spatio et tempore. — Itemque post sensationem præviam intellectus « cognoscit corpora cognitione immateriali, universali et necessaria[2] », comparat notitias universales, de illarum convenientia judicat, et, ope ratiocinii, e judiciis magis notis ad alia minus nota conscendit. Porro actus hujusmodi aliique similes in se nihil habent quantitativum et materiale, ac proinde a materia et corpore organico in se pendere nequeunt[3].

Constat *consequens* ; quod enim in corpore recipitur, quantitative et materialiter in ipso est, juxta illud : « quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. » Ergo illi actus spirituales in facultate organica recipi non possunt.

B. — Idem constat *ex parte voluntatis* et multipliciter :

1 *Imprimis* ex antea dictis (n. 97), nempe — *a*) ex *paritate* cum intellectu : voluntas sequitur intellectum, ergo pariter spiritualis est ; — *b*) ex *actibus* ejus : bonum universale prosequitur, sibimetipsi imperat, et corpori dominatur, ergo organica non est ; — *c*) ex *libertate* : eligere potest inter duo ; sed, si esset organica, determinaretur ad unum ; ergo inorganica est.

2. *Speciatim* ex *desiderio* rerum spiritualium, sic : natura alicujus entis innotescit ejus inclinatione seu desiderio ; nullum enim ens naturaliter desiderat ea quæ naturam suam essentialiter transcendunt ; ex. g., « lapis non appetit esse animal, et asinus non appetit esse hominem ». Porro anima ex innato desiderio fertur ad spiritualia, ut sunt scientia, justitia, virtus, beatitudo æterna : appetimus enim bonum immateriale et infinitum, virtutem et scientiam amore prosequimur. Ergo actus voluntatis et ipsa voluntas, qua ea spiritualia diligimus, est spiritualis et a materia non pendet.

Ergo tandem anima transcendit materiam, et « est per se subsistens[4] » : actus enim spirituales nonnisi facultatibus

1. **Albertus Magnus**, *Ibid.*, c. I, ad 8 et c. II ; — Cf. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 86-88. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 1, ad 1. — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 91. — 4. **Thesis Thomistica XV**a.

spiritualibus ac proinde soli substantiæ spirituali competere possunt.

163. Quatenus spiritualitas animæ sit *incompleta* [1] ?

Si fides ultraspiritualistis, Platoni, Cartesio et aliis, anima est substantia completa, proindeque persona dici debet. Sed contra sit

THESIS

Anima non est spiritus purus, sed incompleta substantia quæ proprie persona dici nequit.

I. — *Non est spiritus purus.* — Revera, ex passim dictis in Dynamilogia, anima potentias habet alias quidem intrinsece, alias vero extrinsece dependentes a materia. — Aliunde ex dicendis (n. 180), est corporis forma. Ergo non est spiritus.

II. — Est *substantia incompleta*, ut duplici ex parte patet.

1° Ex *operationibus animæ.* — Substantia incompleta est quæ per se sola non potest elicere omnes suas operationes ; atqui anima sine corpore nequit ullam elicere operationem vitæ vegetativæ et sensitivæ ; ergo est substantia incompleta. — Patet minor ex dictis passim in Dynamilogia (n. 34, 46...).

2° Ex *natura hominis.* — E duobus comprincipiis unius et ejusdem naturæ, nullum est completum ; atqui ex modo dicendis (n. 180), anima et corpus sunt duo comprincipia unius et ejusdem naturæ humanæ ; ergo anima, sicut et corpus, non est substantia completa (Cf. Ontol., n. 102).

III. — *Non est proprie persona.* — Nam — 1° Persona est substantia completa ad unionem cum altera non ordinabilis ; atqui anima humana non est completa, et non solum cum altera substantia ordinari potest, sed de facto ordinatur ; ergo non est persona.— 2° Persona idem est ac τὸ ἐγώ. Porro τὸ ἐγώ non est solum corpus, nec anima sola, sed utriusque compositum, ut constat ex modo omnium loquendi. Ergo animæ humanæ « competit neque definitio personæ neque nomen [2] ».

Hinc anima a corpore separata poterit quidem dicere : « *Ego* » : sed illud *ego* tunc deficiet a ratione propriæ ac plenæ personalitatis, indicans tantum partem quamdam personæ humanæ, licet principalem [3].

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 471-476. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 29, a. 1, ad 5 ; — q. 75, a. 4, ad 2 ; — **S. Thomas**, *In III Sent.*, dist. 6,q. 2, a. 2. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 2, ad 1 et 2 ; — a. 4, ad 2.

§ II. *Corollarium de Essentia animæ humanæ.*

164. Utrum animæ essentia sit *cogitatio* aut *vis* cogitandi ?

A. — *Opiniones.* — Ium asserunt Cartesiani, qui corporum essentiam in extensione, mentis autem essentiam in *cogitatione* seu conscientia reponunt : « Je ne suis donc, précisément parlant, qu'une chose qui pense, ait Cartesius, c.-à-d. un esprit, un entendement ou une raison [1] » ; quare, juxta ipsum, affectiones, volitiones et ideæ sunt modi cogitationis. — IIum propugnant illi qui, Leibnitzii vestigia sequentes, docent essentiam animæ constitui per *vim cogitandi*, nobis naturaliter insitam. De natura autem illius vis cogitandi non consentiunt : juxta Leibnitzium, est monas activa totius universi repræsentativa ; eam vero spontaneitatem ab inertia materiæ distinctam, appellat Maine de Biran.

B. — *Confutatio.* — At procul dubio utraque opinio falsa est ; secus enim animæ essentia in *accidenti*, — et quidem animæ humanæ non *proprio*, — reponeretur.

Probatur Ium, nam actio et potentia differunt ab essentia ; sed *cogitatio* est actio et *vis cogitandi* est potentia animæ ; ergo differunt ab essentia animæ, quam ergo non constituunt.

Revera mens humana non semper cogitat, ut experientia demonstratur ; igitur illius essentia, quæ est permanens, consistere nequit in *actu* cogitationis. — Sed nec in *vi* cogitandi, sive ista dicatur conatus, per quem intellectus ad agendum impellitur, sive potentia immediata ad operandum : hæc enim nihil est aliud ac operatio quasi inchoata, conatus autem, singulis animæ potentiis inditus, est mera qualitas (n. 22). Ergo tum iste, tum illa est *accidens*, ergo non essentia.

Probatur IIum, nam anima per essentiam in sua specie constituitur et ab aliis discernitur. Sed cogitatio et vis cogitandi mentem humanam a Deo vel ab angelis nequaquam discriminare possunt : Deus enim actu cogitat, et angelus vim cogitandi actuatam eminenti modo possidet. Ergo nec cogitatio, nec vis cogitandi sunt quid animæ humanæ *proprium*, in quo ejus essentia reponi possit.

165. Quænam sint *essentia* et *dignitas* animæ humanæ [2] ?

A. — Essentia mentis humanæ consistit in eo quod sit *principium intellectivum* et *forma substantialis* corporis organici (n. 156).

1. **Cartesius,** *Medit.*, II ; — Cf. *Epistol.*, II, 4 ; — *Princ. phil.*, p. I, a. 53. —
2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 1.

Prob. — Per essentiam intelligimus id quo unum ens ab alio ente specifice distinguitur. Atqui

a) Mens humana *specifice* differt ab anima belluina, in eo quod est *principium intellectivum* seu intelligendi capax. Revera anima, quatenus est substantia simplex, non discriminatur essentialiter a brutorum anima, quæ etiam simplex est, sed caret omni intellectu, et sine corpore organico nec existere, nec operari potest ; ideoque mens humana a belluina specifice differt, in quantum est principium intellectivum.

b) Anima autem ab angelis seu substantiis separatis non distinguitur in quantum est principium intellectivum ; quippe homo, non secus ac angelus, intellectu præditus est ; ideoque ab eis anima *specifice* differt, eo quod nata sit ad *informandum* corpus organicum, ac proinde ad intelligendum speciali modo, sc. sese convertendo ad phantasmata.

B. — Anima igitur superior est aliis formis mundanis, sed paulo minus ab angelo minuitur[1], et illo imperfectior est tum in sua natura, tum in suis operationibus[2]. — Quare *media* est *inter corpus et angelum*, secundum illa Bossuetii : « Comme (l'âme) est dans le dernier ordre des substances intelligentes, c'est en elle que se fera l'union entre les esprits et les corps[3]. » — Hinc est cur homo inter animalia constituat *regnum speciale*, quod vocare possumus regnum intellectuale, siquidem, ratione animæ, in quantum est spiritualis, producit seriem operationum, sc. cogitationum et volitionum, quibus inter animantia solus præditus est.

166. Quænam ergo sit animæ humanæ *logica definitio* ?

A. — Anima est *substantia simplex et spiritualis, corporis forma*. — 1° Dicitur *substantia*, quia non est peculiaris modus essendi corporis, nec facultatum collectio, sed quid a materia substantialiter distinctum. — 2° Vocatur *simplex*, et sic a substantia corporea distinguitur, quæ pluribus principiis plurisbusve partibus constat, dum anima merito dicitur incorporea. — 3° Anima est substantia *spiritualis*, et hac voce distinguitur ab anima belluina, quæ vera spiritualitate non gaudet. — 4° Est *corporis forma* ; sicque differt a substantiis separatis, videlicet a Deo et ab Angelis ; Deus enim et An-

1. *Psalm.*, VIII, 6, 8. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 2. — 3. *Sermon pour le jour des morts.*

geli sunt substantiæ simplices atque spirituales, sed insuper corpus materiale non informant.

B. — Porro hujusmodi definitio est *legitima*. Anima enim quoad genus remotum est substantia ; quoad genus proximum, est substantia simplex ; quoad differentiam specificam, est principium intellectivum et forma substantialis corporis organici. Talis est doctrina Aristotelis[1], deinde scholasticorum et S. Thomæ, qui ait : « Homo, etsi conveniat in genere cum aliis animalibus, specie tamen differt[2] ».

ARTICULUS IV.

Confutatio Materialismi.

167. Quid et quotuplex sit *materialismus* ?

A. — Est *materialismus error quo anima humana vel corporea, vel modus corporis aut etiam vis corporea dicitur.* Hinc materialistæ, qui omnes rejiciunt existentiam animæ simplicis seu substantiæ a materia distinctæ, tria moliti sunt systemata, cum apud veteres, tum apud recentiores.

B. — Alii (nempe Democritus, Epicurus, et plerique Stoici), docuerunt animam esse corpoream, licet ab ipso corpore humano distinctam[3].

Alii, præsertim inter *physiologos* (ducibus Aristoxeno et Galeno), non secernunt animam ab *organismo* physico qui *modus* est corporis ; sic præ cæteris Helvetius[4], d'Holbach, Cabanis, Broussais, etc., facta psychologica, deinde facultates nostras ad sensationem et ipsam sensationem ad motum *organismi* physici revocare conantur. Juxta eos cogitatio dici debet *secretio* naturalis cerebri, quemadmodum in nutritione alimentorum digestio vocatur operatio stomachi. Unde, materialismus horum omnium dici potest *mechanicus.*

Alii autem (præsertim inter materialistas Germanos, et positivistas in Gallia vel in Anglia vigentes), omnia vitæ phænomena, sensibilitatem, intelligentiam et affectiones tribuunt activitati viribusque physicis, quibus corpora sunt prædita ; quapropter, anima est complexio functionum, quæ non solum ex organismo, sed etiam e *viribus* physicis resultant. Hoc systema dicitur *materialismus dynamicus* illudque propugnant Büchner, Moleschott, Littré, Tyndall, Herbert Spencer, aliique nonnulli scientiis chimicis et physicis addicti.

Præterea materialismo favet Lockius, juxta quem nescimus an Deus facultatem cogitandi tribuere possit materiæ sc., ut ait ipse : « à quelques amas de matière disposés à propos[5] ».

1. *De Anima* : **S. Thomas et Suarez,** *Ibid.* — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a.3, ad 1. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 2. — 4. *De l'Esprit*, 1758. — 5. *Essai sur l'entend. hum.*, L. III, c. IV, 6.

168. Quomodo materialismi portentum *confutari* possit ?

THESIS

Materialismus, quocumque modo propugnetur, falsus est.

I. — Imprimis falsa *methodo* falsoque *fundamento* nititur.

A. — *Falsa methodo.* — Sic enim procedunt materialistæ : posita causa, ponitur effectus ; sublata vero, tollitur. Sed posito cerebro, adsunt omnes operationes intellectus ; sublato vero, tolluntur. Ergo cerebrum est causa omnium intellectus operationum. — *Jamvero* nemo non videt hanc methodum specie quidem esse scientificam, re vero æquivocam et prorsus insufficientem : hujus enim ope dignoscuntur causæ diversi omnino generis, etiam meræ conditiones, quæ concurrunt ad quemdam effectum producendum, non autem aperitur *natura* influxus, qui singulis causis competit in effectu producendo. Sic, v. g., sine fenestris apertis cubiculum non illuminatur et tamen fenestra non est causa efficiens, sed mera conditio hujus illuminationis [1] (Ontol., n. 161, 165).

Quare cultores ipsi scientiarum naturalium fatentur quæstionem de spiritualitate animæ sola experientia resolvi non posse : « La philosophie ne redoute pas les extrêmes ; il y a longtemps qu'on le sait. Aujourd'hui on veut faire de la pensée une simple sécrétion du cerveau, un produit chimique. Mais la chimie connaît ses limites, et ce n'est pas elle qui prétend les franchir [2]. »

B. — *Falso fundamento.* — Etenim in *hoc principio* nituntur materialistæ, videlicet nihil existere præter materiam et materiæ motus, qui variis modis, modo in calorem, modo in cogitationem transformantur, ut fert axioma : « Rien ne se crée, rien ne se perd, tout se transforme. » Sic, juxta illos, vindicta hominis qui, recepto lapidis ictu, lapidem remittit ad inimicum, mechanice et sola « transformatione virium » sufficienter explicaretur. — Sed contra :

1° Hæc *assertio falsa est*, triplici saltem ratione : nam — *a*) materia passiva, ut centies diximus, ne quidem existere per se solam potest sine principio activo ab ipsa distincto ; — *b*) hinc operationes etiam organicæ, v. g., sensationes, præter motus organorum quibus conjunguntur, existentiam principii a materia distincti subaudiunt ; — *c*) et ita a fortior

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 58-65. — 2. Réponse de **J. Bapt. Dumas**, dir. d l'Acad. franç., au discours de Taine, 15 janv. 1880.

operationes inorganicæ, v. g., dolere, gaudere, ratiocinari, quæ quidem motus sunt[1], sed metaphorice tantum, quatenus sunt transitus de potentia ad actum, ac proinde motu mechanico explicari non possunt.

2º *Nil probat exemplum* ingeniose allatum. Nam transformatio virium mechanicarum fit *passive*, *necessario* et *æquivalenter*. Porro hæc tria in facto allato desunt : — *a*) nec qui immittit lapidem, nec qui remittit, se habent passive more automatorum ; — *b*) sensus odii quo prior ad jactum lapidis determinatur, non necessario conjungitur cum tali effectu ; — *c*) æquivalentia inter motum datum et receptum sæpissime abest : quid enim si posterior, vel nullo modo ad inimicum, vel ad alium locum lapidem remittat ? Ergo hæc omnia, mechanice si explicantur, sunt incomprehensibilia.

3º Denique in operationibus intellectus *violatur lex transformationis virium*, quæ petit proportionem inter calorem aut laborem expensum et effectum productum. Nam nulla est proportio inter calorem cerebri aut laborem virium physicarum, et quantitatem aut perfectionem operis intellectualis. Æqualis labor cerebri producit, apud ignarum et doctum, effectum omnino diversum. Imo, eo major non raro videtur perfectio operis intellectualis aut moralis, quo fit facilius, cum minore fatigatione cerebri[2].

169. II. — *Materialismus intrinsece* impossibilis *est.*

Est enim inconcussum principium, effectibus certo existentibus assignandam esse causam proportionatam, nec majorem esse perfectionem in effectibus quam in causis : secus daretur effectus sine ratione sufficienti. Porro materialismus totus est ut explicet majus per minus, superiorem entitatem per inferiorem, spiritum per materiam et cogitationem per motum. Sed frustra ; nam plus entis habetur in vita quam in nuda materia, plus in vita sensibili ac in vita vegetativa, plus in vita intellectuali ac in vita sensitiva. Quapropter in materia, si sola spectatur, rationem sufficientem non habemus neque organisationis corporum, neque vitæ, neque motus, neque sensationis (n. 156-158). Ergo materialistæ nihil præter materiam admittentes, hujusmodi phænomenis imparem assi-

1. **Aristoteles**, *De Anima*, L. I, c. IV, § II. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 92-108.

gnant causam ; sed a fortiori si ulterius progredientes, etiam intellectionis et volitionis velint materiam esse causam.

Dicunt : Proprietates simplices, ut attractio, affinitas, a materia dimanant ; ergo, a pari, cogitationes, volitiones, cæteraque vitæ phænomena.

Resp. 1° *Nego ant.* Nam, ut vidimus (Cosmol., n. 32), vires physicæ, a fortiori vitales, supponunt principium a materia distinctum. — 2° *Nego paritatem* ; phænomena enim, quæ viribus physicis produci solent, ordinem materialem non transcendunt, sicuti cogitationes et volitiones.

Inst. — Fatentur quidam materiam inorganicam non esse cogitationis capacem : sed, aiunt, vim cogitandi sortitur per aptissimam organorum, præcipue cerebri, dispositionem.

Resp. 1° Organisatio est quid accidentale et materiæ naturam mutare nequit [1]. — 2° Non organisatio vires, sed vires organisationem producunt ; unde materialismus nihil est nisi circulus vitiosus (Cosmol., n. 94).

Inst. — Multa sunt, v. g., attractio universalis, quorum rationem ignoramus : ergo nescimus (Locke) utrum Deus cogitationem tribuere non posset lapidi, — quem a fortiori in spiritum convertere valet.

Resp. *Dist. ant.* Multa sunt quorum nescimus totam rationem, *conc.* ; materiæ vero et cogitationis *positivam aliquam* rationem non cognoscimus, *nego.* — *Nego cons.*, nam cogitationem esse simplicem ac spiritualem, et ideo materiæ proprietatem esse non posse certo scimus. — *Ad rationem* a fortiori, *dist.* : Deus miraculose per transsubstantiationem lapidem in spiritum convertere potest, *trans.* ; tunc enim tota substantia lapidis esse desineret ; potest autem facere ut, remanente lapidis substantia, lapis eliciat cogitationem, *nego* [2].

170. III. — Denique *falsa sunt materialismi consectaria* : ima enim scientiæ, artis et moralitatis fundamenta diruit.

A. — Materialismus fundamenta *scientiarum* evertit [3]. Revera, ex una parte, nil nisi materiam admittit ; sed materia est contingens, mutabilis, finita, dum prima scientiarum *principia* sunt æterna, necessaria, immutabilia [4]. Ex altera vero, nobiliora cognitionum *objecta*, nempe Deum, animam, imo substantias omnes extra scientiam ablegans, factis tantum et phænomenis studere præsumit. Ergo ex utraque parte deficit.

B. — Materialismus *artis* fundamenta diruit, quia veram pulchri notionem attingere nequit ; siquidem fons et origo pulchritudinis, quæ arte exprimitur, est in Deo ; perfectissima autem hujus pulchritudinis *imago* est in mente humana, quam

1. Cf. Dr Grasset, *Les limites de la Biologie*. — 2. Cf. Gerdil, *De l'immortalité de l'âme*. — 3. Taine, *De l'Intelligence*, p. 4. — 4. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 79, a. 9, ad. 3.

materialistæ e medio tollere nituntur. Hinc nihil in artibus intendit nisi egregiam formam rerum materialium exprimere ; ea de re, naturalismum abjectum crassumque sensualismum redolent hodierna materialistarum opera.

C. — Materialismus tandem *moralitatis* fundamenta destruit ; etenim, existentia animæ semel rejecta, libertas locum cedit fatalismo, seu complexio functionum organismi physici virtutibus et vitiis substituitur ; homo quidem est machina et automatum. Exinde moralitas, sed et religio et societas funditus corruunt, nefandumque *anarchiæ* commentum gignitur.

Confirmatur, nam hæc consectaria in libris scientificis, in operibus artis et in moribus, lugenda experientia constant.

***171. Quænam sint præcipua materialistarum *argumenta* [1] ?**

Innumeræ quidem sunt materialistarum objectiones, quæ tamen ad certa capita reduci possunt : sex præcipuas colligemus.

Obj. I[a]. — Anima de facto nihil intelligit sine *phantasmate* : ergo sine corpore nec intelligere, nec agere, nec esse potest.

Resp. 1º *Transeat ant.* Nam phantasma, necessarium quidem ad ideam comparandam, non requiritur absolute ad reminiscentiam : sufficit vocabulum. Imo vocabulum modo præcedit, modo sequitur tantum reminiscentiam, tanquam fidelis « echo » animæ in corpore (n. 142).

2º *Nego cons.* Nam hæc necessitas non incumbit intellectui propter essentiam suam seu intrinsecus, sed tantum extrinsece propter actualem animæ cum corpore conjunctionem. Unde absolute possibile est, 1º ut intellectus cogitet, species intelligibiles hauriendo non a sensibus, sed aliunde : v. g., e lumine divino ; 2º ut reminisci possit, dissoluto corpore, sine sensibili commotione in parte organica (n. 222).

Obj. II[a]. — Sunt ægrotantes, præsertim *hysterici*, qui *duplicem* manifestant *conscientiam*. Ergo habent animam divisibilem et materialem [2].

Resp. *Transeat ant.*, sed *nego cons.* Non enim repugnat persona, quæ, remanens identica, judicat se non esse identicam ; siquidem aliud est τὸ ἐγώ seu persona nostra, aliud autem judicium de statu personæ nostræ. Unum semper servat suam identitatem, aliud autem illusionibus imaginationis et memoriæ vitiari potest, nam quælibet facultas extra statum normalem, præsertim in ægrotantibus et amentibus, decipi potest.

Obj. III[a]. — Datur *æqualitas* inter gradum intellectus et cerebri perfectionem. Ergo intellectus (anima) et cerebrum sunt unum et idem [3].

Resp. 1º *Nego ant.* Revera perfectio intellectus, neque cum volumine, neque cum pondere absoluto aut relativo, neque cum

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 109 à 229 ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 257. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, 109-136. — 3. **Farges**, *Ibid.*, 136-157.

qualitatibus chimicis aut physicis cerebri commensurari hactenus potuit. Ex quo fatentur ipsi Materialistæ, Paul Bert et Ferrière : « Il y a donc dans le cerveau une *inconnue* que la science n'a pu encore déterminer [1]. »

2° *Conc. ant.*, sed *nego cons.* Nam facultates sensibiles et organicas organis suis proportionari convenit. Cum autem facultates intellectuales sensibilibus ordinarie et lato sensu proportionentur, inde concedi potest aliqua proportio lata et indirecta inter intellectum et cerebrum, quin intellectus sit facultas organica.

172. Objectio IVa. — *Stultitia et ebrietas*, in quas hominum mentes incidunt, sunt meri status organorum et materiæ. Ergo mens hominis nihil est nisi materia [2].

Resp. *Dist. ant.* Hi sunt directe status facultatum organicarum, qui tamen indirecte influxum habent in facultates spirituales, *conc.*, qui nullum in eas habent influxum, *nego.* — Revera omnes organorum defectus exercitium sensuum impediunt ; hoc autem destructo et turbatis cerebri phantasmatibus, intellectus ipse convenientur exerceri non potest. Unde *nego* consequens.

Obj. Va. — Scientia demonstrat omnes hominis operationes in una vel altera cerebri parte *localisari* : sed localisatio non est nisi rerum materialium ; ergo anima est materialis [3].

Resp. *Dist. maj.* Localisantur operationes vegetativæ et sensitivæ, *conc.* ; spirituales, *nego.* Priores enim, quia sunt organicæ, ibi esse debent, ubi sunt earum organa, v. g., in cerebro. Posteriores autem, nec organicæ sunt nec aliunde in cerebro poni possunt, ut constat ex recentioribus experimentis, ita ut recens medicus asserere potuerit : « Il n'y a plus de place pour y localiser les facultés intellectuelles [4]. »

Obj. VIa. — Juxta *novam Psycho-Physicam*, operationes animæ tempore et quantitate *mensurari* possunt : sed quod tempore et spatio mensuratur est materiale ; ergo anima est materialis [5].

Resp. 1° *Tempore* mensurari possunt operationes organicæ, *conc.*, spirituales, *subd.* : sub aliquo respectu, *conc.* ; sub omni respectu, *nego.* Sunt enim operationes, v. g., ratiocinium, deliberatio, quæ pluribus actibus constant, vel, sicut contemplatio, per aliquod tempus protrahi possunt. Ipse vero transitus facultatis spiritualis e potentia ad actum, cum fiat in instanti, nullo modo mensurabilis est.

2° *Quantitate* mensurari possunt : *dist.*, quantitate metaphorica operationes spirituales, *conc.* ; quantitate dimensiva et operationes organicæ, *subd.* : indirecte et approximative mensurantur, *conc.*, directe et proprie, *nego.* Unde ipse Wundt : « La loi de Weber n'a pas une portée universelle. » Hæc enim lex, quæ sic enuntiari potest : « L'intensité d'une sensation est égale au logarithme de

1. Farges, *Le Cerveau*, p. 153. — 2. Farges, *Ibid.*, p. 158-180. — 3. Farges, *Ibid.*, p. 181-207. — 4. Farges, *Ibid.*, p. 206. — 5. Farges, *Ibid.*, p. 208-229.

son excitation », a vi sensitiva organum informante immerito abstrahit.

Inst. gen. — Anima sequitur vices corporis in omnibus ; v. g., augetur, minuitur, debilitatur cum ipso corpore. Ergo non differt a corpore.

Resp. *Dist. ant.* : anima sequitur vices corporis quoad naturam suam seu essentialiter, *nego* ; quoad exercitium potentiarum suarum seu per accidens, *subd.* : in iis operationibus, quæ ad partem sensitivam referuntur, *conc.* : ita, deficiente oculo, deficit sensatio visus : — in iis quæ referuntur ad partem rationalem, *nego* ; sæpe enim, ut constat, labentibus annis et corpore debilitato, scientia et virtus augentur [1].

Unde cum egregio philosopho concludere fas est : « Au fond, le matérialisme n'est pas plus redoutable chez M. Büchner que chez Cabanis et que chez Lamettrie, ni que chez Hobbes, ni que chez Epicure... sa vraie place est dans la sophistique : il y restera [2]. »

173. Confirmetur *auctoritate* tota doctrina de anima.

Non parvi refert theses nostras comprobare auctoritatis argumento. Non desunt enim materialistæ, qui contendunt doctrinam immaterialitatis animæ esse recentem et a Cartesio primo edoctam. Nam, si ipsis fides, ante Cartesium, vix unus fuit apud philosophos, qui simplicitatem animæ cognoverit. Sed contrarium demonstratur :

A. — *Ex auctoritate generis humani.* Nam, etsi genus humanum non habuerit ideas explicitas ac proprie philosophicas de natura animæ, certum est homines omnium temporum et omnium gentium tum excultos, tum sylvestres, firmiter tenuisse nobis inesse spiritum, a materia distinctum, quo vivimus, sentimus, cogitamus, et qui, dissoluto corpore, futurus est immortalis : « Le sens commun croit à l'esprit [3]. »

Constat ex *idiomatibus* populorum ; nam apud omnes, voces « anima, spiritus », ut testatur ipse d'Holbach, designant principium operandi a quo procedunt actus sensationis, cogitationis et volitionis : dum e contra voces « materia et corpus », aliquid passivum et extensum significant.

Constat ex *historia universali* ; nempe, dogma immortalitatis animæ fuit receptum apud Hebræos, Ægyptios, Persas, Indos, Sinenses, Græcos, Romanos, Scythas, Germanos, Gallos, aliosque veteres et recentes populos : ita ut Bergier argute scripserit : « Il aurait été plus court de citer une nation qui eût professé une croyance contraire ; jusqu'à présent, l'on n'en a connu aucune. »

Constat ex *erroribus paganorum* : enimvero, talis fuit populorum fides immaterialitati animæ, illiusque a corpore distinctioni, ut non pauci in errores materialismo prorsus oppositos lapsi fuerint ; ex. g., pagani plerique spiritum seu quoddam genium

1. *Contra Gentil.*, L. II, c. 79. — 2. **Am. de Margerie**, *Philos. contemp.*, p. 226. — 3. **Bergson**, *Matière et mémoire*, p. 67.

esse motus principium, etiam in plantis et sideribus, autumarunt ; item, Ægyptii, Gallique putaverunt animam esse divinitatis emanationem vel particulam.

B. — *Ex auctoritate philosophorum* [1]. — Illustrissimos et quamplurimos tum apud veteres, tum apud recentes philosophos, immaterialitatem animæ palam esse professos, indubium est iis omnibus, qui philosophiæ historiæ studuerunt.

Imprimis apud *veteres*, illud dogma magnificant inter alios Pythagoras, Plato, Aristoteles, Plutarchus, Xenocrates, Cicero, Longinus, Plotinus, et plerique sive Platonis, sive Aristotelis discipuli. Quorum nonnulla testimonia referre juvabit. — Plato dixit : « Animadverte, o Libes, ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem se habenti, animum esse simillimum » (*Phædo*). — Aristoteles asserit animam rationalem (νοῦς) esse a corpore separabilem (χωριστὸς) et immortalem [2] — Tullius vero dogma immaterialitatis animæ, ut omnino evidens, his verbis profitetur : « In animi cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex [3]. »

Ævo *recenti*, fatentibus ipsis materialismi fautoribus, philosophi fere omnes animæ spiritualitatem professi sunt. Idem sane dicendum est de scholasticis Ævi-Medii, et futilis est assertio quorumdam materialistarum, juxta quos simplicitas animæ penitus ignota fuit ante Cartesium. Omnia recentiorum testimonia compendiose contrahit Bossuetius, dicens : « L'âme est une chose faite à l'image et à la ressemblance de Dieu ; c'est là sa nature, c'est là sa substance...Ce n'est ni un souffle, ni une vapeur, ni un feu subtil et continuellement mouvant. Ni l'air, ni le vent, ni la flamme, quelque déliée qu'on l'imagine, ne portent l'empreinte de Dieu. L'âme n'est point composée ; elle n'a ni étendue, ni figure ; car Dieu, dont elle est l'image, et à qui elle doit être éternellement unie, n'en a point non plus. Qui verrait une âme croirait en quelque sorte voir Dieu ; comme on voit en quelque sorte un second soleil dans un beau cristal où il entre pour ainsi dire avec ses rayons [4]. »

C. — Hæc humana auctoritas S. Scripturæ textibus, doctrina SS. Patrum, qui suam auctoritatem etiam humanam habent, sed et decretis Conciliorum omni ex parte roboratur, ut videsis in Theologia.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONJUNCTO [5].

Homo animæ et corporis mixtura quædam est et commer-

1. Cf. **Plutarchus**, *De placitis philos.*, L. IV, c. II et III ; — **Tullius**, *Tuscul.*, L. I, c. 10. — 2. *De Anima*, L. III, c. v ; — cf. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 489. — 3. **Tullius**, *Tuscul.*, L. I, n. 27. — 4. *Lettres de piété*, XXV. — 5. **Liberatore**, *Le Composé humain* ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 269-274 ; — *Dict. de Théol. cath.*, art. *Forme du Corps humain*.

cium. Unde duplex articulus : — I. De *Modo Unionis* inter animam et corpus ; — II. De *Consectariis* unionis seu de commercio inter animam et corpus.

ARTICULUS I.

De modo Unionis animam inter et corpus.

Hujus quæstionis *statum, historiam, solutionem, confirmationem* et *corollaria* afferemus. Quinque igitur sint paragraphi.

§ I. *Statu quæstionis.*

174. Quid et quotuplex sit *unio* ?

A. — Unio in genere *est compositio plurium in aliquod unum.* Est — 1º *compositio*, non quidem active sumpta, quatenus quædam est agentis actio rebus uniendis tribuens unionem, sed passive sumpta, ut effectus hujus actionis in rebus unitis. — 2º Est *plurium* compositio : nam unio plura requirit elementa seu res uniendas, quæ sunt quasi materia seu *extrema* unionis. — 3º Est compositio *in aliquod unum* : quod est finis et *forma* hujusce compositionis, et ex quo suum nomen, suasque diversas species, unio mutuatur.

B. — Hic veniunt tres *species unionis* inter substantias :

1º Generatim unio est *realis* vel *idealis.* Prior est compositio plurium in aliquam physicam unitatem : v. g., membrorum in unum corpus. Posterior est compositio plurium in unum et eumdem conceptum sive generis, v. g., animalia ; sive speciei, v. g., discipuli in schola (Ontol., n. 45).

Jamvero unio substantiarum realis, ratione termini in quo extrema uniuntur, multiplex est :

2º Est *accidentalis* vel *substantialis.* Prior est compositio duarum substantiarum completarum in unum commune accidens, v. g., duo corpora per mutuam actionem et passionem in eodem motu uniuntur. Posterior est compositio duarum substantiarum incompletarum in unum aliquod substantiale, v. g., materiæ et formæ in unum aliquod corpus.

3º Hæc autem unio substantialis est per se *naturalis* et in natura rationali, *personalis.* — *Naturalis*, quia compositio duarum substantiarum quæ per se sunt incompletæ, conspirant

in unicum principium activitatis quod erit *natura*, v. g., humana. — *Personalis*, quia sic unitæ duæ substantiæ conspirant etiam, salvo miraculo, in unicam subsistentiam unius naturæ completæ, et ideo, si natura est rationalis, in unam personam.

175. En *sensus quæstionis* de unione animæ et corporis.

Philosophi tria communiter admittunt cum scholasticis :

1° Inter operationes animæ et motus corporis *harmonia* mirabilis existit : quoties volumus ambulare, extendere brachia, vel loqui, de facto ambulamus, extendimus brachia, vel loquimur, saltem in statu normali.

2° Præterea, quædam viget differentia inter *corpus*, *animam* et *hominem* ; nemo enim corpus ab anima separatum seu cadaver, aut animam sine corpore appellat hominem.

3° Denique, absolvitur homo unione *quadam* animæ et corporis ; unde apparet veritas hujus principii : Hæc esse debet unio animæ et corporis, ut in unoquoque nostrum non duplex aut multiplex, sed unus efficiatur agens. — In hoc consentiunt omnes, sive philosophi, sive scientiarum naturalium cultores, docti aut indocti, exculti et rudiores.

Quænam sit autem natura unionis hujusmodi : utrum realis aut idealis tantum, utrum accidentalis vel substantialis... denique quænam sit explicatio harmoniæ inter corpus et animam : talis est cardo difficultatis, quæ olim et nunc etiam acerrime controvertitur inter auctores.

§ II. *Historia quæstionis.*

176. *Variæ sententiæ* de unione animæ et corporis.

A. — *Primum* nobis occurrit commentum eorum, qui hominis essentiam in anima sola reponunt, et hoc est systema *inhabitationis* animæ in corpore humano. Videlicet :

1° Plato, duce Pythagora, docuit animam rationalem non esse corpori unitam, nisi tanquam motorem mobili, musicum lyræ, nautam navi, eamque conjunctionem esse naturalem, sed accidentalem, utpote punitionis causa, vel ob ipsius animæ desiderium effectam [1].

2° Inter recentiores, Cartesius, nomen unionis substantialis

1. *Alcibiades* ; — cf. S. Augustinus, *De Civit. Dei*, L. XIII, c. xvii, n. 12.

retinens, ipsam unionem non semel negavit ; nam, juxta eum, anima essentialiter cogitat ; sed quod in nobis cogitat hominem constituit ; ergo anima eaque sola dicitur homo [1].

3° Eamdem sententiam saltem implicite tuiti sunt philosophi, qui personam humanam definierunt « complexionem phænomenorum internorum (Locke) », « conscientiam operationum nostrarum (Kant) », vel « naturam sui consciam (Rosmini) » ; omnes enim τὸ ἐγώ seu personalitatem humanam, in anima sola reponunt [2].

B. — *Jam*, dualismo inter corpus et animam supposito, fingendus erat unionis aliquis modus ad explicandam consensionem inter actus animæ motusque corporis existentem [3]. Unde tria systemata e Cartesii figmento statim nata sunt :

1um *est occasionalismus.* — Juxta Malebranchium aliosque nonnullos, corpus et anima, licet intime uniantur, non possunt in se invicem agere ; sed operationes animæ sunt duntaxat occasiones, quibus datis, Deus producit in corpore effectus consentaneos : et in hoc « se mirabilem ostendit [4] » (Ontol., n. 162). Propterea non adest nisi unio *idealis* inter animam et corpus, quia nullus est realis influxus unius in alterum. — Hinc *occasionalismus* dicitur etiam *assistentia*, eo quod Deus præsto sit animæ et corpori ut in illis motus et actiones perficiat.

2um *est harmonia præstabilita.* — Leibnitzius occasionalistas subsannat, dicens : « Miratus sum frequenter ab hominibus tam eruditis sententias tam parum philosophicas, tamque primis rationis effatis contrarias probari potuisse [5] » ; denique suam harmoniam proponit. Admittit quidem, ut Malebranchius, animam et corpus esse a se invicem prorsus independentes ; sed expresse negat ea destitui omni actione, vel motu proprio saltem immanenti. E contra, seriem operationum seu phænomenorum vi nativa producunt ; eaque phænomena, ex dispositione Dei creantis, harmonice conspirant « comme deux horloges, merveilleusement accordées » : ita quidquid jubet anima, corpus eodem instanti perficit ; sic corpus læsionem et anima dolorem eadem hora experiri debent.

3um *est influxus physicus* seu systema *causalitatis.* — Sunt

1. *Princip. Philosoph.*, I, 8 et 9 ; — Cf. *Médit.*, VI ; — Cf. *Revue de Philos.*, juill. 1904, p. 115. — 2. Cf. **Liberatore**, *Comp. hum.*, c. I, a. 2. — 3. **Liberatore**, *Ibid.*, préface ; — **Sanseverino**, *Anthrop.*, I, n. 7. — 4. Cf. **Malebranche**, *La Recherche de la Vérité*, L. VI, 2e p., c. 3. — 5. **Leibnitz**, *Théodicée*, II, 340.

nonnulli (Newton, Clarke, Euler, Lockiani plerique, et alii saltem in Anglia), qui propugnarunt mutuam actionem animæ in motus corporis, et corporis in operationes animæ. Sic, v. g., impressis in sensu motionibus et nervorum ope ad cerebrum usque propagatis, mens ad inquirendas rerum notiones determinatur ; et vicissim, suborta in animo voluntate membrum commovendi, nervi continuo impelluntur, motusque in eo membro consequuntur [1].

C. — His *tandem* explicationibus non satisfacientibus, triplex aliud systema, decursu temporum, excogitatum fuit ad unionem animæ et corporis facilius explicandam :

1° *Systema mediatoris plastici.* — Cudworth et Leclerc mediatorem plasticum seu substantiam intermediam qua corpus in animam et anima in corpus actiones et motus exercent, nobis inesse contenderunt. Ea substantia est incorporea, sed omni sensibilitate et intellectu destituta.

2° Systema *commixtionis virium.* — Sunt enim atomistæ recentes, v. g., Tongiorgi, necnon dynamistæ, v. g., Palmieri, qui suum systema componere volunt cum unione substantiali corporis et animæ. Hinc, juxta eos, corpus et anima vires sibi proprias habent et sunt ambo completæ substantiæ ; sed « anima corpus pervadens vim suam vi corporis propriæ associat admiscetque » et per hoc « substantialis animæ cum corpore conjunctio constitui *videtur* » : sic enim « vires compositi a viribus utriusque componentis differunt [2] ». Ast revera constituunt unicam naturam seu fontem activitatis, non vero unicam substantiam.

3° Denique systema *sensus fundamentalis*, auctore Rosmini, qui præcedentibus systematibus non contentus, sibi novam viam ultimo aperuit. Juxta eum, anima est simul sensitiva et intellectiva. — Quatenus sensitiva, sentit suum corpus sensu qui vocatur fundamentalis seu animalis, et qui est essentialis animæ ; sentire autem corpus suum est corpori sese unire. — Quatenus intellectiva, percipit in idea entis illum sensum sibi quidem essentialem, sicque anima ipsa rationalis, mediante illo sensu, cum corpore sortitur unionem. Hæc igitur unio duplici ratione absolvitur, nempe fit per viam sensus animalis, et per hujus sensus immanentem et idealem perceptionem [3].

177. En de unione animæ et corporis *scholastica* doctrina.

Tanta systematum multitudo, quibus philosophi a scholasticorum tramite sese exsulaverunt, necessitatem recurrendi ad

1. **Mahe**, *Psych.*, c. II, 450. — 2. **Tongiorgi**, *Psychol.*, n. 167-168. — 3. Cf. **Liberatore**, *Comp. hum.*, n. 322 et seq. ; — Cf. *Théories contemporaines*, in *Revue Néo-scolastique*, nov. 1906.

veterum doctrinam ostendere videtur. Porro, juxta scholasticos, homo est duplici substantiæ *reale compositum* ; — absolvitur unione *naturali* et *personali* animæ et corporis, — ita ut anima sit vere, per se, immediate et substantialiter corporis *forma*. Seu fusius :

1° Anima sola non constituit hominem, a fortioti corpus solum dici nequit homo completus ; ergo homo est *quædam* corporis et animæ *compositio*[1].

2° Hæc autem unio non est quid mere accidentale, sed est unio *substantialis*, et ideo naturalis et personalis, quia ex ea unione constituitur una natura, seu una substantia completa et composita (Ontol., n. 102), necnon una persona[2].

3° Hæc unio substantialis sic efficitur : duplex est, ex dictis in Cosmologia (n. 49), principium in omni composito naturali, nempe materia ex qua dimanant extensio et passivitas, forma autem ex qua defluit activitas. Porro corpus humanum habetur ut substantia passiva, materialis et perfectibilis ; anima vero est substantia activa, formans et perficiens. Ergo unio corporis et animæ erit simplex applicatio scholasticæ *theoriæ de materia et forma substantiali.*

Ideo anima, eaque rationalis, est vere, per se, immediate et substantialiter corporis forma. — *a*) Est *vere*, non metaphorice tantum, sc. non est in corpore ad modum inhabitationis, occasionis et harmoniæ ; — *b*) *per se*, non per accidens, id est « secundum essentiam, non tamen secundum operationem[3] », et ideo non per influxum physicum, nec per vires accidentales, nec per sensum quamtumvis fundamentalem ; — *c*) *immediate*, nullo sc. habito unionis vinculo, qualis esset mediator plasticus, vel principium vitale ; — *d*) *substantialiter*, ut evenit inter duo principia quorum unum assumens alterum, sese ei intime et immediate communicat, et efficit cum illo unam substantiam completam ; — *e*) corporis *forma* ; sc. illud informat, non per modum causæ moventis extrinsecæ, sed tanquam principium intrinsecum, eique dat esse substantiale, necnon esse corpus humanum, a quolibet alio specifice distinctum.

Hac unione perfecta, corpus et anima proprietates suas inconfusas, licet arcte unitas, servant, et quidquid uni vel alteri

1. S. Augustinus, *De Civit. Dei*, XIX. — 2. *Sum. Theol.*, p. III, q. 2, a. 1, ad 2. — 3. *Quæst. disp.*, *De Anima*, a. 7, ad 11.

competit, de ipso composito asseritur ; ex. g., dicimus hominem habere pedes et manus, intellectum et voluntatem (n. 185).

§ III. *Solutio quæstionis.*

178. Quæ sit *vera sententia* de unione animæ et corporis ?

Doctrina scholastica, eaque sola propugnari potest. Etenim

THESIS I

Unio animæ et corporis non est tantum accidentalis.

Probatur I. — *Directe.* Rejiciendus est modus unionis qui non solum ab experientia reprobatur, sed ipsam unionem non explicat et hominem proscindit. Atqui talis est unio accidentalis aut a fortiori idealis :

1° Ab *experientia reprobatur* ; quippe conscientia nos docet unicum esse subjectum quod in nobis operatur, et illud non esse solam animam, neque solum corpus, sed ex utroque simul conflari[1]. — Quod confirmatur *sensu communi* et *modo loquendi* omnium ; v. g., idem subjectum dicit : ambulo, intelligo, habeo brachia, voluntatem, et alia similia.

2° *Non explicat unionem.* Etenim de facto viget inter corpus et animam unio tam intima, ut — *a*) ante unionem neutrum vere existat nec corpus est humanum, nec anima præexistat (n. 215) ; — *b*) in unione sit operationum influxus universalis et continuus inter utrumque ; — *c*) post unionem, corpus dissolvatur et esse desinat. Porro res accidentaliter unitæ, v. g., motor et mobile, manus et calamus, non talem subeunt *interdependentiam* ; a fortiori res idealiter unitæ.

3° *Proscindit hominem,* — tum in sua *substantia* : nam res accidentaliter unitæ diversam habent substantiam : porro substantia hominis, sicut entis cujuscumque, est vere una ; — tum in sua *natura,* nam, unione substantiali rejecta, unio accidentalis, qualiscumque sit, non impedit quin duæ sint in homine substantiæ *completæ,* imo eas supponit : ergo in eo non erit unicus fons activitatis ; — tum denique in sua *personalitate,* quæ in anima solummodo reponitur ; corpus enim substantialiter sejunctum ab anima non potest cum illa concurrere ad unam eamdemque personalitatem constituendam.

Hæc autem omnia iis, quæ infra statuentur, contradicit.

1. **Liberatore,** *Comp. hum.*, c. I, a. 1 ; — c. VII, p. 311.

II. — *Indirecte.* Aliunde, adversariorum sententiæ sunt hypotheses, satis ingeniosæ quidem, sed omnino gratuitæ.

1. Plato nititur in præexistentia animarum, Cartesius autem in hoc supposito quod anima essentialiter cogitat : quæ duo non solum falsa sunt (n. 215, 164), sed unitatem personalitatis directe omnino subvertunt.

2. Personalitas est aliquid substantiale : ergo persona seu τὸ ἐγώ non est actus, ut volunt Lockius, Kantius, et Rosmini, quicumque sit ille actus, sive cogitatio, sive conscientia, sive sensus (Ontol., n. 109).

3. Malebranchius et Leibnitzius contendunt substantias actione mutua in se invicem esse destitutas : porro causalitatem rerum in invicem alibi ostendimus (Ontol., n. 162-4).

4. *Præterea* de mediatore plastico non est disserendi locus : nam, ut patet, illa substantia nullo modo probatur, imo contradictoria est, et, etiamsi possibilis esset, unionem redderet mediatam.

5. *Denique* sive influxus, sive commixtio virium non est nisi unio accidentium, nec facit substantialem unionem ; ergo, in utraque hypothesi, unio tantum accidentalis corpus inter et animam minime admitti potest.

THESIS III

179. *Unio animæ et corporis est naturalis et personalis.*

Prob. A. — *Est naturalis* seu ex ea efficitur unica natura, i. e. unicum principium radicale operandi et patiendi. Nam Ibi ex duabus substantiis efficitur una natura, ubi una saltem sine altera nullam operationem habet propriam. Porro corpus humanum nullum actum elicere potest sine anima, siquidem operationes vegetativæ, sensitivæ, appetitivæ et locomotivæ, sunt utrique communes (n. 34, 46, 73, 80). Ergo ex corpore et anima efficitur una natura seu unicus fons primarius omnium hominis actionum. — Confirmatur *minor*, nam, ut fatentur adversarii, perceptio sensitiva, est actus simplex, non duplex ; ergo non procedit a duabus, sed ab una natura (n. 158).

Unde « e corpore et anima dicitur esse homo, sicut ex duabus rebus quædam tertia res constituta, quæ neutra illarum est ; homo enim nec est anima, neque corpus[1] ».

B. — *Est personalis,* ex ea sc. efficitur, unica persona, i. e. unicum centrum attributionis et unicum subjectum operandi.

1. **S. Thomas,** *De ente et de essentia,* c. III.

1º Ibi adest una persona, ubi datur unicum centrum cui tribuuntur omnes entis operationes. Porro, ut constat tum intima experientia, tum modo loquendi omnium, uni et eidem subjecto multa tribuuntur, quæ corpori et animæ conveniunt, ut *velle, ambulare, manducare, intelligere.* Ergo τὸ ἐγώ seu *persona* constat ex unione mentis et corporis.

2º Ibi adest una persona, ubi non solum principium primum *quo* agimus, sed etiam subjectum *quod* operatur in nobis unum est. Porro, teste conscientia, idem est *ego* qui ambulat et intelligit, patitur et appetit. Ergo « persona hominis mixtura est animæ et corporis [1] ».

Ergo tandem « ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturæ et personæ [2] ».

THESIS III

180. *Anima intellectiva est forma substantialis corporis humani.*

Prob. I. — *Indirecte.* 1º Ex dictis in Cosmologia (n. 49), omne compositum, in rebus physicis, duplici principio primigenio coalescit, materia formaque substantiali : ergo pariter compositum humanum duplici principio, corpore tanquam materia et anima velut forma substantiali, conflatur.

2º Ex dictis (n. 178), omnia systemata Platonis, Cartesii, Malebranchii, Leibnitzii, Eulerii, Cudworthii, Tongiorgii et Rosminii, ad explicandam corporis et animæ unionem, sunt insufficientia. Eapropter, his rejectis, superest doctrina scholastica de informatione corporis ab anima.

3º Ex dictis (n. 179), corpus et anima constituunt unicum principium primum *quo* operamus et *quod* operatur in nobis ; atqui duæ substantiæ in unicum subsistendi et operandi principium convenire non possunt, nisi una, intrinsecus cum altera communicando, ab ea recipiat suum subsistendi et operandi principium ; ergo vel anima a corpore, vel corpus ab anima recipere debet suum subsistere et operari ; porro anima, quum sit spiritualis et simplex, recipere nequit a corpore : ergo anima non informatur a corpore, sed corpus ab anima.

II. — *Directe.* A. — *Primario* enim forma substantialis tria præstat materiæ quam informat ; nempe unum esse cum

1. S. Augustinus, *Epist. ad Volus.*, c. III. — 2. *Sum. Theol.*, p. III, q. 2, a. 1, ad 2 ; — q. 2, a. 5, ad 1.

ipsa, — et ideo subsistere, — sed et specificum esse[1]. Porro anima hæc tria præstat corpori :

1° Dat corporis *unum esse* cum ipsa : — siquidem anima non communicat esse per modum causæ efficientis, sed formalis et intrinsecæ : alioquin duplex esset esse et suppositum in nobis, et, recepta existentia, corpus perseveraret in esse, etiam absente anima.

2° Dat ei *subsistere* : — morte enim intercedente, corpus humanum, ut sic, non subsistit, sed, corrupta ejus substantia, in eo multiplicantur et diversificantur novæ substantiæ, donec ipsum in pulverem paulatim revertatur.

3° Dat *specificum esse* : — nam ante unionem, corpus nihil habet humanum, et, sublata unione, fit cadaver ; animæ vero si conjungatur, non solum a materia inorganica, sed etiam a planta et bellua specifice distinguitur.

181. B. — *Secundario* autem et consequenter, forma substantialis est principium totius activitatis in ente. Atqui anima est in corpore principium activitatis sensitivæ, vegetativæ, et physico-chimicæ : ergo est forma corporis humani.

Constat *major*, — tum quia operatio sequitur esse, et ideo agod dat esse, dare debet etiam operari ; — tum quia nemo quit nisi per id quod est actu seu per suam formam substantialem ; — tum denique quia forma, quum simplicitate gaudeat, non potest per emanationem et generationem, aliquam activitatem intrinsecam materiæ largiri. Ergo necesse est ut sit ejus forma substantialis (Cf. Cosmol., n. 53-54).

Minor tres habet partes quæ sic etiam probantur :

1° Quoad *vitam sensitivam*, jam probatum est contra materialismum animam esse ejus principium, et speciatim corpus solum non esse subjectum sensationis, appetitus sensitivi et motus localis (n. 46, 71, 80), sed corpus animatum.

2° Ad vitam *vegetativam* quod attinet, juvat ea quæ jam dicta sunt (n. 34), vel infra dicentur de vitalismo sic contrahere : corpus humanum vegetat vel a sola materia, vel ab organismo, vel a viribus physicis, vel tandem ab anima. Atqui non 1um, quia materia non organisatur a seipsa, ut patet ; non 2um, quia materia, quantumvis aptissime disposita, dici

1. **Liberatore**, *Comp. hum.*, c. VII, a. 4, n. 301 ; — **Sanseverino**, *Anthrop* n. 19 ; — Cf. *Cont. Gent.*, L. II, c. 68.

nequit substantia vivens, aliter enim omne corpus organisatum esset vivens ; non 3um, quia vita vegetativa transcendit vires physico-chimicas : est enim « semovenza » i. e. se ipsam movens. Ergo corpus humanum habet etiam ut actu vegetet ab alio principio, sc. ab anima [1].

3° Tandem de activitate *physico-chimica*, tria asseruntur :

a) Anima *potest esse* illius principium, quia ratione perfectionis suæ, continet eminenter vires formarum inferiorum, fere eodem modo ac numerus superior continet inferiores.

b) *Debet esse* : secus enim corpus suam activitatem ab altero principio substantiali reciperet ; porro duplex principium substantiale nequit esse in eodem ente, quin sit duplex natura.

c) *De facto est*..., quia scientifice constat operationes chimicas in viventibus et non viventibus specifice distingui, saltem suo processu, et ideo in prioribus ab anima procedere [2].

Ergo anima tribuit homini omnem gradum perfectionis essentialem, insuper communicat corpori actum essendi quo ipsa est : ergo est forma substantialis corporis humani [3].

Quænam vero sub nomine corporis humani veniant, statim est dicendum, ut magis pateat thesis nostræ sensus.

182. Quænam sint partes corporis humani *animatæ* ?

Diximus (n. 181) animam esse formam corporis : ergo

I. — Non *fluidorum*, quæ in organis sunt et moventur ante eorum assimilationem et post desassimilationem, quæ ideo per corpus transeunt sive ad corporis nutritionem, sive ad ejus purgationem : hæc enim instrumentaliter tantum ab anima reguntur, quæ eorumdem est motor tantum, non forma. — Bene vero et imprimis *organorum*, sicuti sunt carnes et nervi, item ossa et alia quæ vitam et motum habent et pertinent ad corporis humani integritatem.

II. — De *sanguine* vero speciatim quæritur an ipse vita *humana* præditus sit annon. Porro *vita* præditum esse tenent hodie omnes Physiologi. Juxta eos sanguis globulis rubris, globulis albis et liquido plasmate constituitur. Porro *globuli*, ad modum cellulæ organicæ, vivere videntur : eodem enim modo nascuntur, nutriuntur, evolvuntur et multiplicantur. Utrum vero vita *humana* præditus sit, triplex est opinio philosophica.

A. — *Affirmativam* tenent plurimi justa quos sanguis est organum humanum vivens, nec ideo mirum cur ad integritatem cor-

1. *Quæst. disp., de Anima*, a. 1. — 2. **Farges**, *La Vie*, p. 47-56. — 3. **Thesis Thomistica XVI**a — *Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 13.

poris pertineat, resurgendus quidem in corporibus gloriosis... Ita plerique Thomistæ cum Cajetano, Complutenses et plures alii.

B. — *Negativam* tenuerunt post S. Bonaventuram Scotistæ et cum Suarezio scholastici *recentiores* [1]. — Ratio palmaris est quod sanguis humanus non est corpus, sed alimentum et, alimentorum instar, nondum in substantiam aliti conversus est : ergo sanguis ante assimilationem, sicut et alii humores post desassimilationem, vitæ corporeæ non est particeps.

C. — *Distinctivam* aliqui habent sententiam : juxta eos, verisimile est sanguinem, ante assimilationem suam, non esse præditum vita humana ; sed vita quadam vegetativa frui [2].

Jamvero D. Thomas [3], docet sanguinem humanum « ad veritatem et integritatem humanæ naturæ pertinere » : si enim sanguis non esset animatus sed purum alimentum, ab unitate esse individualis sejungi deberet — et ideo nec fuisset in Christo secundum hypostasim unitus Verbo, nec in corpore glorioso restaurandus, nec cum eo, in transsubstantiatione eucharistica, « naturalem concomitantiam » haberet caro Christi.

III. — Utrum *ungues*, *capilli* et alia quæ in corpore nostro motum et vitam habent, ab anima informentur, controvertitur adhuc et fere eadem est solutio.

§ IV. *Confirmatio solutionis.*

Duplici ex parte confirmatur doctrina de composito humano, sc., *explicatione* difficultatum et *auctoritate*.

183. Quomodo res spiritualis *possit* esse forma corporis [4] ?

Respondeo : *propter perfectionem suam*, tamen *cum imperfectione mixtam*. — Nam, vi *prioris*, anima præter spiritualitatem continet formarum inferiorum perfectiones, eodem ferme modo ac numerus superior continet inferiorem, ut jam diximus. — Vi *posterioris*, est substantia, aliquatenus in ordine suo incompleta, et per consequens cum altera uniri indigens.

Ex hoc principio habentur variæ distinctiones ad solvendas adversariorum objectiones.

Obj. I[a]. — Esse corporis esset esse animæ : quod est falsum.

Resp. *Dist.* Anima fit corpus et vicissim, *nego* ; ex utroque fit ens novum, cujus *esse* corpori communicatur ab anima.

Inst. — Principia essentialiter opposita, ut corpus et anima, in unum compositum convenire non valent : ergo.

Resp. *Dist.* : id non valent per conversionem unius in alte-

1. **Suarez**, *de Eucharistia*, Disp. 51, sect. 3. — 2. Cf. **Farges**, *La Vie*, p. 24, 29 et suiv. — 3. **S. Thomas**, *Quodl.* V, a. 5 ; *Sum. Theol.*, p. 3. q. 54, a. 2, ad 3 ; — Cf. **Salmanticenses**, *de Incarn.*, Disp. X, dub. I et II, n. 20-30 ; — **Billot**, *de Eucharistia*, ed. 4[a], p. 468. — 4. **Lahousse**, *Psychol.*, n. 578, 611 ; — **Liberatore**, *Comp. hum.*, c. X, a. I, II, IV, V.

rum, *conc.* ; per mutuam unionem, *nego.* Revera, anima converti non potest in corpus, neque corpus in animam : sed e duobus elementis, quorum unum est alterius complementum, eo quod unum est passivum, alterum vero activum, fieri unum compositum, non tantum concipi potest, sed aliter concipi nequit.

Obj. IIa. — Anima cum corpore fit unum et pars corporis.

Resp. *Dist.* : est pars informans, *conc.*, integrans, *nego.* — Unde est definitive præsens in toto corpore, *conc.* ; in aliqua corporis parte locata, *nego.*

Obj. IIIa. — Anima ab esse corporis sejungitur vel non : si prius, ex utroque non fit unum ens : si posterius, est corporea.

Resp. *Dist.*, non sejungitur, quatenus anima est principium sentiendi, vegetandi et corporeitatis, *conc.* ; quatenus est principium volendi et intelligendi, *nego.*

Obj. IVa. — Intellectiones et volitiones non sunt compositi, sed animæ : ergo anima, non compositum, est homo.

Resp. *Dist.*, non sunt compositi ut principium quo, *conc.* ; ut principium quod, *nego* ; nam anima habet potentias sibi proprias, quæ non communicant cum corpore.

Obj. Va. — Anima est spiritualis ; sed ens spirituale forma corporis esse nequit : ergo anima non est forma corporis.

Resp. *Dist. min.*, purus spiritus id non valet, *conc.* ; spiritus non purus, *nego.* Porro talis est anima, quæ non informat corpus ut est spiritus, sed quatenus a spiritualitate deficiens et potentiis organicis prædita [1].

Obj. VIa. — Forma corporis habet potentias corpori alligatas ; porro non sic anima ; ergo non est forma corporis.

Resp. *Dist. maj.* : forma corporis non subsistens, *conc.* ; subsistens, *subdist.*, quasdam habet corpori alligatas, *conc.*, alias autem non habet a corpore independentes, adhuc *subdist.*, extrinsecus, *conc.*, intrinsecus, *nego.* Porro talis est anima.

184. Consonat theoria de composito humano cum *theologia*.

A. — En scilicet *Ecclesiæ documenta.* Sic loquitur Concilium Viennense : « Doctrinam omnem seu propositionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis seu intellectivæ, *vere* ac *per se* humani corporis non sit *forma*, velut erroneam ac veritati catholicæ *fidei inimicam*, sacro approbante Concilio, reprobamus, definientes, ut cunctis nota sit

1. **Liberatore**, *Comp. hum.*, c. x, a. iv, p. 504.

fidei sincera veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit *forma* corporis humani *per se* et *essentialiter*, tanquam hæreticus sit censendus [1]. »

Idem docet Concilium Lateranense, sub Leone X [2]. — Additque Pius IX : « Noscimus iisdem libris (Guntheri) lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvitur, ut anima eaque rationalis sit *vere*, per se, atque *immediate* corporis forma [3]. »

B. — *In iis documentis expresse contineri tria* puncta doctrinæ scholasticæ, tresque præfatas theses, nemo non videt [4].

§ V. *Corollarium solutionis.*

185. Quid sint *natura* humana, *persona* humana et *homo* ?

Ex dictis « corpus et anima non sunt duæ substantiæ actu existentes, sed ex eis duobus fit una substantia actu existens [5] », quæ *compositum humanum* seu *homo* dicitur. Porro :

A. — Natura humana est ipsum *compositum humanum*, *quatenus est* principium *actionum aut passionum* [6] (Ontol., n. 107).

1° Est *principium* intrinsecum et permanens, sc. *a quo* procedunt actiones et passiones nostræ. Attamen corpus et anima non eodem modo se habent ad principium hujusmodi constituendum : anima quidem est *radix* et fons omnium vitæ functionum, ut alibi dictum est (n. 181), dum corpus est *instrumentum*, animæ substantialiter unitum [7].

2° Est principium *actionum* et *passionum* ; id est, agit per modum causæ efficientis, vel aliquid recipit ab agente extrinseco ; v. g., homo vi suæ naturæ vegetat, sentit, ambulat, loquitur, edocetur, aliaque similia perficit vel accipit.

B. — Persona humana definiri potest : *compositum humanum, quatenus est* subjectum *operationum sibi propriarum.*

Persona — 1° est *compositum humanum*, quatenus est *subjectum*, et sic distingui debet a natura, distinctione saltem modali. — 2° est subjectum *operationum sibi propriarum* ; quæ sc. ipsi tribuuntur, secundum adagium : actiones sunt suppositorum. Sic dicimus : *ego* ambulo, *ego* patior, *ego* sentio.

Hinc notio personalitatis humanæ quatuor importat : — substantiam completam, — rationalem, — subjectum capax

1. Cf. **Denzinger**, n. 481 ; **Zigliara**, *De Mente Concilii Viennensis.*— 2. **Zigliara**, *Ibid.*, n. 621. — 3. *Epist. ad Arch. Colon.* 1857, ap. **Denzinger**, n. 1655. — 4. **Liberatore**, *Comp. hum.*, c. VII, a. 6, n. 313 et 314. — 5. *Contra Gent.*, L. II, c. 69. — 6. S. **Thomas**, *De ente et de essentia*, c. III. — 7. *Sum. Theol.*, p. III, q. 2, a. 6, ad 4.

suos actus exerendi, — et quamdam imputabilitatem in agendo. Quocirca, « persona significat id quod est perfectissimum in tota natura, sc. *subsistens* in rationali natura [1] ».

C. — Homo a veteribus sapientibus, ait S. Augustinus, ita logice definitus est : « *Homo est animal rationale* [2]. »

Juxta Platonem, homo est « animus qui corpore, imperando, utitur [3] ». Eodem sensu scripsit D. de Bonald : « L'homme est une intelligence servie par des organes. » Alii alias definitiones tradiderunt ; quæ pariter unionem substantialem mentis et corporis non exhibent...

Quapropter definitio veterum cæteris antecellit. — Vox *animal* designat genus, et *rationale* differentiam specificam. Homo est animal : ergo constat anima et corpore inter se unitis ita ut anima sit corporis forma substantialis. Homo est rationalis, et sic a quolibet alio animali realiter et specifice differt. « Animal significat id quod habet naturam sensitivam, ait S. Thomas ; rationale vero, quod habet naturam intellectivam ; homo vero, quod habet utrumque [4]. »

Et sic absolvitur homo, de quo scripsit S. Gregorius Magnus : « Omnis creaturæ aliquid habet homo : habet namque homo commune *esse* cum lapidibus, *vivere* cum arboribus, *sentire* cum animalibus, *intelligere* cum angelis [5]. »

ARTICULUS II.

De Commercio animæ et corporis.

Quoniam ex dictis, ea est unio animæ et corporis, ut neutra ex iis duabus substantiis in aliam convertatur, statim quærendum occurrit quodnam sit commercium animæ et corporis : nempe, utrum *una* anima intellectiva sit in corpore, an *eadem* sit in omnibus, *ubinam* sit, et qualem in corpus *influxum* exerceat vel ab eo patiatur. Hæc quatuor, per modum corollarii, ex præcedentibus inferre licet in quadruplici paragrapho : 1us erit *de Unitate* animæ ; 2us *de Identitate* animæ ; 3us *de Sede* animæ in corpore ; 4us *de utriusque Influxu.*

§ I. *De Unitate animæ in corpore.*

En hujus celebris quæstionis *historiam* et *solutionem*.

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 29, a. 3 ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 270. — 2. *De Ordine*, L. II, c. XI. — 3. **Plato**, *Alcib.*, I. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 5, ad 3. — 5. *Homil.* 29, *super Evang.*

I. *Historia quæstionis.*

186. Quot sint *opiniones* de unitate animæ in corpore ?

Jam identitatem animæ vegetativæ et sensitivæ in Cosmologia (n. 101) demonstravimus ; utrum ergo in homine anima rationalis sit etiam vegetativa et sensitiva nunc quæritur.

Triplex afferri potest solutio : vel enim dicetur tres esse animas in homine, vel duas, vel unam tantum. Revera omnes philosophi veteres et recentiores, qui hanc difficultatem solvere tentarunt, ad tres classes reducuntur.

1. Apud *antiquos*, multi contenderunt triplex esse vitæ principium : unum quidem intellectivum, aliud sensitivum, tertiumque vegetativum (Plato, *Resp.*).— Quidam vero duas finxerunt animas, unam rationalem, alteramque sensitivam et vegetativam (Hippocrates), vel unam rationalem et sensitivam alteramque vegetativam. — Plurimi tandem docuerunt animam, eamque rationalem, vi suæ unionis cum corpore esse principium unicum omnis functionis vitæ, etiam vegetativæ (Aristoteles, Stoici, Neoplatonici, etc.).

2. Apud *recentes*, diversæ philosophorum et physiologorum sententiæ referri etiam possunt ad tria systemata, quæ nuncupari solent *Organicismus*, *Vitalismus*, *Animismus*.

Juxta *organicistas*, phænomena vitæ, *saltem vegetativæ*, in homine, non procedunt ex anima rationali, sed :

a) Juxta *multos*, resultant ex aptissima organorum materialium dispositione : « Lorsque le corps, aiunt cum Cartesio, a tous ses organes, disposés à quelques mouvements, il n'a pas besoin de l'âme pour les produire [1] ; » — et hi, licet plures sint spiritualistæ, dicuntur *organicistæ*.

b) Juxta *alios*, procedunt a viribus *organicis*, quales sunt irritabilitas, contractibilitas... quas voce communi vocant « proprietates vitales » : — ita Bichat, Cl. Bernard, et hi sunt fautores *semi-organicismi*.

c) Cui affinis est opinio Scotistarum de *forma corporeitatis*, quam inducunt, præter animam, in hominem velut in omnem viventem, ad explicandum non quidem vitæ phænomena, sed organisationem corporis [2].

Ast formam corporeitatis, sicut organicismum et semi-organicismum in Cosmologia confutavimus (n. 94, 101). Unde lis dirimenda manet inter vitalistas qui *duplex*, et animistas qui *unicum* principium vitale in homine propugnant.

187. En *vitalismi* præcipui fautores et tres formæ [3].

Ex dictis, a maxima antiquitate, sicut et hodie, nonnulli mediam elegerunt viam inter organicismum et animismum.

1. *Traité de l'homme*, t. IV, pag. ult. — 2. Super IV *Sent.*, dist. II, q. 3, sch. 54. — 3. Cf. Facult. medic. Monspessulana, *De principio vitali* ; — Lordat, *Expo-*

1. Quidam *veteres*, post Platonem et Plutarchum, tres finxerunt animas, unam rationalem, aliam irascibilem et tertiam concupiscibilem : primam in cerebro, secundam in hepate, tertiam in corde. Ea sententia propugnata est a Gulielmo de Lamarre et ab Anglis nonnullis [1], a quibus paululum recessit Van Helmont, qui præter animam intellectivam et sensitivam, vires vegetativas seu Archeos admisit.

2. Sæculis *recentioribus*, Baco, Gassendi, Buffon, Ahrens, Jouffroy, Maine de Biran, Ubaghs, Guntherus et Baltzerus, denique facultas Monspessulana, cui præfuit Barthez, et quam nuper illustravit Dr Grasset, duas animas et quasi duplicem hominem — juxta Dr Grasset, duplicem psychismum — in unoquoque nostrum agnoverunt, duplici quidem via :

a) *Imprimis* juxta Guntherum, una anima est intellectiva et immortalis, altera sensitiva et vegetativa et mortalis.

b) Juxta *vero* vitalistas proprie dictos, præter animam sensitivam et rationalem, in homine existit quoddam principium vitale, quo producuntur motus et functiones vitæ vegetativæ. « On doit rapporter les divers mouvements qui s'opèrent dans le corps humain vivant *à deux* principes différents, dont l'action n'est point mécanique et dont la nature est occulte : l'un est l'âme pensante, et l'autre est le principe de la vie » (Barthez).

En argumentum fundamentale : multæ sunt vitæ corporeæ functiones, quæ non pendent ab intellectu et voluntate : igitur tribui debent principio cuidam, ab anima rationali distincto.

188. En *animismi* præcipui fautores et duæ formæ [2].

Plerique philosophi, cum naturalistis non paucis, unum admittunt vitæ principium, sc. animam eamque rationalem.

Imprimis, apud antiquos, Aristoteles, deinde Stoici plurimi ; — Neoplatonici ; — Patres Ecclesiæ præcipui ; — scholastici post S. Anselmum, S. Thomam et Suarezium ; — Stahl, Jourdain, Récamier. Bouillier, cum ipsis Franck, Ravaisson et Tissot olim vitalismi defensoribus ; — alii tandem quamplurimi, inter medicos et naturalistas, docuerunt *unum* hominibus inesse principium vitale.

sition de la doctrine médic. de Barthez ; — **Maine de Biran**, *Essai d'anthropologie* ; — **Ahrens**, *Cours de physiologie* ; — **Th. H. Martin**, *Philosophie spiril. de la nature* ; — **Saisset**, *L'Ame et la Vie*. — 1. **Glisson**, *De substantia energet.* — 2. Cf. Inter SS. Patres, **S. Gregorius Nyss.** *Tract. de format. hominis* ; — **S. Augustinus**, *De Spiritu et Anima* ; — **S. Athanasius**, *Contra Apollin.* ; — **S. Ambrosius**, *Exposit. Evang.* ; — **S. Jo. Chrysostomus**, *Homilia* XIII. — Inter Scholasticos, **S. Thomas**, *De Anima*, *Sum. Theol.*, *post* **Aristotelem**, *De motu*. — Inter recentiores ; **F. Ravaisson**, *La Philosophie en France au XIXe siècle* ; — **Bouillier**, *Du principe vital et de l'âme pensante* — **Jourdain**, *Philosophie de S. Augustin* ; — **Stahl**, *Theoria medica vera* ; — **Frédault**, *Traité d'anthropologie*.

Illorum systema nomine communi vocatur *animismus*. Porro omnes animistæ rejiciunt organicismum et vitalismum, docentque animam rationalem esse *unicum* vitæ principium, et illius *influxu* cunctas operationes vitæ in homine produci. — Dissentiunt vero de modo secundum quem anima rationalis influxum exercet in corpus :

1º Nonnulli, duce Stahl, asserunt unionem mentis et corporis effici mediante *ratione* : quapropter, intellectus et voluntas sunt facultates, quibus organa physica formantur et aptantur usibus sibi propriis (n. 35, — Cosmol., n. 97) ; per quas etiam omnes vitæ sensitivæ ac vegetativæ functiones exerceri debent [1].

2º Thomistæ, cum aliis plerisque, merito docent unionem mentis et corporis *immediate* et per *essentiam* effici. Quocirca, mens corpori communicat et esse substantiale, et esse corpus humanum suis organis instructum, et esse vegetativum, et esse sensitivum ; quum autem materia cogitare nequeat, potentiam intelligendi, necnon illius facultatis exercitium non largitur corpori : « Est in anima (rationali) considerare et ipsius essentiam et potentiam ejus. Secundum *essentiam* quidem suam, dat *esse* tali corpori ; secundum *potentiam* vero, operationes proprias efficit [2]. »

Sic anima perfectiones omnium formarum inferioris ordinis in se continet [3], et insuper intelligendi virtute prædita est ; ideoque, merito dicitur compendium omnis creaturæ et imago Dei invisibilis.

II. *Solutio quæstionis.*

189. Utrum sit in homine *unicum* vitæ principium [4] ?

Quomodo anima rationalis naturaliter exercere *possit* operationes vegetativas, diximus in prima parte (n. 35) ; eamdem *de facto* illas exercere statuit sequens

THESIS

In homine, eadem anima est rationalis, sensitiva simul et vegetativa [5].

A. — *Probatur experientia*, quæ duo testatur : — 1º unita-

1. **Stahl**, *De scopo et fine corporis*. — 2. *Contra Gent.*, L. II, c. 69. — 3. *Quæst. disp.*, *de Anima*, a. 11. — 4. *Contra Gent.*, L. II, c. 69 ; — *Quæst. disp.*, *de Anima*, 11. — 5. **Kleutgen**, *La Philos. schol.*, t. IV, n. 823.

tem principii et subjecti triplicis vitæ ; — 2º influxum pugnamve diversarum hominis operationum.

1º Quoad *primum*, sic argumentor : Unusquisque conscius est unum idemque principium in nobis efficere diversos actus vitæ vegetativæ, sensibilis et intellectualis : quippe dicimus : ego nutrior, cresco, sentio, intelligo, volo, et alia similia. Hoc autem unum principium non potest esse nisi anima rationalis, tum quia sola potest intelligere et velle, tum quia, teste conscientia, nemo ex nobis actus hujusmodi principio materiali aut vitali ab anima distincto tribuit, sed ipsi animæ. Ergo.

2º Quoad *secundum*, sic : Mutuus est influxus inter operationes vegetativas, sensitivas et intellectuales ; hic autem inexplicabilis evadit sine identitate primi principii quo illæ operationes eliciuntur ; ergo admittatur oportet hæc identitas.

Constant major et minor. — *Major*, nam, quando una operatio est vividior, attenuatur alia. Sic, ut alia (n. 198) omittam, digestio gravis impedit meditationem et vicissim ; passio vehemens morbum causat et mortem ; phantasia non tantum intellectioni favet aut nocet, sed et motum accelerat vel suspendit, necnon, testibus medicis, impedit ipsam nutritionem et reproductionem, præsertim in hystericis (n. 206). — *Minor*, nam, si nobis duæ vel tres insunt animæ realiter distinctæ cur actio immanens unius, v. g., intellectus, minueret aut impediret operationem alterius animæ ? Cur plurium animarum operationes simul crescere aut simul minui non possint? Non apparet, dum e contra facile explicatur illa solidaritas in pluribus facultatibus ejusdem animæ.

B. — *Ratione*, ex dictis de unione corporis et animæ : anima rationalis ita unitur corpori ut sit ejusdem forma substantialis ; ergo unica est et sensitiva simul et vegetativa. — Probatur consequens, nam ex dictis in Cosmologia (n. 53) in quolibet ente una est forma substantialis : forma autem est fons totius activitatis in materia quam perficit. — Imo, nec etiam ad organisationem corporis requiri aliam formam corporeitatis, concludit S. Thomas : « In hoc homine non est alia forma substantialis in actu quam anima rationalis, et per eam homo non solum est homo, sed et animal et vivens et corpus, et substantia et ens : aliter, unitas substantialis et personalis subsistere non posset[1]. »

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 76, a. 4, ad 4.

Confirmatur *auctoritate*. Nam præter philosophos et naturalistas, qui animismum propugnant, in favorem nostræ thesis militat Ecclesia. Revera, Pius IX, anno 1857, doctrinam Guntheri primo reprobavit [1]; postea contra Baltzerum, discipulum Guntheri, expresse docuit *sine errore in fide* non posse negari « hanc sententiam, quæ *unum* in homine ponit *vitæ* principium, *animam* scilicet *rationalem*, a qua corpus quoque et *motum* et *vitam* omnem et *sensum* accipiat [2]. »

190. Hinc, sicut organicismus, *vitalismus* est falsus.

Constat ex thesi pro utroque, speciatim ex dictis (n. 186) pro organicismo, et pro duodynamismo confirmatur eo quod habetur ut hypothesis *inutilis*, *gratuita* et *periculosa*.

1° Est *inutilis*, anima enim humana sufficit ad diversas vitæ functiones exercendas, quia possidet in se virtutes formarum inferiorum, illarumque officio fungitur, secundum ea S. Thomæ : « Dicendum est quod nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva, et quod ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt [3]. »

2° Est *gratuita*, i. e., nullo stabilitur fundamento ; nam eo quod conscientia non advertit motus nutritionis, imo nec omnes sensibilitatis actus, concludere non licet principium nutritivum et sensitivum ab anima differre ; nam eadem substantia varios actus et a se invicem independentes efficere potest [4]. Aliunde, anima humana corpus informare potest et quasdam proprietates illi communicare sine auxilio intellectus ; unio enim animæ et corporis non fit mediante intellectu, sed immediate, ut supra ostensum est (n. 180).

3° Est *periculosa*. Duodynamismus enim unitatem substantialem et personalem in homine diruit, admittendo sc. principium vitale ab anima simul et corpore distinctum : sic enim homo non absolvitur corpore et anima, sed duplex agnoscensum est in nobis principium vivens et activitate præditum.

191. Quomodo solvantur *objectiones* contra animismum [5] ?

Obj. I[a] [6]. Quot sunt diversæ operationes, tot sunt earumdem

1. *Breve ad Archiep. Coloniens.* ap. **Denzinger**, n. 1655. — 2. *Breve ad Episcop. Wratislaw*, an. 1857, ap. **Denzinger**, *ibid.* — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 4 ; — **Mgr de la Bouillerie**, *L'Homme*, p. 48. — 4. *Sum. Theol.*, p. III, q. 16, a. 11, ad 1. — 5. **Farges**, *La Vie*, 111-144. — 6. **Farges**, *Ibid.*, 111-118.

principia. Atqui operationes vegetativæ sunt inconsciæ, cæteræ vero consciæ. Ergo duplex est in homine anima, una rationalis quæ conscias, altera vitalis quæ inconscias operationes producit.

Resp. — *Ad. maj.* Quot..., tot sunt principia proxima, *conc.* ; prima, *nego* ; secus enim, sicut Van Helmont archeos, ita adversarii animas multiplicarent. — *Ad min.* : operationes vegetativæ plures sunt inconsciæ, *conc.* ; omnes, *nego* : imo successive consciæ et inconsciæ fieri possunt. — *Ad cons.* : ergo duplex est anima, *nego*, sed una anima diversis facultatibus prædita, ideoque diversas operationes producere valens.

*Inst. I*ª [1]. — In homine duplex est inclinatio : una ad bonum, altera ad malum. Ergo *homo duplex* est (Ita Buffon).

Resp. *Dist. ant.* : adest in eo dualitas moralis et ratione objecti, *conc.* ; dualitas physica et ratione principii, *subd.* : in facultatibus, *conc.*, in substantia, *nego*.

*Inst. II*ª [2]. — Physice *separantur organa* vitæ ab organis sensus : ergo etiam principium vitæ a principio sensûs.

Resp. *Dist. cons.* : ergo in organis invenitur duplex genus facultatum ejusdem principii radicalis, *conc.* ; duplex principium substantiale, quorum unum esset vegetativum, alterum sensitivum, *nego*.

*Inst. III*ª [3]. — Facultas vitalis sola *insenescit*, item et *hæreditate* transmittitur, minime vero intellectus ; ergo.

Resp. *Transeat ant.* ; *nego cons.*, semper ob eamdem rationem. — Dixit : *transeat*, nam, etsi per se non insenescat intellectus, nec hæreditarius sit, tamen extrinsece ob dependentiam a sensibus, aliquatenus et ex parte senescere et transmitti, experientia deprehenditur.

*Inst. IV*ª [4]. — Non eadem anima *cogitationem* et *digestionem* facit : ergo saltem duplex est anima.

Resp. Non facit eadem facultate, nec eodem processu, *conc.* ; diverso processu et alia facultate, *nego*. Nam digestionem facit ope facultatis organicæ et mediantibus viribus physico-chimicis ; dum intellectionem facit sine organo et a fortiori sine virium chimicarum adminiculo.

*Obj. II*ª [5]. Post mortem, divisis membris, in singulis permanent operationes quædam vitæ vegetativæ, v. g., secretiones, contractiones, unguium et capillorum auctio, etc. Atqui hæ operationes jam non procedunt ab anima rationali. Ergo ante et post mortem a principio vitali.

Resp. — *Conc. maj. et min.* — *Nego cons.* ; nam cum principium vitale sit simplex, divisione facta membrorum, nec dividi potest, nec remanere in qualibet parte divisa. Ergo procedant oportet dictæ operationes ex alio fonte, sc. ex formis vegetativis quæ jam erant in potentia in singulis organismi cellulis, nam, ut jam explicavimus (Cosmol., n. 102), vita est *simplex in actu et*

1. **Farges**, *Ibid.*, 118-121. — 2. **Farges**, *Ibid.*, 121-123. — 3. **Farges**, *Ibid.*, 124-126. — 4. **Farges**, *Ibid.*, 126-132. — 5. **Farges**, *Ibid.*, p. 300 ; — **Liberatore**, *Comp. hum.*, n. 281.

multiplex in potentia. Illas autem formas, seu formarum congeries *cadavericas* appellare, si velis, non dedecet.

§ II. *De Identitate animæ in corpore.*

192. Utrum in omnibus hominibus *eadem* sit anima ?

Quæstio est contra Averroismum, qui duplicem animam in singulis ponit. Prior seu humano-sensitiva hominem constituit individuum in sua specie per modum formæ substantialis, sed non specifice distinguit ab animali et ideo sensitiva dicitur. Posterior vero seu humano-intellectiva est unicus intellectus, separatus et per se subsistens, qui unicuique hominum lucet, et ideo, saltem per modum assistentiæ, fit quasi forma extrinseca totius generis humani [1].

Hinc errori affinis est : — *a*) Pantheismus in omni tempore, sive neoplatonicus, sive mysticus ; — *b*) ratio impersonalis Victoris Cousin, quæ esset omnibus communis et extra mentem nostram ; — *c*) item sententia Rosminii de illuminatione animæ sensitivæ, de qua infra dicetur (n. 210) ; — *d*) tandem ontologismus rigidus qui putat lumen intellectus nostri esse lucem Dei. Contra quos omnes sit

THESIS

Quot sunt homines, tot sunt animæ intellectivæ.

Prob. — 1° *Experientia*, quæ tria nobis testatur, nempe : — *a*) ipsam conscientiam pro singulis individuis eamdem non esse ; — *b*) suum cuique esse intellectum, quem studio pro libitu applicat, et quo ideas proprias acquirit ; — *c*) suam etiam cuique esse libertatem, qua potest pro libitu agere vel non agere. Porro hæc tria componi non possunt cum intellectu qui unicus et idem esset in omnibus. Ergo non unicus est.

2° *Ratione*, variis modis. — *Imprimis* enim probatum fuit animam esse formam corporis, illiusque principium « essendi [2] » unicum ; ergo eadem duo plurave corpora simul *informare* et *vivificare*, ipsis intrinsecum et extrinsecum esse non potest.

Cæterum Averroistis eligendum est inter duo : vel anima humana intellectiva est pars essentiæ hominis, vel omnino est extra essentiam ejus : si prius, vincit pantheismus, quia unica est substantia, cujus individua sunt modi particulares ;

1. Cf. **Gonzalez**, *Hist. de la phil.*, trad. t. II, p. 487. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 4.

si posterius, homo non differt ab animali, cum ejus forma sit anima sensitiva quantumvis gradu perfecto.

Denique, in utraque hypothesi, perit immortalitas personæ. Nam ex communicatione quantumvis continua cum intellectu separato, juxta mentem Averrois, — aut cum Idea Entis, ad sensum Rosminii, — anima sensitiva nequit accipere immortalitatem, sed, cum sit per se corruptibilis et mortalis, perit tempore mortis, dum subsistit tantum intellectus impersonalis, sicque destruitur immortalitas individua.

Confirmatur thesis doctrina Ecclesiæ, quippe Concilium Lateranense V, sub Leone X, decrevit adversus Pomponatium animam intellectivam non esse unicam in cunctis hominibus, eamque pro corporum in quæ infunditur « multitudine, singulariter multiplicatam, et multiplicandam esse » (supra. n. 182).

Hinc non est unicus intellectus agens in omnibus hominibus, quasi aliter non posset explicari uniformitas idearum seu principiorum. — Sed e contra hujusmodi uniformitas commode explicatur tum immutabilitate veritatis objectivæ, tum identitate specifica intellectus humani : nam utriusque est effectus naturalis.

193. Utrum omnes animæ entitative sint *æquales* ?

Duplex concipitur differentia in perfectione animarum : una *substantialis* seu naturæ quæ semel datur ab initio, ne varietur in singulis individuis ; altera *accidentalis* quæ sensim acquiritur ex exercitio potentiarum. De prima tantum controverti potest. — Jamvero non desunt philosophi, v. g., Cartesius [1], qui inæqualitatem tantum accidentalem inter animas humanas propugnare videntur. Contra quos cum S. Thoma [2], Capreolo [3], Ferrariensi et Cajetano, — qui « stultam » vocat adversam sententiam [4], — sit sequens

THESIS

Non omnes animæ humanæ eamdem perfectionem intrinsecam et substantialem habere videntur.

Prob. — Homines sunt alii aliis valde perfectiores in operandi modo ; sed tam inæqualis perfectio operationum arguit inæqualem perfectionem potentiarum et ultimo naturarum seu substantiarum ; ergo substantia hominum inæqualiter perfecta sit oportet.

1. *Discours de la méthode*, 1re part. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 7 : — p. III, q. 69, a. 8, ad 3 ; — *Quodl.* III, a. 8. — 3. **Capreolus**, *In L. II Sent* Quæst. XXXII. — 4. Cf. **Pègues**, *Commentaire littéral*, in *Sum. Theol.*, p. I q. 79, a. 5 ; — q. 85, a. 7.

Rursus autem hæc inæqualitas, vel ex materia, vel ex forma repeti debet ; porro desumi nequit ex materia tantum etiam signata, quæ, utpote pura potentia, organisationem et perfectiones suas animæ non dat, sed ab ea accipit ; ergo ex forma et ideo ex sua entitate inæquali desumi debet animarum inæqualitas.

Confirmatur, — quia animarum inæqualitas, ex *solo* materiæ influxu prodire nequit, cum e contra semper forma materiæ proportionari debeat : « Manifestum est, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam, i. e., animam majoris virtutis in intelligendo [1]. »

Nec dicas inæqualitatem entitativam impedire animas esse ejusdem speciei ; siquidem plus minusve ejusdem perfectionis speciem non mutat.

194. Quid et undenam sit *identitas* personæ humanæ ?

A. — Hæc nihil est nisi convenientia personæ humanæ cum seipsa in variis suæ existentiæ momentis, et tria importat, nempe identitatem *corporis*, *animæ* et *subsistentiæ* : nam, deficiente corporis et animæ identitate, deficeret natura singularis ; deficiente autem subsistentia, jam persona non permaneret eadem. — Est ergo quid substantiale, non phænomenon animæ accidentale, ut voluerunt Lockius et alii qui in facto conscientiæ vel memoriæ reponunt personalitatem.

B. — Jamvero *personalitas* unionem corporis et animæ naturaliter vel consequitur si modus est substantialis, vel efficit si est actus existentiæ (Ontol., n. 109). — Aliunde *anima* humana, quoad substantiam, simplex est et immutabilis, et ideo constanter sibi identica. — Sed de *corporis* identitate difficultatem facit scientia, siquidem : « La machine animale se détruit sans cesse, et, considérée à des époques différentes, elle ne contient pas une seule des mêmes molécules [2]. »

Multiplex affertur explicatio. — 1. Alii enim in corpore ponunt *germen* indissolubile seu interminabile, quod, etsi continue evolvatur, suam tamen cum anima servat unionem : sed hoc omnino gratuitum est. — 2. Alii *permanentiam* figuræ seu formæ exterioris sufficere volunt ad identitatem corporis ; quod prorsus insufficiens est. — 3. Alii tandem prædicant lentam et successivam transformationem, vi cujus novæ particulæ substantiam sensibiliter et moraliter loquendo non mutant.

Perbelle quidem, modo huic morali identitati corporis

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 7 ; — **Franck**, *Dict. phil.*, art. *Identité.* — 2. **Ch. Bonnet**, *Essai analytique de palingénésie sociale.*

addatur physica animæ identitas. Unde sic : corpora organica suam identitatem servant, quotiescumque habent idem vitæ et informationis principium ; atqui principium vitæ, materiam primam informans, est anima ; ergo identitas corporis in permanentia informationis materiæ primæ ab eadem anima commode reponitur.

§ III. *De Sede animæ.*

195. Quænam sint philosophorum *sententiæ* de sede animæ ?

De sede animæ in corpore multa systemata prodierunt quæ ad duplicem sententiam revocari possunt.

I[a] sententia eorum est, qui, admissa unione tantum accidentali inter animam et corpus, in una parte corporis potiusquam in aliis collocant animam, ut exinde suum regimen et imperium exercere valeat in diversos motus vitales. Ita, apud *antiquos*, Plato posuit animam rationalem in capite, sicut nautam in parte sublimiori navis ; Stoici in corde ; Homerus in sanguine ; Epicurus autem in pectore aut in corde tanquam in lorica. Unde Tullius : « Alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum [1]. »

Item, apud *recentes*, Cartesius animam sedere voluit « in glandula pineali [2] », quia parvulusi lle conus geminam non habet eminentiam, in media parte cerebri est, et facile vibrat ; — quidam vero animam fixerunt in corpore calloso (Lapeyronie), — vel in medulla oblonga (Larry), — vel in aliis cerebri particulis, v. g., in pia-matre, in dura-matre, in centro ovali, — vel in centro O ignoto (D[r] Grasset). — Juxta plerosque tamen et Malebranchium, anima in toto cerebro locum habet.

II[a] sententia est Aristotelis, qui dixit animam esse totam in toto corpore, et totam in qualibet parte illius, eamque sententiam SS. Patres Ecclesiæ et Scholastici fere omnes propugnaverunt cum S. Augustino, dicente : « Anima in quocumque corpore et in toto est tota, et in qualibet parte ejus tota est [3]. » Imo physiologi recentes non pauci, plerique philosophi, eamdem sententiam tuiti sunt, — licet quidam inter illos, non admissa unione substantiali, difficilius eam explicent ; sic Leibnitzius vult animam esse in toto corpore per mutuam partium harmoniam ; Rosmini vero admittit vestigia animæ in toto corpore, quia anima ubique operatur.

1. *Tuscul.*, L. I, c. IX ; — Lactantius, *De Opificio Dei*, c. 16. — 2. D[r] Frédault, *Anthropologie*. — 3. *De Trinit.*, lib. VII, c. VI ; — Cf. S. Franç. Salesius, *Traité de l'Amour de Dieu*, L. 1, c. XV ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 8.

196. Quænam sententia de sede animæ in corpore *statuatur* ?

THESIS

Anima in toto corpore simul, et in qualibet ejus parte, tota est, totalitate quidem essentiæ, non totalitate virtutis.

I. Anima *quoad essentiam suam est tota in toto corpore.* — Nam, ut vidimus (n. 180), anima rationalis est per suam substantiam forma corporis et vitæ principium, et ideo, debet esse ubi corpus informat et vivificat ; sed in omnibus corporis partibus hoc munere fungitur, et quidem immediate per essentiam ; necesse est igitur ut anima sit tota simul quoad essentiam suam in toto corpore humano.

II. Est etiam *tota in qualibet parte corporis.* — Etenim anima, cum sit substantia simplex et indivisibilis, non est in loco per modum extensionis, nec habet partes extra partes positas ; unde non potest esse nisi tota simul ubicumque est, sc. in singulis partibus corporis.

III. *Quoad virtutem non est tota in toto corpore.* — Etenim vires animæ *organicæ* sunt formæ accidentales, ab essentia quidem distinctæ ; ergo sunt in iis partibus corporis quas perficiunt seu « in diversis organis, quorum proprii actus dicuntur, sicut visus oculi, auditus aurium, et sic de aliis [1] ». — Dixi *organicæ*, nam facultates *spirituales* per se in nulla parte sunt corporis. Quippe non informant aut perficiunt corpus, sed illud transcendunt, et nonnisi extrinsecus cum illo communicant.

Hinc anima, quoniam speciali modo functiones vitales exercet in quibusdam corporis partibus, specialius esse videtur in cerebro et in corde, ubi organa præcipua vitæ sensitivæ et vegetativæ reponuntur. Qua quidem « occasione a quibusdam philosophis dictum est animam esse in aliqua parte corporis [2] », sed falso, ut patet. — Et *confirmatur* exemplo : licet enim Deus sit immensus, modo tamen speciali suam Bonitatem, Justitiam, Sanctitatem manifestat in quibusdam locis ; videlicet, in cœlo, in templis, in anima justorum [3].

197. Quænam sint *objectiones* quoad sedem animæ ?

Prænota : — 1° Duplex est modus præsentiæ : circumscrip-

1. *Contra Gent.*, L. II, c. 72. — 2. S. Thomas, *loc. cit.* — 3. Lactantius, *De opificio Dei*, c. 16.

tivus et definitivus (Ontol., n. 141). — 2º Nulla est pars cerebri vel corporis quæ sit omnino inextensa : nam punctum mathematicum abstractio quædam est mentis (Cosmol., n. 69). — His dictis :

Obj. Ia. — Anima est simplex : porro ens simplex nequit extensum occupare ; ergo anima totum corpus non occupat.

Resp. *Conc. maj.* — *Ad min.* : *a*) *Retorqueo* : ergo anima non potest occupare cerebrum aut glandulam quamlibet. Cum enim quælibet pars corporis sit extensa, non major est difficultas pro occupatione totius corporis, quam pro occupatione unius ejus partis. — *b*) *Dist. min.* : nequit occupare extensum circumscriptive, *conc.* ; definitive, *nego*, quatenus toti corpori adest per informationem, vivificationem et motum.

Obj. IIa. — Anima eumdem locum occupat ac corpus : atqui locus corporis diffunditur, augetur, minuitur, partim vel totaliter movetur ; ergo anima etiam diffunditur, augetur, minuitur et movetur.

Resp. *Dist. maj.* ; per accidens, et ratione materiæ quam informat, *conc.* ; per se, *nego.* — *Conc. min.* — *Dist. cons.* : ergo anima diffunditur... per accidens et ratione corporis in quod exercet suam actionem, *conc.* ; per se, *nego.* Sic et Deus per se non diffunditur, licet, posita creatione, suam actionem exerceat, ubi antea non exercebatur.

§ IV. *De Mutuo corporis et animæ Influxu.*

198. Quid de *mutuo influxu* generatim sit dicendum [1] ?

A. — *Existentia* mutui influxus inter corpus et animam, in dubium revocari nequit. Pullulant facta : nam

1º Operationes vegetativæ redundant in sensus et intellectum et vicissim ; sic quædam potiones phantasiam excitant ; digestio gravis impedit contemplationem ; hæc vero digestionem, assimilationes et secretiones retardat [2].

2º Item a sensibus pendet intellectus, ut in pueris et senibus manifestum est, v. g., de memoria [3] ; sed et sensus ab intellectu, ut videtur in distractis aut extaticis.

3º Præterea voluntas regit alias hominis potentias, sed ipsam ab ipsis pendere multa demonstrant, v. g., hysterici qui sensibilitate propria vel aliena voluntate reguntur ; necnon casus abuliæ vel impulsus, in quibus voluntas vel iners in torpore jacet, vel ad actum quasi mechanice pellitur [4].

1. **S. Thomas**, *Quæst. disp., de Veritate*, q. 26, a. 10 ; — Cf. **Poucel**, *Essai de Psychologie tempérée*, in *Études relig.*, nov. et déc. 1902 ; — **D. Dubois**, *Les Psychonevroses et leur traitement moral*, an. 1902 ; — **E. de Feuchsterleben**, *Hygiène de l'âme.* — 2. **Al. Bain**, *L'Esprit et le Corps*, ch. II ; — Cf. **Mosso**, *La Peur.* — 3. Cf. **Ribot**, *Les maladies de la mémoire.* — 4. **Ribot**, *Les maladies de la volonté*, p. 112 ; — **Mercier**, *Psych.*, t. II, n. 241-246.

4º Denique corpus et anima in invicem influunt, nam, v. g., gaudium, tristitia generare possunt morbum, paralysim aut etiam mortem ; læsio organorum amentiam causat, etc. — Hinc hodiernæ *Psychasteniæ* lex est non dari morbidam turbationem psychicam sine organismi subjacentis modificatione, etiam non apparenti [1].

B. — *Natura*. Jamvero influxus ille mutuus ex unione substantiali corporis et animæ defluit, nec præfatæ unionis causa est, sed effectus. Cujus autem triplex affertur explicatio :

1ª. Anima *enim* tanquam forma substantialis unitur corpori, ut materiæ. Porro forma materiæ communicat suum esse suasque virtutes ; materia vero per suas dispositiones concurrit ad unum esse formandum cum forma cui conjungitur. Sicque influxus animæ in corpus est *formalis*, corporis vero in animam *materialis* (Ontol., n. 172).

2ª. *Præterea* anima rationalis est unicum principium omnis functionis vitalis. Sed nonnisi finitam habet virtutem : hinc animæ « una operatio, cum fuerit intensa, — impedit aliam », eodem ferme modo ac aquarium, quod per plures aquæductus suas distribuit undas, si largius in unam partem effluat, parcius in alteram diffluat oportet ; — vel e contra, quia plenior, derivat in cæteras : en influxus per « *redundantiam* [2] ».

3ª. *Denique* per voluntatem anima movet vires inferiores, sicut et ipsæ per phantasmata movent intellectum ; hinc etiam *activus* est uterque influxus, et circa triplicem hominis vitam.

His in universum expositis, nunc de quibusdam, sive *factis*, sive *theoriis* circa mutuum influxum disserendum superest.

I. *De quibusdam mutui influxus Phænomenis* [3].

Multa sunt : imprimis *somnus* et *vigilia*, *somnium* et *somnambulismus*, *hallucinatio* et *amentia*, denique *mors*.

199. Quid de *vigilia* et de *somno* [4] ?

Vigiliæ et somni alternatione vita præsens absolvitur.

A. — *Vigilia* quidem est status hominis, ut aiunt, normalis, qui tripliciter a somno distinguitur. In vigilia enim cunctæ facultates *simul* exercentur aut exerceri possunt, et quidem *regulariter*, necnon sub *directione* voluntatis. — Hinc fit æquilibrium ita ut nulla infra nec supra modum excitetur.

1. **J. de La Vaissière**, Eléments de *Psychologie expérimentale*, p. 126. — 2. *Sum. Theol.*, p. III, q. 46, a. 7. — 3. Cf. **Alibert**, *Psychologie*, p. 225-226 ; — **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 226-240. — 4. Cf. **S. Thomas**, *Opusc. de Sommo et Vigilia*.

B. — Miranda *somni* phænomena nobis omnibus innotescunt, nil tamen difficilius quam ejus theoria.

1° Inter somni *phænomena*, — *quædam* eveniunt in transitu vigiliæ ad somnum [1], quando clauduntur sensus externi et interni, non omnes simul sed successive tantum, incipiendo a conscientia seu sensu communi, ut scientificis experimentis constat [2]. — *Alia* referuntur ad tempus somni proprie dicti ; qualia sunt somnia, visiones, oppressiones nocturnæ (cauchemars), illusiones, somnambulismus, hypnotismus. — *Cætera* vero accidunt in evigilationis momento.

2° En porro verisimiles quatuor somni *causæ* :

a) *Inest* somnus fere omni, sed soli animali. Est enim vinculum et immobilitas sensus : ergo in entibus sensitivis tantum, non autem in plantis (Cosmol., n. 88), nec in spiritibus puris, inveniatur oportet ; — et primum in sensu communi, siquidem « omnis passio, inhærens pluribus sensibus, inhæret per naturam sui subjecti primi quod reperitur in omnibus [3] ».

b) Probabilius causa somni *dispositiva* est fatigatio, quæ producitur in organismo necnon in potentiis ad vitam vegetativam spectantibus, et propter quam activitas et motus facultatum, deinde corporis calor gradatim decrescunt.

c) Causa vero somnum *efficiens* videtur esse recessus fluidi nervosi : hoc scilicet in vigilia per totum corpus vagaretur, et ad varios motus vitæ vegetativæ inserviret, sed in fatigatione resorberetur a cerebro et ad illud velut ad fontem rediret [4].

d) Quoad *finem* seu influxum somni hæc certa videntur : nempe, quoad *corpus*, somnus recreat organismum physicum et vires defessas corroborat ; illaque refectio, juxta physiologos, consistit præsertim in eo quod fluidum nervosum, tempore vigiliæ amissum, abunde reparatur [5]. — Quoad *animam*, somnus aliquatenus seu ratione sensuum subministrantium eam reficit ; sed liberum activitatis aliarumque facultatum exercitium impedit, ut constat experientia.

200. Quid de *somnio* et de *somnambulismo* ?

A. — Somnium est *involuntaria imaginum compositio, quæ variis de causis per somnum excitantur et realitatis speciem exhibent* [6]. — 1° Est *compositio*, nempe specierum, quæ ser-

1. **Dr Frédault**, *Traité d'Anthropologie*. — 2. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 54 ; — Cf. **Xavier de Maistre**, *Voyage autour de ma chambre*. — 3. **S. Thomas**, *De sommo et vigil.*, lect. 3. — 4. **Dr Frédault**, *loc. cit.*, p. 709. — 5. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 49. — 6. **S. Thomas**, *De somniis*.

vantur in mente : hæ vero species in somnio sunt præsertim *sensiles* seu imagines ; quare subjectum *per se* somnii est phantasia ; hinc et bruta etiam somniantur. — 2° Est compositio *involuntaria* : si quæ enim ratiocinia eliciuntur vel passiones excitantur, hæc non sub voluntatis imperio, et plus minusve inordinate fiunt. Quapropter actus in somnio patrati, ut tales, dici non possunt boni aut mali. — 3° Denique hujusmodi imagines *speciem realitatis* exhibent, nam, sopitis sensibus externis et sensu communi, somnians inter imagines phantasiæ et perceptiones externas distinguere nequit. Aliquando etiam speciem *realitatis futuræ* exhibent, et quasi prophetice futura divinare videntur [1]. Celeberrima sunt somnia Jacobi, Athaliæ, Pharaonis, Alexandri, Cæsaris, Bruti, etc.

4° *Causæ* porro somniorum aliæ sunt interiores, v. g., dispositiones corporis, affectus mentis, operatio quæ in vigilando inchoatur et non perficitur : aliæ vero exteriores, ut Deus, spiritus boni et mali, suggestiones hominum, etc... v. g., in phænomenis quæ telepathica vocantur [2].

B. — Somnambulismus est *species somnii partialis, in quo dormiens quasdam externas exercet facultates, quin ullam earumdem habeat conscientiam et evigilando servet memoriam.* Sic, v. g. : « Le valet de Gassendi se lève, dresse la table, met le couvert, fait en un mot tous les préparatifs d'un repas, ou saisit une lampe, accompagne jusqu'au seuil de l'appartement des visiteurs imaginaires, ou précède avec une torche un carrosse invisible [3]. »

Quapropter somnambulus est quasi semi-evigilatus, nam quibusdam facultatibus internis et externis utitur, sed incomplete et præsertim relative ad unum et determinatum objectum ; hinc est cur sensus, dum circa objectum somnii, hyperesthesi, i. e., maxima perspicacitate fruantur, circa cætera anesthesi, i. e., insensibilitate laborent.

201. Quid de *hallucinatione* et de *amentia* ?

A. — Hallucinatio est *status vigiliæ, in quo objectivæ reputantur phantasiæ imagines, quæ objectivitate revera destituuntur* [4]. — Scilicet imagines, quæ in cerebro servantur, refluendo etiam in sensoria externa, speciem quamdam perceptionis

1. S. Thomas, *De divinatione per somnum.*— 2. Cf. *Les phénomènes télépathiques,* in *Etudes,* 5 sept. 1900. — 3. A. Lemoine, *Le Sommeil.* — 4. Farges, *les Phénomènes mystiques,* p. 2, ch. I, a. 6.

producere valent ; tunc, v. g., retina, non ab extrinseco sed a cerebro imagines recipit, et projicit ad extra : proprium est enim oculi recipere sed et projicere imagines. Illæ autem duæ functiones ejusdem organi, omnino inversæ et legibus oppositis directæ, non facile distinguuntur nisi in statu normali [1].

Hallucinationis duplex est *gradus*, prout sensus tantum vel etiam ipsa ratio illuditur circa harum imaginum objectivitatem. Juxta subjectivistas (Taine), cunctæ sensuum externorum perceptiones essent hallucinationes, quibus vulgus, non ipsi falluntur (n. 52). Juxta rationalistas, omnes quæ dicuntur visiones et apparitiones, meræ sunt hallucinationes, v. g., visio Mariæ a puella vel infantibus [2].

Hallucinatio sensuum, quæ ratione non corrigitur, facile ducit ad amentiam.

B. — Amentiæ nomine *intelligitur ille status vigiliæ, in quo mens libero usu rationis destituitur* [3]. — 1° Est status *habitualis*, et sic distinguitur a delirio, quod, cessante febri, desinit. — 2° Est status *rationis*, non voluntatis : siquidem nihilistæ, suicidæ, per se amentes dici nequeunt. — 3° Est status, qui *usum* rationis afficit : in amentia enim ipsa facultas intellectualis non amittitur. — 4° Denique afficit *liberum* potiusquam rectum rationis usum : non enim amens dicitur qui male ratiocinatur vel absurda deducit, sed qui a sensibus ita ducitur, ut ejus ratio jam non sit sui compos ; v. g., sine ulla reflexione, præteritum ut præsens, imaginarium tanquam reale accipit : « C'est le rêve d'un homme éveillé. »

C. — Jamvero *amentiæ*, sicut *hallucinationis*, *causa* proxima est aut læsio perturbatio organorum. Ratio enim, licet sit in se a materia independens, sensibus indiget in vita præsenti, ut objectum suum attingere possit ; unde, læsis organis, sensus turbantur et in eis libera directione intellectus frui non potest. — Utriusque vero causa remota potest esse *physica*, nempe morbus, accidens et alia hujusmodi ; sæpe autem est *moralis* : sic afflictio vivida, cordis libidines, pigritia, intemperantia, cæteræque passiones organismum physicum perturbant, generantque stultitiam et hebetudinem.

1. **Farges**, *Théorie fond.*, p. 381, 394 ; — *L'objectivité*, p. 229-236. — 2. Cf. Dr **Boissarie**, *Lourdes, Histoire médicale*, 25e édit., p. 31, 39, 58 ; — **Bertin**, *Hist. critique des événements de Lourdes*. — 3. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 158 et suiv.

202. Quid de *vita* et de *morte* ?

A. — Anima est principium vitæ non solum rationalis, sed etiam sensitivæ et vegetativæ, imo et partim organismi causa (n. 37). Corpus autem in vitæ *phases* et evolutiones non parum influit [1].

Vitæ phases aut *ætates* in quatuor præcipuas a recentibus dividuntur, sc. in *infantiam*, *adolescentiam*, *maturitatem* et *senectutem*. « Le terme de la vie humaine est de 90 à 100 ans. Cependant on a vu dans ce siècle des vieillards de 120, 150 et même 185 ans [2]. »

B. — *Mors* tandem accedens disrumpit unionem mentis et corporis et idcirco definiri solet : dissolutio compositi humani. « Les théologiens définissent la mort d'une manière aussi simple que sublime : La mort est la séparation de l'âme et du corps [3]. » Tunc anima revertitur ad Deum unde exivit ; corpus mox putrescit (Cosmol., n. 108) ; partes autem illius nequaquam annihilari debent, sed servantur in orbe physico.

Interim cave ne mors cum *lethargia* confundatur : hæc enim somnus est altus, qui per duo, tres, quindecim dies et amplius perseverare visus fuit [4]. — Quare Physiologi duodecim signa mortis enumerant, ex quibus ultimum tantum est certissimum : « 1° l'arrêt de la respiration ; 2° l'arrêt de la circulation ; 3° la rigidité cadavérique ; 4° l'absence de contractilité musculaire ou galvanisme ; 5° la formation d'une tache sur la cornée ; 6° le défaut de redressement de la mâchoire inférieure abaissée avec force ; 7° la perte de transparence de la main ; 8° l'obscurcissement et l'affaiblissement des yeux ; 9° la vacuité des carotides ; 10° le défaut de crépitation vitale ; 11° le manque de vésicule après la brûlure ; 12° la putréfaction [5]. »

II. *De quibusdam Theoriis circa mutuum influxum.*

Hæ præsertim quatuor numerantur : *physiognomonia*, *phrenologismus*, *theoria temperamentorum* et *hypnotismus*.

203. Quid sit *physiognomonia* et quid de ea sentiendum [6] ?

A. — Juxta hujusmodi systema, *ea est mentis et corporis relatio, ut e conformatione corporis, potissimum e* physiognomonia, *dignoscere possimus animæ dispositiones et habitudines.*

Hanc scientiam quam olim coluerunt Empedocles, Plato, Aristoteles, necnon Galenus et Alb. Magnus, renovaverunt recentes. — Juxta celeberrimum *Lavater*, pulchritudo mentis interna pulchritudini externæ perfectione proportionatur. — Juxta Camper, quo major est angulus facialis, eo majus ingenium ;

1. **Dr Frédault**, *Ibid.*, p. 777-778. — 2. **Tourtelle**, *Traité d'hygiène*, c. IV. — 3. Abbé **Pioger**, *La Vie après la mort*, c. II. — 4. *La Science catholique*, an. 1887, p. 568. — 5. **Dr Frédault**, *Ibid.*, p. 824. — 6. **Ledos**, *Traité de la physionomie humaine.*

hinc est cur apud simium 58, apud Nigritas 70, apud Sinenses 85 apud Europæos 90 gradus habet. — Juxta alios, stirpes ex tota calvariæ latitudine cognoscere tantum licet.

B. — Physiognomonia est partim vera ; nam, in corpore, præsertim in vultu, in oculis, in ore, in aspectu, quasi vestigium et imaginem animæ comperimus ; nec mirum esse debet ex dictis de mutuo influxu (n. 198). — Notam vero singularitatis et temeritatis non effugeret, qui semper et in omnibus virtutes et vitia e signis exterioribus auspicari vellet. Nam anima, quantumvis corpori unita et ab eo dependens, libera tamen remanet quoad habitus contrahendos. Hinc est cur de facto tot exceptiones regulis præjactis afferantur, juxta axioma : « Nimium ne crede colori. »

204. Quid sit *phrenologismus* et quid de eo sentiendum [1] ?

A. — Phrenologismus, quem propugnarunt Dr Gall, ejusque discipuli, Spurzheim et Dumoutier, est *hypothesis juxta quam omnes animi dispositiones sedem specialem habent in circumvolutionibus et proeminentiis* (bosses) *cerebri.*

Sedes hujusmodi seu organa 27 enumerat Gall ; ejus autem discipuli 35, 37 et etiam 42 proeminentias invenerunt in cerebro ; sic, v. g., in fronte sedem ingenii metaphysici, in summitate capitis organum sensus religiosi defixerunt, et ita de cæteris. Cum evolutione harum proeminentiarum crescunt animi facultates nativæ ; quocirca, dispositiones internas cujusque dignoscere possumus ex ipsamet capitis inspectione.

B. — Phrenologismus nullo modo propugnari potest. Nam

1° *Contradicit experientiæ* ; sæpius enim inveniuntur homines vanitati, rapinæ, mendacio dediti, quin tamen habeant vanitatis, rapinæ vel mendacii proeminentias. Vel e contrario dantur organa sine facultate, ut, v. g., organum theosophiæ inventum etiam in craniis arietum, vel organum stultitiæ in cranio celeberrimi Laplace.

2° *Propellit ad materialismum* ; nam, juxta fautores hujus systematis, circumvolutiones cerebri, non solum haberi debent ut organa, sed etiam ut principia dispositionum animæ.

3° *Rejicitur* ut nenia futilis a plerisque physiologis [2] ; pauci vero qui hunc admittunt, circa numerum, naturam et sedem organorum, minime consentiunt...

1. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 181 et suiv. — 2. **Récamier**, *Lettre sur la Phrénologie*

205. Quid de *temperamentorum theoria* sit sentiendum [1] ?

A. — Temperamentum definitur : *dispositio generalis et dominans organismi physici.*

Veteres, v. g., Hippocrates, temperamenta dividebant in quatuor præcipua, sc. in sanguineum, pituitosum, melancholicum et biliosum. — Non pauci, Galenus et Stahl, etiam inter recentiores, temperamenta dividunt in sanguineum, lymphaticum, melancholicum et biliosum : quibus nonnulli addunt temperamentum athleticum. — Hanc divisionem, mutato nomine, admittunt Joannes Huarte et D. Frédault. Prior enim quatuor distinguit humores : calorem seu sanguinem, humiditatem seu lympham, frigiditatem et siccitatem seu bilem. Posterior autem sic loquitur : « Nous avons le tempérament artériel (sanguin) ; le tempérament veineux (biliaire) ; le tempérament de la veine-porte (atrabilaire) ; le tempérament lymphatique [2]. »

B. — Jam de theoria temperamentorum tria notanda sunt.

1° *Influxum* temperamenti nemo in dubium revocare potest ; nam animæ dispositiones e dispositione physica saltem aliquatenus pendent, ut experientia ostenditur. — Cave tamen ne partem nimiam temperamento largiaris, præsertim in rebus ad moralitatem referendis, materialistarum instar, qui temperamento nativo crimina vitiosorum tribuunt.

2° Si fides recentiorum experientiis, omnia temperamenta revocari possunt ad *tria systemata*, quæ gallice vocantur « système artériel, système veineux, système lymphatique ». Hæc tamen in alia composita subdividi possunt.

3° Tum *difficilis* quam utilis est temperamenti cujusque cognitio : « Veut-on être sérieusement fort en physiologie ? Il faut avoir fait ce travail cent fois, et être prêt à le recommencer et l'achever en un instant, à propos de tout individu qui se présente à votre observation, afin de trouver en lui ce qu'on appelle son *idiosyncrasie*, c'est-à-dire son tempérament particulier [3]. »

206. Quid sit *hypnotismus* et quid de eo sentiendum [4] ?

A. — Hypnotismus *est ars producendi in aliquo somnambulismum*, et *somnambulo varios actus et motus suggerendi* : hic enim se habet mere passivum erga suum hypnotizantem.

Dicitur hypnotismus e voce græca, ὕπνος, quia similitudinem somni producit. — Vocabatur etiam *magnetismus animalis* :

1. **Hippocrates**, *de Natura hominis* ; — **Galenus**, *de Temperamentis* ; — **Stahl**, *Theoria medica vera* ; — **Dr Auzoux**, *Leçons d'anatomie et de physiologie* ; — **Joannes Huarte**, *Examen de Ingenios* ; — **B. Perez**, *Le caractère de l'homme et de l'enfant.* — 2. *Traité d'Anthrop.* — 3. **Dr Frédault**, *loc. cit.*, p. 686. — 4. **Ch. Beaunis**, *Le Somnambulisme provoqué* ; — **F. Méric**, *Le Merveilleux et la Science* ; — **Joly**, *De l'Imagination* ; — *la Controverse*, avril 1887 ; — **Guibert**, *Etude sur l'hypnotisme* ; — **Gay**, thèse sur *l'Hypnotisme* ; — **Coconnier**, *L'Hypnotisme franc.* ; — **E. Blanc**, *Université cathol.*, 15 fév. 1898.

magnetismus, quia sicut magnes ferrum attrahit, ita hypnotizans hominem sibi subjicit ; animalis, quia in entia sensitiva exercetur. Viguit magnetismus sæculo promixe elapso : quem, sub nomine hypnotismi, D. Charcot... et alii nostris diebus renovarunt.

a) *Media* porro artis hypnoticæ, alia sunt physica : manipulationes, tactus, obtutus vel actio quælibet per quam fatigetur aliquis sensus hypnotizandi, v. g., oculos in lumen defigere ; alia vero sunt psychica, imprimis vero suggestio. Est autem *suggestio*, actus quo alteri communicatur idea, quæ ab ipso, etiam sine prævio consensu, passive accipitur et inconscie realizatur [1].

b) Hinc hypnotismi *subjecta* aptissima sunt mulieres, præsertim hystericæ (nerveuses déséquilibrées), vel alii magis dociles, ut pueri. — Utrum vero, resistente voluntate, quis possit hypnotizari, controversum est et in utramque partem afferuntur exempla. Sed vir fortis et robustus fascinationi resistit, saltem in initio [2] : imo recentius hypnotismum produci nunquam posse contra voluntatem subjecti demonstratum fuisse videtur [3].

c) En porro miranda hypnotismi *phænomena*. Triplex est periodus, saltem in « magna », ut aiunt, crisi hystericorum : nempe lethargia, catalepsis et somnambulismus. Primo enim hypnoticus in somnum inducitur ; dein, pro libitu hypnotizantis, rigiditatem cadaveris, denique varias somnambulismi naturalis exhibet operationes. « Nous avons alors réalisé des suggestions de sensibilité : anesthésie, onalyésie, hyperesthésie, illusions sensitives ; nous avons créé des hallucinations visuelles, acoustiques, olfactives ; nous avons suggéré des vols, des assassinats ; nous avons aussi constaté, plus rarement, ces altérations et désagrégations de la mémoire, connues sous le nom de « dédoublement de la personnalité [4] », et hæc sunt *facta ordinaria*. — Sunt et *extraordinaria*, nam somnambulus aliquando trans corpora vel per manus et pedes videt, cognoscit intimas cogitationes vel personas absentes (télépathie), loquitur linguis ignotis ; etc..., et hæc facta *vocantur lucida* seu *lucidæ visionis*, de quibus critici disputant.

B. — Jamvero priora seu suggestionis facta vires natura-

1. *La Suggestion*, in *Revue de Philos.*, nov. 1910. — 2. *Revue thomiste*, an. 1893, p. 343, 425. — 3. Cf. **D'Alès**, *Diction. apolog.*, art. Hystérie, n. 3.— 4. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 116 et sq.

les transcendere cuncta non videntur : habent enim ideæ vim motivam, etiam in functiones vegetativas, præsertim durante somno, cum phantasia, omnibus aliis neglectis, una imagine possidetur ac dirigitur (n. 61). — Ad facta vero lucida quod attinet, nec per fluidum magneticum, nec per vires naturæ occultas, nec per voluntatem hypnotizantis explicari possunt ; unde aut fraudi aut diabolo sæpius erunt tribuenda.

Hinc, etiamsi ad priora restringatur ars hypnotica, periculis non caret quoad moralitatem sive individuorum, sive societatis, vel etiam quoad corporis sanitatem. Ut aiunt medici : « l'hypnotisme développe l'hystérie et ses désagrégations mentales, provoque des habitudes d'automatisme et de servilité, en outre il excite un besoin croissant d'hypnose analogue à celui de la morphinomanie [1] ». Nec tamen dicam hypnotismum absolute proscribendum esse etiam a therapeutica : quandoque enim certis in casibus morbidis profuit.

CAPUT TERTIUM.

DE ORIGINE HOMINIS [2].

Jam in tuto posita intrinseca hominis constitutione, statim inquirendum est undenam sit sive anima, sive compositum humanum. Unde caput tertium dividetur in duos articulos : I^us de *Creatione* animæ ; II^us de *Ortu* hominis.

ARTICULUS I.

De Creatione animæ.

207. *Status quæstionis* de creatione animæ humanæ.

A. — *Sensus*. — De origine animæ duo quæri possunt nempe, quonam modo habeat originem, et quo tempore corpori suo copuletur. Sed posterius infra (n. 216) solvetur. Unde hic agitur tantum de ipsamet creatione animæ, seu de modo secundum quem suam sortitur originem.

Porro scholastici tria docent de origine animarum :

1. Ab initio « mundum, resque omnes quæ in eo continentur, et *spirituales* et *materiales*, secundum totam suam

1. Cf. Dr **Grasset**, *Hypnotisme et suggestion* ; — **Lapponi**, *Hypnotisme* ; — Cf. *Ami du Clergé*, 22 janv. 1914. — 2. **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 275-280.

substantiam a Deo ex nihilo esse productas[1] ».

2. Præterea, creatione semel effecta, singulæ formæ materiales in materia existunt, aut in actu, aut saltem in potentia. Unde quum animal aut planta gignitur, non fit nova creatio, sed tantum nova formarum evolutio e potentia ad actum.

3. Non ita de formis spiritualibus ; et idcirco mens humana ortum habere nequit nisi per *creationem immediatam a Deo.* Ideo animam nostram secundum totam substantiam suam immediate procedere a Deo per creationem e nihilo, sicut in initio, ita nunc etiam in decursu temporum asserimus.

B. — Hæc sententia, *quæ creatianismi* successivi nomen audit, sic exprimi potest :

THESIS

Animæ humanæ sumunt originem a Deo per creationem immediatam.

Immediatam dico, quæ sc. successive attingit omnes et singulas animas : corpus enim mediate tantum a Deo efficitur.

C. — *Divisio.* — Nostra thesis duabus viis *probatur*, quarum prior indirecte sumitur ex *falsitate* cujuslibet hypothesis adversæ, posterior autem directe demonstrat creatianismi *veritatem.* Unde duplex paragraphus.

§ I. *De Falsis circa originem animæ Sententiis.*

208. Utrum et quomodo probetur *indirecte* creatianismus ?

Arg. gen. — Si mens humana non sumit originem a Deo per creationem immediatam, vel est a se, vel educitur a substantia divina, vel propagatur a parentibus per generationem ; sed hæc tria admitti non possunt. Ergo vincit creatianismus. — Statuetur minor contra triplicem errorum classem :

Prob. I. — *Anima humana non est* **a se** *seu ab æterno.*

Quidam decreverunt animam *a se* quidem existere. Unde non incipit cum ipso corpore, neque solum immortalitate gaudet, verum ex sese æterna est. Sic forte in hoc sensu Aristoteles dixit intellectum per se esse « perpetuum[2] » ; itemque Averroes propugnavit intellectum fuisse ab æterno[3] (n. 192) : neuter saltem clare docet eum creari, etiam ab æterno.

Arg. — Talis sententia rejicitur triplici de causa. Nam

1° *Repugnat experientiæ* ; quis enim unquam conscius fuit quod exstiterit ab æterno, aut a se existentiam habuerit ?

1. *Conc. Vatic.*, Canones de Deo, c. 5, ap. **Denzinger**, n. 1805.— 2. *De Anima*, L. III, 29. — 3. *Contra Gent.*, L. II, c. 83.

2° *Rationi* palam contradicit ; mens enim est imperfecta et contingens, proinde non potuit existentiam habere vi suæ naturæ : secus enim esset creatura simul et ipse Deus [1].

3° Constans et fere universalis fuit *consensio philosophorum*, omniumque populorum, asserens animam non fuisse ab æterno, sed incepisse cum corpore.

209. II. — *Anima non est* **emanatio** *substantiæ divinæ.*

Nonnulli philosophi veteres (ex. g., Pythagoras, Cicero, Stoici et Neoplatonici, cum plerisque pantheistis) asseruerunt animam esse vel *particulam* e substantia Dei decerptam, vel *emanationem* quamdam e substantia Dei divulsam, vel etiam *evolutionem* ipsius Entis Infiniti.

Arg. — Hoc *emanatismi* deliramentum certo contradicit :

I° *Rationi*, quippe substantia Dei, quum sit simplex, dividi nequit ; — quum sit immutabilis, mutationi non est obnoxia ; — quum sit necessaria et infinita, in modos contingentes aut in substantias finitas evolvi non potest. Sed, in systemate emanationis, omnia hæc acciderent [2]. Ergo falsum est.

II° *Conscientiæ* etiam repugnat, dicente S. Augustino : « Non est pars Dei anima. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec perficeretur in melius, nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, quantum ad ipsius affectiones pertinet. Quum vero aliter se habeat, non opus est extrinsecus testimonio : quisquis semetipsum advertit, agnoscit [3]. »

210. III. — *Anima humana* **propagari** *nequit a parentibus.*

Philosophi, qui animam humanam a parentibus propagari volunt, dicuntur nomine communi *traducianistæ* et in quatuor classes dividuntur. — Alii, videlicet Apollinaris et probabilius ipse Tertullianus, tenuerunt animam a parentibus gigni semine *materiali*. — Alii vero, teste Augustino, dixerunt hanc generationem effici mediante quodam semine *spirituali*. — Frohschammer autem posuit animam a parentibus produci per *creationem* e nihilo. — Rosmini tandem, errorem jam antiquatum renovans [4], docuit animam *sensitivam* a parentibus oriri, posteaque fieri *intellectivam* per manifestationem ideæ entis [5].

Sed contra : — 1. Anima humana gigni nequit *a parentibus mediante semine materiali*. Nam, quidquid educitur e materia, vel est materiale vel a materia pendet ; anima autem

1. **S. Thomas**, *Metaphys.*, XII ; — *Contra Gent.*, L. II, c. 83 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 90, a. 1. — 2. *Contra Gent.*, L. II, c. 85. — 3. **S. Augustinus**, *De Origine animæ hominis* ; — *Epist.*, CLXVI, c. II, n. 3. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 2, ad 2. — 5. *Psychologia*, lib. IV, c. 23 *Dell'Origine dell'anima intellectiva.*

humana non solum *simplicitate*, sed etiam *spiritualitate* gaudet nec a materia pendet (n. 161) ; ergo ab ea non educitur.

2. Anima traduci non potest *ex anima parentum generatione spirituali*. Nam semen illud immateriale, per quod efficeretur ea generatio, supponeret animæ divisibilitatem ; sed substantia simplex dividi nequit ; ergo etiam spiritualiter anima non generatur.

3. Quod anima non producitur a parentibus *per creationem e nihilo*, evidens est. — *Etenim*, creatio soli Deo tribuenda est, meritoque habetur ut actus proprius Entis omnipotentis (Theod., n. 111). — *Aliunde*, quis conscius est se gaudere hac virtute summa creandi seu educendi substantiam e nihilo [1] ? — *Unde* perbelle filiis suis mater Machabæorum : « Nescio qualiter in meo utero apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis [2]. »

4. Denique anima non potest quatenus sensitiva a parentibus vi generationis propagari, et deinde *intellectiva evadere* per manifestationem ideæ entis. Nam anima recipere nequit manifestationem hujusmodi, nisi sit capax assequendi notiones universales, idea enim entis est universalissima ; anima vero sensitiva caret ea facultate. — Repugnat etiam quod substantia mere sensitiva fiat intellectiva per illustrationem « de foris » advenientem ; talis enim illustratio perficit substantiam jam existentem et allicit ad actum, sed illius essentiam mutare nequit (n. 192) ; ergo nec reddit intellectivam.

211 Quæres quid de traducianismo doceat *Ecclesia* [3] ?

Resp. — Traducianismus *corporeus* certe est hæresis, in quam inciderunt Tertullianus, Apollinaristæ et Luciferiani. — Ad traducianismum *spiritualem* quod attinet, dici nequit hæreticus, quia « nulla est in Ecclesia de hac re definitio proprie formalis », sed certo erroneus dicendus est, utpote doctrinæ universaliter receptæ adversus (n. 213).— Præterea liber D. Froschammer, cui titulus : « Defensio *generatianismi* », proscriptus est anno 1837 a Sacra Congregatione Indicis. — Ipsa tandem *Rosmini sententia*, anno 1887, reprobata est in XL propositionibus, ex quibus vigesimam recitare sufficit : « Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum procedere [4]. »

Jamvero ex traducianismi improbatione, ut neminem fugit, non

1. *Contra Gent.*, L. II, c. 86. — 2. *II Macchab.* vii, 22-23. — 3. Cf. **Zigliara**, *Psych.*, L. i, c. iv, a. 3, n. 5. — 4. Cf. **Denzinger**, n. 1910.

partim confirmatur veritas creatianismi, quæ nunc directe probanda venit.

§ II. *De Creatianismo.*

212. Quomodo *directe ex ratione* probetur creatianismus ?

Arg. gen. — Ad unum revocari possunt omnia argumenta : anima est substantia spiritualis, ordinem materialem transcendens ; sed in rebus contingentibus hujusmodi substantia ortum habere nequit nisi a Deo per creationem immediatam ; ergo vincit creatianismus. — Major ex dictis (n. 165) constat.

I. *Suadetur minor* : — tum *e consequenti*, quia, rejecta ex dictis aseitate, evolutione et generatione animæ, nullus alius præter creationem apparet modus, quo sortiretur existentiam ; — tum *a pari*, quia « anima est de genere substantiarum intellectualium, videlicet angelorum, quæ non possunt aliter intelligi prodire in esse nisi per viam creationis [1] ».

II. *Probatur* sic : effectus non potest superare virtutem suarum causarum ; ergo anima non fit a causa creata.

Prob. consequentia, nam, cum fieri sit via ad esse, *eo modo* anima habet *fieri quo habet esse*. Sed anima non habet tantum esse in alio sicut accidens, nec esse dependenter a materia sicut formæ materiales, sed habet esse per se subsistens. Ergo non habet etiam fieri in alio sicut accidens, aut dependenter a materia sicut formæ non subsistentes, sed habet per se fieri simpliciter. Sed fieri simpliciter in forma subsistente idem est ac fieri ex nihilo per creationem, creatio autem est actus Dei proprius, non creaturæ. Ergo mens humana sumit exordium a Deo per creationem immediatam [2].

Confirmatur, nam « *finis rei* respondet principio ejus » seu origini, et quo perfectior est finis, eo perfectior esse debet origo. Sed « finis animæ humanæ et ultima ejus perfectio est quod per cognitionem et amorem transcendat totum ordinem creaturarum et pertingat ad primum principium quod Deus est [3] ». Ergo a Deo est, cum ad Deum redeat.

Ergo, quocumque modo consideretur anima humana, a Deo producatur per creationem e nihilo necesse est.

213. Quomodo creatianismus ex auctoritate probetur ?

Dogma creationis animæ in præfato sensu a philosophis et theologis cujusdam notæ propugnatum fuit.

1. *Contra Gent.*, L. II, c. 87, n. 3. — 2. *Contra Gent.*, *loc. cit.* ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 90, a. 2. — 3. *Contra Gent.*, L. II, c. 87, n. 5.

1. Imprimis enim non pauci *inter paganos*, etsi non habuerint explicitam notionem creationis e nihilo, mira tamen docuerunt circa mentis originem ; ex. g., sic loquitur Tullius : « Animorum nulla in terris origo inveniri potest ; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem aut flabile aut igneum. Hic enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod et præterita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia : quæ sola *divina* sunt. Nec invenietur unquam unde ad hominem venire possent, nisi *a Deo* [1]. » Et ibidem aperte dicit « mentem humanam non quidem nasci, sed « creari [2]. » — Item docuit Aristoteles animam hominis *solam*, non a generantibus, sed *foris*, θύραθεν, advenire et esse origine sua *divinam* [3] (Cf. n. 208).

2. Philosophi *christiani fere omnes* satis intellexerunt animam, etiam in singulis hominibus, nonnisi per creationem ad existentiam venire ; nisi quod primis Ecclesiæ sæculis aliquando dubitavit S. Augustinus [4], cum aliis nonnullis, quomodo sine generatione spirituali, transmissio peccati originalis explicari possit. Sed postea argumentatione S. Hieronymi pressus, haud obscure dogma creationis professus est, dicens : « Anima est substantia rationalis, intellectualis, a Deo facta ; spiritualis, non ex Dei natura, sed potius *creatura ex nihilo* [5]. »

Quibus perspectis, dicere potuit M. Cano : « sine dubio ad *fidem* illa quæstio pertinet [6] » : de qua dubitatio sola esset maximæ temeritatis.

214. Quænam sint *difficultates* adversus creatianismum ?

Obj. I. — Anima belluina per generationem traducitur ; ergo et anima humana generari debet a parentibus.

Resp. Nego. cons. Non est enim paritas inter hominem et belluam, nam anima in bruto habet id quod est sensitivum tantum [7].

Obj. II. — Filii in multis similes sunt parentibus ; ergo ab eis sumunt originem per generationem corpoream vel incorpoream.

Resp. *Trans. ant.* — *Dist. cons.* : filii sumunt originem a parentibus : quoad *corpus*, *conc.* : quoad *animam*, *nego.* — Præfatæ vero similitudinis, quæ inter parentes et liberos nonnunquam existit, ratio multiplex exhiberi potest, sed duplicem tantum in memoriam revocare sufficiat [8] ; — imprimis vita vegetativa et sensitiva pendent ab organismo physico ; et etiam intellectus, licet independens a corpore, organis tamen physicis utitur ut objectum sibi proportionatum, scilicet essentiam rerum materialium assequi valeat ; porro corpus traducitur vi generationis ; non est igitur mirandum, quod indoles filiorum aliquid mutuari possit a parentibus. — Alia nec minima ratio hujusce similitudinis in educatione filiorum a parentibus invenitur.

1. *Tuscul.*, L. I, c. 27. — 2. *Ibid.*, c. 33 et 49. — 3. Cf. **Farges**, *La Vie*, p. 190. — 4. Cf. **Zigliara**, *Psych.*, L. I, c. IV, a. 3, n. 4. — 5. *De Spiritu et Anima*, VIII. — 6. *De Locis theol.*, L. II, c. 22 ; Cf. *II Sent.*, dist. XVII. — 7. *Contra Gent.*, L. II, c. 89. — 8. Cf. **Vallet**, *La Vie et l'Hérédité*, 2e part.

Obj. III. — Parentes dicuntur quasi *parientes* filios suos. Sed filii ex anima et corpore constituuntur. Ergo parentes utrumque generant.

Resp. *Conc. maj. et min.* — *Dist. cons.* : utrumque generant aliqua saltem ratione, *conc.*, simili modo, *nego*. Qui enim disponunt corpus ad susceptionem talis formæ, hanc animam quasi trahunt ad tale corpus. Quinimo B. Virgo mater est Verbi, eo quod præstitit tantum carnem, quam Verbum assumpsit [1].

ARTICULUS II.

De Ortu hominis.

Quæstio duplex est : prout de ortu *generis* humani vel *singulorum* hominum agitur.

§ I. *De Ortu Singulorum hominum.*

Vel animæ præexistunt corpori, vel cum ipso creantur. Unde

215. Utrum singulæ animæ suo corpori *præexistant* ?

Dupliciter *errant* philosophi circa præexistentiam animarum, nam

1º Origenes, Pythagoræ et Platonis somnia renovans, ut testatur S. Hieronymus, autumavit animam olim in astris exstitisse ; sed propter scelus immane, de quo memores esse nequimus, detrusa est in corpus, donec ad pristinam beatitudinem, crimine exsoluto, revertatur.

2º Apud recentes, Leibnitzius, Origenis theoriam emendans, præexistentiam animarum in hoc sensu propugnavit : Deus ab initio animas omnes creavit et eas inclusit in corpusculis, quibus mediantibus, transeunt in singulos homines, quando corpus organicum generatur.

Juxta communem philosophorum *doctrinam*, anima creatur eo tempore quo infunditur in corpus humanum, ut illud informet et vivificet [2]. Unde sit

THESIS

Anima non præexistit corpori, sed conditur a Deo quum in corpus infunditur.

Prob. I. — *Indirecte.* Opinio *gratuita*, *singularis* et *sensui communi* opposita, rejici debet. Sed præexistentia animarum :

a) *Gratis* asseritur ; nullo enim innititur fundamento.

b) Est *singularis* ; nam a paucis propugnata est, et non

1. **Zigliara**, *Ibid.*, I, a. 2, n. 8-9. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 3.

semel ab Ecclesia damnata fuit[1]; siquidem « catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere[2] ».

c) Denique *sensui communi* repugnat ; quis enim admitteret animam suam olim in astris vitam felicem degisse, vel ab initio in corpusculis fuisse inclusam ? — Ergo rejici debet.

II. — *Directe*. Deus, quum sit sapientissimus, nihil facit frustra et contra naturam : nihil frustra, ergo nullum ens procreat, nisi eo tempore quo finem suum attingere potest ; nihil contra naturam, ubi agitur de constitutione ipsius naturæ. Sed præexistentia animarum ; — *a*) esset *inutilis*, nam separata a corpore, quod informare nata est, anima non potest attingere suum finem, et illius existentia per tot sæcula sine causa haberetur ; — *b*) esset *contra naturam*, status quippe separationis est contra naturam animæ humanæ. Secus enim unio præsens cum corpore dicenda esset contra naturam animæ, quod falsum esse supra (n. 179) demonstravimus.

Confirmari potest, quia anima est actus corporis : porro « actus, licet sit naturaliter prior potentia, tamen in eodem (corpore) est tempore posterior[3] ». « Ergo natura animæ hoc habet, ut esse non incipiat nisi in corpore[4]. »

216. Quonam *instanti* anima in corpus infundatur[5] ?

Animatio est instantanea ; gravis autem exurgit difficultas de instanti, quo mens in corpus infunditur. Duplex est opinio :

A. — *Prima* est Veterum ab *Aristotele* relata, qui autumarunt corpus viri quadragesima die, et corpus feminæ octogesima die post conceptionem, ab anima informari. Ab hac sententia non discedens, S. Thomas posuit animam non creari, nisi quum corpus ipsum ad debitam organismi formationem pervenerit. Imo posuit embryonem successive informari triplici anima : « a principio quidem nutritiva, postmodum autem sensitiva, et tandem intellectiva[6] ». Quam opinionem etiam sequuntur communius Patres, præsertim latini, Dante[7], scholastici generatim usque ad sæc. XVII^{um}, et inter recentes Cornoldi, Liberatore, Mercier, pluresque medici[8].

En hujus sententiæ *momenta* : 1° « Cum anima uniatur corpori ut forma, non unitur nisi corpori, cujus est proprie

1. Cf. **Martin**, *La Vie future*, p. 2e, c. III. — 2. **S. Leo Magnus**, *Epist.*, XV. — 3. *Contra Gent.*, L. II, c. 83. — 4. *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 83, a. 1, ad 5. — 5. **Farges**, *La Vie*, p. 192-199 ; — Cf. *Dict. de Theol. cath.*, art. *Animation.* — 6. *Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 2, ad 2. — 7. **Dante**, *La Commedia, Purgatorio*, canto 25. — 8. Cf. *La Science catholique*, an. 1887, p. 106.

actus. Est autem anima actus corporis organici ; non est igitur ante organisationem corporis [1] » : cujus embryo gradatim pertingit ad ultimam dispositionem. — 2° In hypothesi animationis immediatæ, hæc sequuntur incommoda : — *a*) processus generationis non erit in homine perfectior quam in aliis animalibus ; — *b*) innumeræ, et quidem immortales, animæ a Deo procrearentur pro innumeris embryonibus, qui statim pereunt ante suam completam formationem [2] ; — *c*) denique male explicarentur sive similitudines filiorum cum parentibus, sive prædispositiones ad morbos quosdam, imo ad virtutes aut vitia, juxta leges hæreditatis.

B. — Multi tamen, præsertim recentiores, asserunt animam ipso instanti conceptionis infundi in corpus totumque formare juxta theoriam epigenesis : « Ce dernier sentiment a été adopté par les facultés de médecine de Vienne et de Prague, par les universités de Reims et de Salamanque, par la plupart des facultés de théologie. La Sorbonne l'a qualifiée de *indubia doctrina*. Plusieurs conciles et un grand nombre d'évêques ont enjoint aux prêtres de s'y conformer dans la pratique, et cela sous les peines les plus sévères [3]. »

Sic ratiocinantur : Anima *potest* et *debet* immediate corpus informare : *potest*, cum enim vires vegetativas et sensitivas possideat, alias sine aliis exercere potest, sicut, v. g., infans vitam sensitivam sine rationali ; *debet*, nedum enim organismus ad animam requiratur, ipsa requiritur ad organismi non cujuscumque, sed humani formationem. — Secus enim dari nequit ratio — cur embryo initialis seu vegetativus alimentis organicis nutriatur et sentiat more animalis ; — item quomodo tres animæ sibi succedant in formatione hominis, quin lædatur unitas formæ substantialis, vel inducatur transformismus ; — denique cur, recedente anima rationali, non remaneat altera sensitiva.

C. — *Quibus perpensis*, quibusdam placet opinio inter utramque *media*, quæ, propter rationes secundæ sententiæ, in initio animam simul vegetativam et sensitivam inducit, cui postea tantum succedit anima rationalis, propter rationes prioris sententiæ [4]. Hoc in sensu vel in primo intellecta, probabilior videtur sententia S. Thomæ, sc.

« Subjecto sufficienter disposito animam infundi [5] ».

1. *Contra Gent.*, L. II, c. 89 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 2. — 2. Cf. *L'Animation immédiate réfutée* par le **P. Hilaire**. — 3. **D. Kergeradec**, *Mémoire à l'Académie*, 1860. — 4. Cf. **E. Blanc**, *Traité de philos. scol.*, t. II, n. 755-760. — 5. **Thesis Thomistica XV**a.

§ II. *De Ortu generis humani.*

Tria quæruntur : *quomodo* orti fuerint homines, an sint *ejusdem speciei*, an ab *uno conjugio* descendant.

217. Utrum per *evolutionem* vel a Deo factus sit homo [1] ?

Etiamsi in plantis et animalibus admitteretur transformatio specierum (Cosm., n. 125-126), speciales sunt rationes cur homini applicari nequeat. Unde

THESIS

Non ab animali per evolutionem, sed a Deo solo et immediate ortum habuit homo.

I. *Non ortum habuit ab animali.* A. — *Quoad corpus.*

Prob. ex Paleontologia. — Siquidem opinio darwiniana supponit in tota animalium familia adfuisse processum continuum quo paulatim, labentibus innumeris sæculis præhistoricis, ad naturam hominis animal pervenisset. Sed hoc est falsum, nam inter hominem èt simium quemcumque, sive gorilla, sive chimpanzé, sive orang-outang dicatur, maximus quidam viget ac semper viguit hiatus, « un abîme [2] », nec unquam potuit inveniri in antiquioribus terræ stratis species media, ut fatentur ipsimet adversarii, v. g., Virchow : « Pour la question de l'homme, nous sommes repoussés sur toute la ligne : il n'existe pas de proanthropos, il n'existe pas d'homme-singe ; le chaînon intermédiaire demeure un fantôme [3]. »

En præcipua Paleontologiæ data : 1° Fossilia humana in stratis geologicis non apparent ante ætatem *quaternarii medii. a*) In ætate enim *ternaria* silices,qui inventi sunt,non arguunt industriam entis intelligentis sed actionem mecanicam aquarum. « Toutes les formes de silex dites éolithiques (percuteurs, racloirs, enclumes, etc.) se trouvent sans exception à l'usine de Guervilles, près Mantes, où l'on soumet la craie avec ses rognons de silex à une action mécanique intense » [4].

b) In stratis autem *quaternario medio antiquioribus* inventæ sunt plus quam quadraginta et octo species simiorum, quarum nulla est intermedia inter simios superiores et homines.

2° In *quaternarii medii* stratis (époque chelléo-moustérienne) primum inventa sunt plus quam quinquaginta individua fossilia vere humana, quæ ad duplicem typum reducta sunt. Prior (Néan-

1. Cf. **Liberatore**, *Appendix ad Psychol.* : *De Homine simia* ; — **Farges**, *La Vie*, p. 313 et sq. ; — *Annales de phil. chrét.*, déc. 1897, janv. 1898 ; — *Où en est la question de l'Homme préhistorique ?* (1917) ; — **Guibert**, *Les Origines*, c. IV. — 2. **Dr Topinard**, *Science et foi*, in *L'Anthropologie et la science sociale*, 1900. — 3. *Congrès de Moscou*, 1892. — 4. **de Lapparent**, *Les silex taillés et l'ancienneté de l'homme*, p. 19-55 ; *Philosophie minérale*, p. 201 et sq.

derthal, Spy, La Chapelle-aux-Saints, etc.) præbet crania fere similia craniis hodiernis saltem apud incolas Australiæ [1]. Posterior (Galley-Hill, Cro-Magnon, etc.) habet crania fere similia craniis hominum actualiter degentium in Europa [2]. Uterque vero typus est dolichocephalis, sed ecce tertius typus brachycephalis et adhuc similior modernis, si fides recentioribus inventis, jam in lucem prodiit et apparet cæteris *coexistens* typis primæ ætatis (l'homme chelléen) [3]. Quod si tres illi typi sunt coexistentes, ergo alii ab aliis non descendunt processu continuo, ut jactitatant evolutionistæ. Hujus facti evidentiam recenter confessus est ipse Ed. Perrier (Direct. ad Museum Parisiense) : « La légende (?) de Cham, Sem et Japhet, qui représente les premiers types humains comme n'ayant qu'un lien de fraternité (dans la première famille humaine), paraît être la vérité [4] ».

Aliunde, instrumenta quæ prope fossilia inventa fuere, sicut et modus sepulturarum accuratus probant hos homines jam arte et industria præditos sed et religiosos fuisse [5].

Ergo hiatus immensus remanet inter primævos et simium.

Unde concludere licet cum D. Branco (Direct. Instit. paleontol. Berolini) : « L'homme apparaît sur la terre comme une espèce nouvelle, non comme un rejeton d'espèces antérieures. Tandis que la plupart des mammifères ont une longue suite d'ancêtres fossiles, l'homme apparaît tout à coup sans ascendance... Il apparaît déjà comme un parfait *homo sapiens* ; la plupart possédaient un crâne dont chacun de nous pourrait être fier. Quel est donc l'ancêtre de l'homme ? La réponse est la suivante : la Paléontologie ne connaît pas d'ancêtres de l'homme [6]. »

B. — *Nec quoad corpus et animam ortum habuit ab animali.*

Prob. ex utriusque hominis et simii notis : In tantum enim ab iisdem protoparentibus descenderent homo et simius, inquantum haberent eosdem *characteres* et ideo eamdem naturam : porro utriusque valde diversi sunt characteres sive *physiologici*, sive *psychologici* :

Physiologici quidem ; imprimis enim non eadem est organismi conformatio : « chaque os du gorille, ait de Quatrefages, porte une empreinte par laquelle on peut le distinguer de l'os humain correspondant... le plan général lui-même est fort différent et correspond à deux genres de vies bien distinctes. » Unde homines sunt incedentes, simii vero scandentes : porro, ut ait de Quatrefages : « Un animal marcheur ne peut pas descendre d'un animal grimpeur : c'est ce qu'a très bien compris Vogt [7]. » — Præterea,

1. **Wasmann**, *Die modern Biologie*, p. 478 ; — **De Cyon**, *Dieu et Science*, p. 376. — 2. **Muckermann**, *Catholic Encyclopedy*, p. 666. — 3. **Paul Combes**, in *Cosmos*, 22 oct. 1912, p. 457 ; 16 janv. 1913, p. 62 ; — **A. Rutot**, *Essai sur les origines... mise au point pour* 1911. — 4. *Causerie scientifique*, in *Le Temps*, 23 mai 1913. — 5. **Pervinquière**, *Le pithécanthrope*, in *Revue scient.*, 1909, p. 40. — 6. Cité p. **Wasmann**, *Die modern Biologie*, p. 487. — 7. *Unité de l'espèce humaine*, ch. 1, n. IV.

manus simii disponuntur ad reptandum, non autem, sicut manus hominis, ad artes fingendas. — Denique homo habet maximum cerebrum, sed et super omnes partes corporis elevatum, ut in eo dominetur caput, dum in simio gula est quæ dominatur.

Psychologici præsertim ; nemo enim unquam negavit simium et hominem quoad *genus* « animal » convenire, sed specie differunt, cum solus homo sit « rationalis » seu habeat animam spiritualem. Unde simius nec ullam habet ideam abstractam, nec ideo loquitur, nec ratiocinatur, nec fit religiosus aut moralis, nec proprio marte perficitur, imo nec inventis hominum utitur : quod profecto arguit naturam *specie* diversam et alterum petit modum originis. — Ergo simius et homo nec fratres, nec consobrini dici possunt, ut voluit Darwin.

II. Sed *a solo Deo quoad corpus et animam.* — Revera, triplex fingi potest hypothesis : vel corpus et anima primi hominis simul ab animalium generatione orta sunt ; vel corpus solum ab animali et anima a Deo ; vel utrumque simul a Deo.

Porro 1um ex dictis in prima parte theseos falsum est, nam intellectum a sensu, spiritum a materia oriri impossibile est. — 2um etiam, nam corpus ab animali conceptum vel est corpus humanum vel non humanum. Si prius, effectus major est causa et ruit principium causalitatis. Si posterius, corpus non humanum ab anima humana informari nequit, nam contradictorium esset formam unius speciei esse formam corporis alterius speciei. Quis enim putaret corpus formicæ ab anima leonis, aut turturis ab anima aquilæ informari posse ?

Ergo restat 3um, sc. a solo Deo immediate corpus et anima primi parentis oriuntur.

Adde quod viro catholico hæc assertio dubia esse non potest ; ideo erroneitatis non sunt immunes, qui solum naturalem influxum evolutionis admittunt, et interventum supranaturalem Creatoris negant in formatione corporis Protoparentis [1].

218. Utrum homines cuncti sint *ejusdem speciei* [2] ?

Negant Polygenistæ unitatem specificam omnium mundi incolarum ; ita Morton et Agassiz, Vogt et Strauss... juxta quos, variæ hominum stirpes quæ sub cælo sunt,idem sonant ac diversæ species. Contrarium affirmant celebriores naturalistæ, v. g., Linné, Buffon, Cuvier, A. de Humbolt, Müller, Flourens, de Quatrefages, quibuscum sit

1. Cf. **Farges**, *La Vie*, 313 ; — *La Science catholique*, an. 1895, p. 66-71. — 2. **Quatrefages**, *loc. cit.*, c. 8, 15, 13, 16, 18 ; — **Guibert**, *Les Origines*, c. v.

THESIS

Una et eadem est omnium hominum species.

Prob. — Ea individua sunt ejusdem speciei, quæ indefinite inter se propagari possunt cum iisdem characteribus essentialibus. Porro res ita se habet de omnibus generis humani individuis. Ergo cuncta sunt ejusdem speciei.

Constat *major*, — tum *auctoritate* doctorum, qui generationis speciem physiologicam hoc modo definiunt, — tum *positive* ex facta inductione circa animalia ejusdem speciei, — tum *negative* ex casibus hybridarum, qui post tertiam aut quartam generationem vel non perseverant, vel ad typum primitivum maris aut feminæ revertuntur (Cosmol., n. 126).

Probatur *minor*, nam 1. — *Connubia* non desunt inter diversas hominum stirpes, quarum generationes indefinita et sæpe majori fecunditate fruuntur. — 2. *Characteres* essentiales speciei humanæ sunt vel physici, vel intellectuales, vel morales ; — physici quidem, v. g., structura anatomica, varietates morborum, gradus caloris in sanguine, natura ciborum..., — intellectuales etiam, nempe ratio, ideo loquela, postea sociabilitas, inde progressus, necnon industria cum usu variorum instrumentorum ; — denique morales, ut sunt libertas, responsabilitas et religiositatis nota. Jamvero hæc omnia in omnibus variarum stirpium individuis, essentialiter eadem inveniuntur [1]. Ergo cuncta sunt ejusdem speciei.

Obj. — Variæ stirpes humanæ sive viventes, sive præhistoricæ multiplici discrimine differunt : nempe moribus, statura, colore, systemate piloso, angulo faciali, forma cranii et cerebri volumine ; ergo unitate specifica non gaudent.

Resp. *Dist. ant.* : et hæc sunt discrimina accidentalia seu in *gradu*, *conc.* ; essentialia et in *mecanismo*, *nego*, nam ex uno ad aliud facilis est transitus. Unde *nego cons.* : gradus enim non mutat speciem.

Inst. — Atqui hi characteres perseverant et indefinite propagantur. Ergo arguunt specificam differentiam.

Resp. — *Trans. ant.* — *Nego cons.* Sunt enim characteres physici accidentales, qui hæreditate transmittuntur. Porro illi characteres ob primitivam organismi plasticitatem ex circumstantiis innumeris oriri potuerunt : sicut enim in vallibus Helvetiæ, defectu solis, ad cretinismum hodiedum devenitur, ita, v. g., præ caliditate solis color niger majori secretione pigmenti, quod vulgo dicitur *Malpighi*, olim haud ægre acquiri potuit.

1. Cf. Vigouroux, *Les Livres Saints et la Critique rationaliste*, t. 3.

219. Utrum homines *ex uno conjugio* descendant [1] ?

Negant Evolutionistæ, qui ante Adamum infinita numero connubia admittunt, necnon Coadamitæ, juxta quos duo homines diversis temporibus a Deo conditi sunt : ab uno, qui ante Adamum creatus fuit, Gentiles ; ab altero, scilicet Adamo, descendunt Hebræi. Jamvero catholici, sive Præadamitarum, qui tempore Adami jam extincti essent, sive Coadamitarum existentiam negant. Unde sit

THESIS

Genus humanum ab uno conjugio, Evæ scilicet et Adami, natum fuisse, nil obstat, imo ratione suadetur.

1. *Nil obstat* : Triplici enim ratione nituntur adversarii, quæ una ex parte linguæ, altera ex parte temporis, tertia ex parte locorum desumitur. Porro ex his tribus nulla vincit :

Non 1ª ex parte *linguarum*, — tum quia, fatentibus doctis, ex diversitate linguarum argui non posset diversitas originis ; — tum etiam quia, quo magis progreditur scientia philologica, eo probabilior evadit linguarum omnium identitas [2].

Non 2ª ex *parte temporis*, quasi per spatium quatuor aut sex millium annorum ab Adamo, genus humanum adeo propagari et in diversas stirpes diversificari non potuisset. — Nam, præterquam quod non una est opinio circa veterem chronologiam, non multo longius tempus ad multiplicationem generis humani requirit statistica, nec ad stirpium diversitatem zoologia recentiorum.

Nec 3ª seu ex parte *locorum*, quasi nempe genus humanum quod in Asia incepisse videtur, exinde in Americam vel in insulas dissitas transire non potuisset. — Hoc enim multiplici modo explicatur et revera futile est [3].

II. Imo *ratione suadetur*, nempe tum historica, tum linguistica. Revera antiquissimæ populorum traditiones, apud Eusebium, Berosum, Orpheum, Hesiodem et alios, cunctæ narrant hominum fuisse communem originem.

Præterea unitas omnium gentium probabilius probata manet ab origine linguæ communis.

1. Cf. *Opus.* **Petavii**, Ed. Vivès, t. IV, 123-134. — 2. Cf. **Max Muller**, *L'unité du langage.* — 3. Cf. **Vigouroux**, *loc. cit.* ; — Cf. *Questions actuelles*, t. 37, p. 219.

CAPUT QUARTUM.

DE VITA FUTURA HOMINIS.

Postquam inspeximus existentiam, naturam et originem hominis, restat ut futuram ejus destinationem inquiramus. Quæri potest an *perennis* et *quænam* futura sit vita hominis. Unde duplex articulus : I^us de *Immortalitate* animæ ; II^us de *Statu* alterius vitæ.

ARTICULUS I.

De Immortalitate animæ[1].

220. Status quæstionis de *immortalitate animæ.*

A. — Ecce quidem quæstio maximi *momenti*. « L'immortalité de l'âme est une chose qui nous importe si fort, et qui nous touche de si près, qu'il faut avoir perdu tout sentiment pour être dans l'indifférence de savoir ce qui en est[2]. » Estque philosophica, cum ex jam notis de statu animæ conjunctæ, sumenda sit solutio de statu animæ separatæ.

B. — Triplex autem immortalitas *distingui* solet : una quidem *absoluta*, qua quis non potest mori ; alia *naturalis* seu per naturam impertita, qua quis potest non mori ; tertia verò *supernaturalis*, qua quis ex dono gratiæ concesso non moritur. Jamque Deus, et ipse solus, immortalitate absoluta seu æternitate fruitur ; immortalitas naturalis omni substantiæ spirituali competit ; immortalitas vero supernaturalis etiam corpori concedi potest ex dono Dei gratuito.

C. — In præsenti quæstione, *agitur* de immortalitate in secundo sensu ; ad quam tria requiri videntur : 1° ut animæ substantia, post corporis dissolutionem, in esse *permaneat* ;

1. **S. Augustinus**, *De Vita beata, De Spiritu et Anima* ; — **S. Cyprianus**, *De Mortalitate* ; — **Suarez**, *De anima separata* ; — *Comment.* Collegii Conimbricensis, S. J., *De Anima Aristotelis* ; — **Massillon**, *Vérité d'un avenir* ; — **Frayssinons**, *Conférences sur l'immortalité de l'âme* ; — **Th.-H. Martin**, *La vie future suivant la foi et suivant la raison* ; — **F.-L. Poisson**, *Entretiens sur la vie future* ; — **D. Barbe**, *De l'immortalité de l'âme* ; — **Farges**, *Le Cerveau*, c. IX ; — **Mercier**, *Psych.*, t. II, n. 281-293 ; — Cf. tredecim argum. apud **Toletum**, *de Anima*, L. III, c. 5, q. 16. — Apud paganos, **Aristoteles**, *Ethic.*, lib. IX ; — **Plato**, *Phædo* ; — **Tullius**, *Epist. ad Atticum*, lib. X, *De Finibus*, lib. II, *De Senectute*, *Tuscul.*, V ; — **Seneca**, *De Vita beata*. — 2. **Pascal**, *Pensées*, II, art. 2.

2° ut vita individua et *conscia* adhuc fruatur ; nam, simplex permanentia in esse, more materiæ indestructibilis, male diceretur immortalitas ; 3° ut hæc vita per se sit *perennis*.

D. — Porro *primum* in periculo ponunt sensistæ, probabile tantum reputavit Scotus [1], negant autem inter veteres, Epicurei, Sadducæi tempore Jesu-Christi et materialistæ cujusvis ætatis. — *Secundum* impugnant Pantheistæ, juxta quos anima per mortem in sinum divinitatis revertitur, necnon fautores metempsychosis et progressus indefiniti. — Contra *tertium* dupliciter peccant philosophi, dum alii, nempe Stoici, tribuunt animæ separatæ durationem finitam ; alii vero asserunt eamdem ne potentia quidem Dei perire posse.

E. — Adversus hos omnes et in præfato sensu *possibilitatem* et *certitudinem* immortalitatis cum celeberrimis philosophis vindicabimus, demonstrando quod anima *intrinsece*, videlicet « natura sua incorruptibilis est atque immortalis [2] » ; et quod *extrinsece*, nempe, vi quadam externa, non destructur. Unde duplex paragraphus.

§ I. *De Intrinseca animæ immortalitate.*

221. Utrum et quatenus anima sit immortalis *intrinsece* ?

THESIS

Anima intrinsece, seu ex natura sua, immortalis est.

Arg. gen. — Tria, ex dictis, ad immortalitatem intrinsecam requiruntur et sufficiunt ; nempe, ut, dissoluto corpore, anima servet suum *esse*, suum *operari* conscium, et hoc *perenniter*. Porro *metaphysice* hæc tria sunt in natura animæ humanæ.

I^um^ *quidem*. — Etenim, substantia perire potest *per se*, vel *per accidens* : per se, quum separatur a principio suo formali et constitutivo, ita corpus ab anima sejunctum dissolvitur ; per accidens, quando spoliatur subjecto, in quo tantum habet esse, et sine quo vitam exercere non potest, sicut anima belluina. Mens autem humana nec per se, nec per accidens interire potest ; non per se, quia est substantia simplex, quæ dissolvi non potest ; non per accidens, quia, cum spiritualitate gaudeat, habet suum esse in se et non eget absolute organis materialibus ad exercitium propriæ vitæ [3]. Ergo perire nequit.

1. In *IV Dist.* 43, q. 2, sch. 3. — 2. **Thesis Thomistica XV**a. — 3. Cf. S. **Thomas**, *Quæst. disp.*, *De Anima*, a. XIV ; — *De Generatione et Corruptione* ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 6 ; — *Quodl.* X, a. 6.

Confirmatur, quia nulla forma corrumpitur nisi vel actione contrarii, vel per defectum suæ causæ, vel corruptione sui subjecti. Sed anima rationalis — 1. receptiva quidem est omnium contrariorium, sed ipsi nihil est contrarium ; — 2. nullam habet causam, a qua dependet, nisi divinam ; — 3. sicut, debilitato corpore, in operando non debilitatur, ita, dissoluto corpore, in esse suo non desinit [1].

IIum *etiam*, nam facultates et operationes, more accidentium, sequuntur sortem subjecti cui inhærent, et principii a quo defluunt. Hoc autem posito :

1º Anima a corpore separata vitam vegetativam et sensitivam servat tantum *in radice* ; nam, ut dictum est (n. 15-16), animæ essentia jure dicitur omnium facultatem *radix* et principium. Sed actus hujus vitæ exercere nequit ; ad exercitium enim hujusmodi requiruntur organa corporea.

2º Anima separata non solum in radice, sed etiam in *actu* habet vitam inorganicam seu rationalem ; id est *intelligere* et *velle* pergit ; nam seipsam percipit, scientiam et affectiones præteritas servat, imo novas acquirere potest, ut infra dicetur (n. 222). Et vero, intellectus et voluntas sunt facultates spirituales, quarum evolutio intrinsece non pendet a materia [2]. Ergo anima, corpore dissoluto, vivere pergit, more spiritus puri, facultates suas spirituales exercendo.

IIIum sane A — *Sequitur* e duobus primis : quum enim anima separata naturaliter servet suum esse suamque operationem, utrumque servat quamdiu servat suam naturam, sc. perenniter.

Sed B. — *Positive exigitur* ex innato immortalitatis desiderio, sicque metaphysica argumento *psychologico* firmatur.

Prob. — Revera omnibus hominibus ingenitum est desiderium futuræ immortalitatis ; sed omne desiderium, ex ipsamet natura legitime defluens, finem suum consequi debet ; anima igitur, psychologice spectata, futura est immortalis.

Constat *major*. — Nam « quodlibet intelligens naturaliter desiderat esse perpetuum, non solum ut perpetuetur esse secundum speciem, sed etiam secundum individuum [3] ». — *Hinc* est cur homo per totam suam vitam morem gerat entis immortalis : « L'éternité est si bien dans sa nature qu'il ne saurait rien demander ni rien donner sans promettre l'éternité [4]. »

Constat *minor*. — Nam « impossibile est naturæ desiderium

1. *Contra Gent.*, L. II, c. 55, 79-82. — 2. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 86, a. 6. — 3. *Contra Gent.*, L. II, c. 55. — 4 **P. Janet**, *La Famille*, p. 361.

esse inane : natura enim, ut scientiis constat, nihil facit frustra [1] » ; frustra autem et contradictoria esset anima, si naturaliter appeteret id quod naturam suam superaret. — Eo magis, quod illud desiderium ab Auctore naturæ sumpsit exordium : et ideo Deus rem frustra egisset, imo decepisset hominem, nisi reapse anima futura esset immortalis.

Consequentia urgetur, siquidem « perfectiones oportet esse perfectibilibus proportionatas [2] » ; porro anima per se incorruptibilis est : ideo cor hominis « quod vix ad unius milvi refectionem sufficere potest [3] », sublimia æternaque sapiendo, nihil aliud appetit, nisi naturalem suam perfectionem.

Confirmatur major, nam æternitatis beatæ desiderium :

1. *His in terris* acuitur ex omnimoda incompletione vitæ temporalis : hæc enim multis repletur miseriis, et ratione virtutis, scientiæ et beatitudinis undique deficit ; unde clamat S. Augustinus : « Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te [4]. »

2. *In altera* autem *vita*, nedum cesset, de die in diem crescere debebit. Revera, « Le désir d'une telle vie (immortelle) s'élève et se fortifie d'autant plus en nous que nous méprisons davantage la vie sensuelle et que nous cultivons avec plus de souci la vie de l'intelligence [5]. » Porro, post mortem, intellectus sese nutriet summa et incorruptibili veritate, voluntas summo et incorruptibili bono fruetur. Ergo magis ac magis fiet incorruptibilis.

222. En *objectiones* contra immortalitatem intrinsecam.

Obj. 1. — Ex ipsa animæ *natura* [6]. — Omne ens, suo fine expleto, esse desinit ; atqui anima nata est ad corpus informandum ; ergo, corpore soluto, mens esse desinit.

Resp. *Dist. maj.* : ens esse desinit, fine suo *totali* expleto, *conc.*, fine *partiali*, *nego.* — *Dist. min.* : anima nata est ad informandum corpus humanum, *transitorie*, ut ad finem *partialem*, *conc.* : *essentialiter*, ut ad finem *totalem*, *nego.* Unde, *nego consequens.* Id est, quum omne ens sit conditum ad finem quemdam sibi proprium, nulla est ratio cur in esse pergeret postquam finem suum explevit ; ergo nec anima humana, si cessaret finis animæ proprius. Sed anima humana, quum sit *spiritualis*, non potest ordinari ad corpus humanum ut ad finem sibi proprium, eo quod essentialiter repugnat superiorem ordinari ad inferiorem. E contra, dicendum est corpus ordinari ad animam ut ab ea recipiat vitam vegetativam et sensitivam, eique porrigat instrumentum, quo utatur in statu præsenti : finis autem animæ est cognoscere et amare Deum, Eoque perpetuo frui.

1. *Contra Gent.*, *Ibid.* — 2. *Contra Gent.*, L. II, c. 79. — 3. **Hugo a S. Victore**, *De anima*, III, c. 31. — 4. *Confess.*, I, c. I. — 5. **Bossuet**, *Connais. de Dieu*, c. v. — 6. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 461-464.

Obj. II. — Ex *operationibus* animæ [1]. — Post mortem, nulla sunt phantasmata. Sed intellectus nihil intelligit nisi se convertendo ad phantasmata. Ergo post mortem nequit intelligere ; et ideo permanentia animæ quædam esset lethargia, quæ morti æquivaleret.

Resp. *Conc. maj.* — *Dist. min.* Sine phantasmatibus anima nihil intelligit in *præsenti statu*, trans. ; *in altero statu*, nego. Revera phantasmata in præsenti statu, sunt conditio naturalis intellectionis, sed tantum extrinseca, ut jam explicavimus (n. 83, 84, 136, 171) et ideo ad essentiam cognitionis intellectualis non pertinent. Cæterum illa conditio, in altera vita multiplici modo suppleri concipitur : — 1° per species jam ope sensuum comparatas : has enim, discedens a corpore, servat anima et cum eis intelligere pergit ; — 2° per contemplationem ipsius animæ, quæ objectum est intelligibile, intellectui præsens ; — 3° per commercium cum aliis animabus vel spiritibus, quæ in se invicem agere possunt ; — 4° præsertim vero per species, quas recipit « ex influentia divini luminis, sicut et aliæ substantiæ separatæ [2] ».

Obj. III. — *Ex innato desiderio.* — Omne animal vitam appetit ; atqui talis appetitus non probat brutum esse immortale ; ergo a pari.

Resp. *Dist. maj.* : omne animal appetit *conservationem* vitæ præsentis, *conc.* ; vitam *futuram* et *immortalem*, nego. — *Conc. min.*, sed *nego cons.* et paritatem. Omne animal propter instinctum a natura inditum vitæ conservationem appetit, eo quod vita est bonum suum ; sed brutum non potest appetere vitam futuram et immortalem, in qua mens felicitate perpetua fruitur, quia desiderium hujusmodi supponit notiones abstractas et spirituales, quæ non inveniuntur in brutis.

§ II. *De Extrinseca immortalitate animæ.*

223. Utrum de facto anima certo sit immortalis *extrinsece* ?

Intrinsece spectata, anima perire nequit, pereunte corpore. Sed ut vera et perenni gaudeat immortalitate, requiritur insuper ut *nulla vi extrinseca* possit annihilari. Unde sit

THESIS

Anima humana extrinsece immortalis est.

Arg. gen. — Animæ de facto nunquam fieri annihilationem, *ratione* et *auctoritate* probatur. Ergo immortalis est.

I. *Ratione*, sic : vel anima destruitur vi cujusdam substantiæ creatæ, vel annihilatur a potentia Dei, vel est immortalis extrinsece ; sed duo priora dici non possunt ; ergo ultimum.

1. *IV Sent.* dist. 4, q. 1, a. 7, ad 3 ; — Cf. *L'âme séparée*, in *Revue August.*, mai 1909. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 89, a. 3 ; — Cf. **Farges**, *Le Cerveau*, p. 464-471 ; — **Mgr Cholet**, *La Psychologie surnaturelle.*

Non I^{um}. — Nam substantia interimi nequit, nisi ab ente sub cujus potestate existit et a quo pendet. Sed anima a Deo solum immediate existit et pendet ; ab eo enim originem immediate accipit, illius concursu solum indiget ex natura sua ut intelligere et velle possit, necnon ad eum ordinatur ut ad finem ultimum. — *Præterea*, creare et annihilare eamdem requirunt potentiam ; sed creare est actus virtutis infinitæ (Theod., n. 111) ; ergo et annihilare, secundum ea S. Doctoris : « In nulla creatura est virtus, quæ possit vel de nihilo aliquid facere, vel aliquid in nihilum redigere[1]. » Ergo nulla vis creata animam humanam interimere potest.

Non II^{um}. — Nam Deus *potest* quidem, sed non *debet* animam humanam annihilare.

A. — *Potest ex sua virtute absoluta.* Potentia absoluta extenditur ad id omne quod non involvit intrinsecam contradictionem. Quod autem ens contingens, sicuti est anima, esse desinat postquam inceperit esse, nullam involvit contradictionem. Ergo, potentia Dei absoluta, anima potest annihilari[2].

B. — *Non debet* seu etiam *non potest ex potentia ordinata.* Potentia Dei ordinata ea est, vi cujus aliquid facit omnium suorum attributorum habita consideratione. Illius autem attributa, præcipue justitia, sapientia, bonitas, huic annihilationi obsistunt. Deus igitur animam in nihilum non rediget.

Constat minor ex parte hominis et ex parte attributorum Dei.

Primo quidem ex parte hominis seu *generatim* ex funestis annihilationis *consectariis*. Negata enim immortalitate, — 1. homo pejoris est sortis quam bellua, quippe nunquam, sicut ipsa, perfecte satiatur ; — 2. Quare vita præsens est saginarium in quo, more animalium, oportet sibi procurare maximam gaudiorum summam ; — 3. Et quidem per fas et nefas, et etiam per anarchiam in societate civili ; — 4. Secus autem vincit doctrina pessimismi et desperationis. Quæ quidem omnia in se repugnant, — magis autem si spectántur ex parte Dei attributorum. Unde

224. — *Probatur immortalitas ex singulis attributis divinis.*

1. *Justitia* postulat ut Deus unicuique reddat secundum opera ejus. Sæpe autem in hac vita justus non solum merce-

1. *Quæst. disp., de Pot.*, q. 5, a. 3, ad 15. — 2. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 104, a. 2.

dem non accipit, verum etiam persecutionem patitur, ut martyr qui morte acerbissima necatur ; e contra, nonnunquam impius abundat divitiis, honoribusque cumulatur, ut constat experientia quotidiana ; et etiam evenit ut nonnulli, post vitam longævam omni criminum genere fœdatam, nulla pœnitentiæ indicia præbeant. Necesse est igitur ut *existat altera vita*, in qua Deus obeat munia remuneratoris et ultoris : secus enim vana est justitia Dei :

« Quand je n'aurais d'autre preuve de l'immortalité de l'âme que le triomphe du méchant et l'oppression du juste, cela seul m'empêcherait d'en douter. Une si choquante dissonance dans l'harmonie universelle me ferait chercher à la résoudre ; je me dirais : « Tout ne finit pas pour nous avec la vie, tout rentre dans l'ordre à la mort [1]. »

2. *Sapientia* conditoris requirit ut opus suum contra ejus indolem intrinsecam non destruat : secus enim esset architectus qui ædificat ut destruat, aut agricola qui plantat ut eradicet. Porro anima humana, ut vidimus, est immortalis ex natura sua. Ergo repugnat sapientiæ divinæ ut mens humana *in nihilum redigatur*. — Præterea, non videtur cur et quo *motivo* Deus, qui materiam ipsam non annihilat, substantias ex se « perpetuas », « incorruptibiles » et spirituales interimeret [2].

3. *Bonitas* exigit ut anima sit *immortalis* et vita *perenni* gaudeat. Nempe, qui summum bonum summanque felicitatem appetit, nulla beatitudine frui posset, si Deum, quem diligit, et vitam, cui pro suis viribus adhærere nititur, amittere deberet : « Si amitti vita beata potest, ait Tullius, beata esse non potest. Quis enim confidit sibi semper illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit ? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est ne aliquando, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest [3]. » Sed anima, ex una parte, summum bonum summamque felicitatem appetit ; iis autem, ex altera parte, frui plene non potest in vita præsenti. Ergo bonitas divina exigit ut sit vita futura, in qua mens perenni felicitate gaudeat (n. 221, III).

1. **J-J. Rousseau**. — 2. *Contra Gent.*, L. II, c. 55 ; — L. III, c. 69 ; — **Monsabré**. *Conf. N.-D.*, 1875. — 3. *De Finibus*, L. II, c. 27 ; — Cf. **La Luzerne**, *Dissertation sur la loi naturelle*, c. III, n. 51.

Obj. — Argumentum ex attributis Dei depromptum supponit in homine quoddam jus ad immortalitatem ; atqui homo nullum jus habet ad immortalitem ; ergo fundamento caret argumentum.

Resp. *Dist. maj.* : argumentum ex attributis Dei depromptum supponit in homine jus *late* sumptum, *conc.* : jus *stricte* sumptum, *nego.* — *Dist. min.* : homo non habet ad immortalitem jus *strictum*, *conc.* ; jus *late* sumptum, *nego.* — *Nego cons.* Videlicet, indubium est Deum nullis officiis erga homines adstringi et nihil eis debere « ex toto rigore justitiæ », ut aiunt ; unde, absolute Deus animam in nihilum redigere posset. Jus autem aliud minus strictum et « ex *congruo* » reperitur in homine, nam in vita præsenti virtus mercedem et vitium pœnam non accipiunt. Ergo in altera recipiant oportet.

Inst. — Pax conscientiæ in justis, stimulus conscientiæ in impiis possunt haberi ut sufficiens præmium virtutis et pœna vitii. Ergo nil ultra requiritur.

Resp. *Nego ant.*, nam in quibusdam justis pax conscientiæ multis angoribus turbatur, dum e contra stimuli conscientiæ paulatim minuuntur in impiis ex ipsamet habitudine vitii.

225. II. *Auctoritate* certo probatur immortalitas animæ.

Dogma immortalitatis animæ unanimi consensu generis humani et philosophorum admittitur : ergo certum est.

A. — Probatur *consequentia* : quippe circa veritatem hujus momenti, ad mores instruendos necessariam et sine qua lex divina sanctionem sufficientem non haberet, omnino repugnat quod genus humanum et fere omnes philosophi in errorem invincibilem incidere possint.

Dices : immortalitatis dogma captum generis humani superat. Ergo de ipso dari potest error communis et invincibilis.

Resp. *Nego ant.* ; unde, *nego cons.* — Genus quidem humanum non cognoscit *explicite* rationes, quibus immortalitas animæ demonstratur, et etiam non habet notionem claram et scientificam de statu animæ a corpore nostro separatæ ; sed omnes facile intelligere possunt hæc duo, videlicet : *existit* altera vita, et ea est *perennis* ; ergo dogma immortalitatis animæ, in eo sensu acceptum, minime superat captum hominis. — *Præterea*, merito dicitur una ex his veritatibus, quæ necessariæ sunt ad mores componendos. — *Denique* non sumpsit originem a passionibus, nec ab ignorantia, nec ab errore communi sed ex inspiratione naturæ hominis, secundum illa Ciceronis : « Quod si omnium consensus naturæ vox est, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est [1]. » (Log., n. 183, 239).

1. *Tuscul.*, L. I, c. XV.

B. — Probatur *antecedens*, ut dictum est, duplici ex parte :

1º Ex *consensu generis humani.* — Omnes populi, tum sylvestres [1], tum exculti semper et ubique, fide unanimi constantique tenuerunt animas non solum corpori superstites, sed etiam immortales esse : « Uti deos esse natura opinamur, ait Tullius, sic *permanere* animas arbitramur consensu *nationum omnium* [2]. » Ad rem scripsit Bossuetius : « Les histoires anciennes et modernes font foi que cette idée de la vie immortelle se trouve confusément dans toutes les nations qui ne sont pas tout à fait brutes. Mais ceux qui connaissent Dieu l'ont très claire et très distincte [3]. »

Ea fides constans et universalis probatur : — *a*) ex *usu sepulturarum* etiam apud homines præhistoricos : « Le soin donné aux sépultures atteste que les chasseurs de Menton, comme ceux de Solutré et de Cro-Magnon, pensaient que leurs morts avaient des besoins au delà de la tombe [4] » ; — *b*) ex *cultu mortuorum* ; ita, v. g., quidam mortui numero deorum a paganis adscripti sunt, ob suam eximiam virtutem [5]; — *c*) ex *cura futuri* omnibus insita ; nam juxta Tullium, « maximum argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animarum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, et maximæ quidem, quæ post mortem futura sunt [6] ». « Un soing extresme tient l'homme d'allonger son estre, il y a pourveu par toutes ses pièces : pour la conservation du corps sont les sépultures, et pour la conservation des noms, la gloire [7] » ; — *d*) ex *modo loquendi* hominum ; etenim, amicus amico fidem æternam promittit, et voces illæ, immortalitas, æternitas, gaudia sempiterna, felicitas perpetua, communiter ab omnibus usurpantur : « Ecoutez (l'homme) : ses promesses sont immuables, ses douleurs perpétuelles, ses amours éternelles, ses gloires séculaires. c'est-à-dire qu'il parle comme il agit, en être immortel [8]. »

2º Ex *auctoritate philosophorum.* — Notum est philosophos fere omnes in immortalitate animæ asserenda et probanda consentire. Quis enim ignorat Socratem, Platonem, Aristotelem, Tullium aliosque *veteres* haud paucos docuisse mentem humanam esse « æternam (Plato) », « incorruptibilem (Aristoteles) », « immortalem (Cicero) ». Quis non miraretur Tullium dicentem: « Disjungamus nos a corporibus, id est consuescamus mori. Hoc, et dum erimus in terris, erit illi cælesti vitæ simile ; et quum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum... Quo quum venerimus, tum denique vivemus. Nam hæc quidem vita mors est ; quam lamentari possem, si liberet [9]. »

Eamdem veritatem plerique philosophi *recentes* ingenio conspicui enixe propugnant ; inter quos unus minime suspectus in

1. Cf. **Mgr Le Roy**, *La Religion des Primitifs*, p. 217 et passim. — 2. *Tuscul.*, *ibid.* ; — Cf. **Lamennais**, *Essai sur l'indifférence*, XXIV, etc. — 3. *Connaissance de Dieu*, c. v. n. 14. — 4. **De Quatrefages**, *Espèce humaine*, p. 244. — 5. Cf. **Seneca Tragicus**, *Octavia*, v. 505 ; — **Tullius**, *De moribus*, 1, 7. — 6. I. *Tuscul.*, XII, XIV ; **Seneca**, *Epist.*, XCII. — 7. **Montaigne**, *Essais*, L. II, c. XII. — 7. **F.-L. Poisson**, *Entretiens sur la vie future* ; — **Janet**, *La famille*, p. 360. — 8. *Tuscul.*, I, 31 et 26 ; — Cf. SS. Patres. **S. Ambrosius**, *De fide Resurrect.*, lib. II, n. 40 ; — **Bossuet**, *Lettres de piété*, 169.

medium afferri potest : « Non, j'ai trop souffert en cette vie, ait J.-J. Rousseau, pour ne pas en attendre une autre. Toutes les subtilités de la métaphysique ne me feront pas douter un instant de l'immortalité de l'âme [1]. »

ARTICULUS II.

De Statu alterius vitæ.

Hic status *physice* vel *moraliter* inspici potest. Unde duplex erit paragraphus : 1us de *Resurrectione* hominis ; 2us de *Æternitate pœnarum.*

§ I. *De Resurrectione.*

Ex supra dictis, anima est immortalis : unde post corporis mortem vel sola vivet, vel suo vel alii corpori rursus unietur.

226. Quisnam sit status animæ *separatæ* [2] ?

Quod anima in statu separationis intelligere possit, supra demonstravimus (n. 222). Hic ergo de natura hujusce status sit altera

THESIS

Anima in statu separationis, sub uno respectu liberior, sub altero imperfectior est.

Probatur Ium. — *Separata* enim 1. — anima non conservat nisi radicaliter potentias sensitivas, vegetativas et locomotivas : ergo illorum exercitio non distrahitur nec in eis activitatem suam deperdit.

2. Similiter post mortem, anima sortitur modum existendi spirituum ; sed modus essendi importat modum operandi ; ergo post mortem anima more spirituum intelligit et vult : quod profecto per se perfectius dici debet. Unde S. Thomas : Anima post mortem « quodammodo est liberior in quantum per gravedinem et occupationem corporis a puritate intelligentiæ nonimpeditur [3] ».

Probatur IIum. — Hic tamen status, relative ad naturam animæ, aliquid *imperfectum* includit. Revera hic modus essendi solus dici debet perfectus, qui naturæ entis proportionatur ; porro naturaliter animæ plura competunt, quibus in statu separationis frui non valet ; ergo status separationis sine imperfectione non est.

Probatur *minor*, nam tria post dissolutionem corporis ab anima desiderantur : — unio cum corpore ad quem habet intrinsecam proportionem et appetitum naturalem : — exinde conversio ad phantasmata, quibus melius et distinctius quam speciebus infusis

1. *Lettre*, à l'occasion du poème de Voltaire sur le désastre de Lisbonne ; — Lamennais, *Essai sur l'indiff.*, c. XVI. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 89 ; — Liberatore, *Psych.*, c. II, n.77 ; — Sanseverino, *Anthrop.*, n. 262. — 3. *Sum. Theol.* p. I, q. 89, a. 2, ad 1.

intelligere nata est ; — et consequenter cognitio sensibilis rerum corporearum, quas separata anima nonnisi cognitione spirituali apprehendere potest.

Hinc status separationis sub omni respectu perfectior dici nequit : secus unio cum corpore naturalis dicenda non esset. Sed contra

227. Utrum anima suo corpori rursus *uniri debeat*[1] ?

THESIS

Viget quædam resurrectionis naturalis necessitas.

A. — *Sensus.* — Animam per se solam novum sibi corpus formare posse non dicimus : quod soli Deo tribuendum esse et ideo miraculosum, ratione et fide probatur. — Nec agitur de resurrectione incorruptibilis et gloriosi corporis, sed de resurrectione, quatenus implicat novam unionem animæ et corporis, quod etiam minus aggravet animam. Hoc in sensu tantum dicimus resurrectionem esse *aliquatenus* naturalem[2].

B. — *Argumenta* tria sunt, *metaphysicum*, *psychologicum* et *morale* ; quæ simul sumpta majorem vim habent.

1. Ratio cur Deus condiderit ens ex anima et corpore compositum, perseverat in æternum ; ergo tandem aliquando anima corpori de novo unietur. — Probatur *antecedens*, siquidem omnino destrui possunt creaturæ quæ ad finem alterius consequendum tantummodo conditæ sunt, non autem homo qui finis est et compendium creationis mundanæ, vinculum mundi corporei et spiritualis : « Par conséquent, il ne saurait périr, ou s'il tombe un moment, quant à la partie inférieure de son être, c'est pour se relever à jamais au jour de la résurrection[3]. »

2. Homo ex anima et corpore ita coalescit, ut ex utroque resultet unum ens tum in natura, tum in esse, tum in operari : ergo etiam in suo fine ultimo. — Probatur *consequens* : secus enim harmonia, hactenus servata, in fine rumperetur. « Ne faut-il pas qu'il en soit de sa fin et de sa destinée comme il en est de sa naissance, de sa nature, de sa vie animale, de ses actions, de ses passions, c'est-à-dire que tout cela soit commun à tout l'homme et que la fin de l'homme soit proportionnée à sa nature[4]. »

1. Cf. **Mercier**, *Psychol.*, t. II, n. 286-293. — 2. Cf. *Sum. Theol.*, Suppl. q. 78, a. 3. — 3. Cf. **Mgr Freppel**, sur *Athénagore*, traité de la Résurrection. — 4. **Mgr Freppel**, *loc. cit.*

3. Homo non tantum animæ sed corporis auxilio bonum et malum egit : ergo utrique merces aut pœna debetur. « Et sic patet, quod si homo in hac vita non potest esse beatus, est necesse resurrectionem ponere[1]. »

228. Hinc vana est *metempsychosis* seu palingenesia.

A. — Progressistæ recentes, cum nonnullis transformismi fautoribus, *metempsychosim* veterum, sub nomine novo *palingenesiæ*, renovarunt. — Metempsychosis, quæ dicitur etiam « transcorporatio seu transanimatio » viguit olim apud Indos, Sinenses, Ægyptios et alias gentes antiquas, et recte definiri potest : *systema eorum qui tenent animas, uno corpore exutas, in aliud migrare.* Quod his verbis expressit S. Thomas : « Omnes qui posuerunt animas extra corpora creari, posuerunt transcorporationem animarum, ut sic anima exuta a corpore uno, alteri corpori uniretur, sicut homo exutus uno vestimento, induit alterum[2]. » — Palingenesia recentiorum nonnisi nomine discrepat a Metempsychosi veterum : defensores enim hujus theoriæ contendunt animas, ratione progressus infiniti, ex uno corpore in aliud magis perfectum transire : sic, juxta Michelet, anima infelicis plebeii migratura est in corpus divitis opulentissimi[3].

B. — Tale systema *conscientiæ* et *rationi* contradicit. Etenim, — ex una parte, nemo conscius est quod olim in alio corpore exstiterit, secundum ea Voltarii : « Pour que la Métempsycose pût être admise, il faudrait que quelqu'un de bonne foi se ressouvînt bien positivement qu'il ait été un autre homme » ; — ex altera parte, quoad vitam futuram, assertio migrationis animarum non solum est mere gratuita, sed etiam omnino jocosa, meritoque dicitur a S. Augustino « ludibrium quorumdam philosophorum, de quo eorum posteri erubuerint[4] ».

Aliunde, Palingenesia fere universali philosophorum *auctoritate* invicte rejicitur. Fidei etiam catholicæ contradicit ; nam Ecclesia prædicat « animam in resurrectione idem corpus reassumere, quod deponit[5]. »

§ II. *De Æternitate pœnarum.*

229. Quid de *pœnarum æternitate* sit sentiendum[6] ?

Hic articulus de æternitate pœnarum inscribitur : nam de æterna beatitudine non est difficultas inter auctores ; siquidem, fere omnes admittunt beatitudinem æternam ex ratione demonstrari posse. — Similiter et pœnarum existentiam, cum « anima separata pati quidem possit[7] » ; ast de earumdem æternitate major est difficultas, nam talis pœna : — 1. *bonitati*

1. *Sum. Theol.*, Supp., q. 78, a. 1 ; — 1a 2æ, q. 4, a. 5. — 2. *Quæst. disp., de Pot.*, q. 3, a. 10. — 3. *Le Peuple*, item Reynaud, Enfantin. — 4. *De Genes. ad litt.*, L. VII, c. 9. — 5. *Contra Gent.*, L. II, c. 44. — 6. **Ferretti**, *Int. phil. mor.*, t. I, p. 538. — 7. *Quæst. disp. de Anima*, a. 21.

Dei repugnare videtur, præsertim cum ipse damnandos præsciverit et tamen creaverit ; — 2. *justitiæ* etiam, cum enim sit æterna, peccati temporanei malitiam longe excedit ; præterea — 3. *sanctitati*, nam, sicut omnis pœna, deberet esse correctiva, dum e contra vindictam sapit ; quare — 4. et *sapientiæ*, melius enim esset impium in inferno vel aliquando converti posse vel annihilari. — Ita Rationalistæ, contra quos sit

THESIS

Ratione suaderi potest pœnarum æternitas.

Suadetur hæc æternitas tribus argumentis : uno ex parte Dei, alio ex parte hominis, et ultimo ex traditione generali.

A. — Ex parte *Dei*. — Malum morale offendit Deum, nempe Majestatem infinitam ; cumque gravitas injuriæ desumatur ex Majestate Dei offensi, secundum adagium, *offensa est in offenso*, stat bene quod malum morale est injuria simpliciter aut saltem *objective* infinita ; porro convenit injuriam infinitam pœna quodammodo infinita expiari ; ergo malum morale pœnis æternis, id est *extensive* saltem, si non intensive infinitis, expiari debet.

B. — Ex parte *hominis*. — Separatio a Deo cessare non debet quamdiu non cessat peccatum ; sed peccatum animæ damnatæ nunquam cessare potest ; ergo separatio a Deo erit æterna. — Probatur *minor*, nam peccator, e vita decedens, constituitur in statu perennis inordinationis ; peccatum enim elegit ut finem ultimum, et nunquam a Deo veniam est impetraturus, quia non potest admitti series indefinita probationum.

« Semper defectus, quo subtrahitur principium, irreparabilis est : sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi sola virtute divina. Et ideo si per peccatum corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis subditur Deo, erit *inordinatio*, quantum est de se, irreparabilis, etsi reparari possit virtute divina [1]. »

C. — Ex *traditione* populorum. — Viguit olim, et nunc viget etiam apud paganos, traditio universalis quæ horrenda et æterna supplicia peccatorum asseverat, ut testantur historiæ profanæ, necnon ipsæ poetarum descriptiones, nam

« .....Sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus...[2] ».

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 64, a. 2 ; — 1a 2æ, q. 87, q. 3 ; — *De Malo*, q. 16, a. 5 ; — *Contra Gent.*, L. III, c. 144 ; — Cf. **Bossuet**, *Sermon sur la fête de la Circoncision*. — 2. **Virgilius**. *Eneid.*, v. 616, 617.

Cæterum, pro viro catholico, æternitas pænarum est dogma fidei : « Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam : qui vero mala, in *ignem æternum* [1] ».

230. Quænam sint *difficultates* contra æternitatem pœnarum [2] ?

Multæ quidem sunt contra tantum dogma. Præcipuæ tamen ex parte attributorum supra enumeratæ fuerunt ; en palmaris :

Obj. — Deus est bonitas ; atqui repugnat bonitati ut sontem pœnis æternis afficiat : ergo repugnat pœnarum æternitas.

Resp. *Dist. maj.* : Deus est bonitas simul et *justitia*, conc. : bonitas *tantum*, nego. — *Dist. min.* : repugnat bonitati ut sontem pœnis æternis afficiat, *non reclamante justitia*, transeat ; *reclamante justitia*, nego, propter rationes allatas. Dixi : *transeat* ; amor enim contemptus pœnam sontibus irrogare intendit, secundum ea oratoris celeberrimi : « Le Dante a mis sur la porte de son *Enfer* cette fameuse inscription :

« Vous qui entrez, laissez l'espérance. »

« Mais pourquoi laisser l'espérance ? Pourquoi en un lieu où la bonté divine doit se trouver, puisqu'elle est inséparable de Dieu, faut-il abdiquer toute heureuse perspective, si lointaine qu'elle soit ? Le poète nous l'explique dans un vers que je ne me rappelle jamais sans un tressaillement d'admiration :

« C'est l'éternelle justice qui m'a fait, et le premier amour. »

« Si ce n'était que la justice qui eût creusé l'abîme, il y aurait du remède, mais c'est l'amour aussi, le premier amour qui l'a fait : voilà ce qui ôte toute espérance. Quand on est condamné par la justice, on peut recourir à l'amour ; mais quand on est condamné par l'amour, à qui recourra-t-on ? Tel est le sort des damnés. L'amour qui a donné son sang pour eux, cet amour-là même, c'est celui qui les maudit... Ce n'est pas la justice qui est sans miséricorde, c'est l'amour. L'amour, nous l'avons trop éprouvé, c'est la vie ou la mort, et, s'il s'agit de l'amour d'un Dieu, c'est l'éternelle vie ou l'éternelle mort [3]. »

1. Cf. **Denzinger**, *Symb. athanasianum*, n. 40. — 2. Cf. **D'Alès**, *Dict. Apologétique*, Art. *Enfer*. — 3. **Lacordaire**, *Conf. de N.-Dame*, 72e conférence.

EXPLICIT ANTHROPOLOGIA.

METAPHYSICA SPECIALIS

III

THEODICEA

SEU

THEOLOGIA NATURALIS[1]

PRÆNOTIONES.

Mundus et anima vestigium aut imaginem Conditoris præ se ferunt ; eapropter, e cognitione mundi et animæ ad cognitionem Dei, e Cosmologia et Psychologia ad *Theodiceam* seu *Theologiam naturalem* gradatim assurgimus.

1. *Quid sit* Theodicea seu Theologia naturalis ?

A. — *Nomen* illud, Theodicea, e vocibus græcis, Θεός et δίκη, *justitiam* seu *justificationem* Dei designat. Quo titulo Leibnitzius inscripsit librum in quo a variis impiorum objectionibus Providentia Dei vindicabatur. Nostris porro diebus, non tantum Providentiam, sed et existentiam, et naturam, et attributa Dei, adversus impugnantes vindicare oportet. Unde vox Theodicea sæpius apud philosophos usurpatur sensu latiori et scientiam de Deo significat[2]. — Sic etiam *Theologia naturalis*, nam vox *Theologia*, græce Θεός et λόγος, objectum materiale hujusmodi scientiæ ostendit : additur vox *naturalis*, quia philosophus Deum investigat lumine rationis, et sic discrepat a theologo [3].

B. — Ex dictis, Theologia naturalis jure *definiri* potest : scientia de Deo seu supremo omnium Principio, disserens lumine naturali ; vel etiam brevius : *scientia rationalis de Deo.*

2. Quodnam sit Theodiceæ *momentum* ?

Jam a veteribus hæc pars philosophiæ celebrata est tan-

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 2-26 ; — *Contra Gentiles*, L. I, c. 10-102 ; — L. II, c. 1-45 ; — **Farges**. *L'idée de Dieu d'après la raison et la science* ; — **Bossuet**, *De la connaissance de Dieu et de soi-même* ; — **Fénelon**, *De l'existence de Dieu* ; — **Garrigou-Lagrange**. *Dieu, son existence et sa nature*, 1915 ; — **Dict. de Théol. cath.**, art. *Dieu, Attributs divins, l'Absolu, Analogie, Aséité, Athéisme, Concours divin, Création, Déisme, Eternité*, etc. — 2. Cf. **Leibnitz**, *Essai de Théodicée*. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 1, a. 1, ad 2.

quam « *principalissima* [1] », — « *ad agnitionem animi pulcherrima* », — et « *ad moderandam religionem necessaria* [2] ». Quibus verbis *excellentiam, utilitatem* et *necessitatem* Theodiceæ commendaverunt. Nec immerito, nam

Constat 1um *ex objecto Theodiceæ* : si enim magni faciunt scientiam rerum naturalium, maximi faciant scientiam de supremo rerum Principio [3]. Hinc ipse Vacherot : « Dieu, c'est le plus grand mot des langues humaines. Aucune ne l'a oublié. Toutes l'ont célébré.. Il est le problème par excellence des plus grandes philosophies [4]. »

Constat 2um ex multiplici *utilitate*, quam Theodiceam variis philosophiæ partibus afferre compertum est. Revera triplex est ordo veritatis philosophicæ : *logicus*, *realis* et *moralis* (Præn. Phil., n. 8). Porro Theodicea primum roborat, complet secundum,et tertii est fundamentum.Ergo toti philosophiæ utilis est.

Probatur minor, *nam* 1. — Veracitate Dei demonstrata, magis ac magis elucet legitimitas criteriorum veritatis : ergo Theodicea confirmat ordinem logicum, suam ei ultimam rationem afferendo. 2. — *Præterea* Deus est fons primarius, sive veritatum transcendentalium, sive entium mundanorum, sive ipsius hominis : ergo nostra realitatum scientia manca est, donec ad Deum, Ens entium, tanquam ad suam causam ultimam perveniat. 3. — *Denique*, quia nulla est lex sine legislatore, nonnisi post statutam Dei existentiam condi potest Ethica : unde sine Deo caret fundamento Ethica recentiorum.

Constat 3um ex natura *religionis* ; nam Religio, vi vocis, religat hominem ad Deum : unde nulla est sine Theodicea, siquidem, « ad probandam Dei existentiam contra atheos, rationis usus fidem præcedit [5] ».

3. Quænam sint Theodiceæ *methodus* et *itinerarium* ?

A. — Qui merito contendunt Theodiceam esse partem scientiæ philosophicæ, inter se non consentiunt de methodis quibus in ea utendum est. — Alii enim ontologicam aut intuitivam et mysticam, alii auctoritativam methodum profitentur : de quibus, quia insufficientes aut falsæ sunt, infra dicemus (n. 7, 9).

Amplior erit, in re tanti momenti, methodus nostra *analytico-synthetica* seu *circularis*. Hæc enim exordium sumit a

1. **Aristoteles**, *Metaph.*, I, 2. — 2. **Tullius**, *De natura deorum*, Lib. I, n. 1. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 1, a. 5, ad 1. — 4. *Le nouveau Spiritualisme*, p. 288. — 5. *S. Congr. Ind.*, an. 1855, in **Denzinger**, n. 1650.

rebus mundanis, quas intellectus primario cognoscit, ut ab illis ascendat, via causalitatis, ad Dei existentiam et notionem ; — *tunc* in hac idea Dei figens aciem intellectus, circa illius naturam et perfectionem plura deducit ; — *donec* rediens ex Deo ad creaturam, utriusque naturam, instituta comparatione, magis illustret. Sicque juxta S. Thomam ; « Prima est consideratio de creaturis et ultima de Deo[1]. »

B.—*Triplex* est autem *itinerarium* animæ e rebus mundanis ad Deum ascendentis : nempe, *via causalitatis, via remotionis,* et *via excellentiæ,* quæ dicitur etiam via *analogiæ.*

1° Per viam *causalitatis,* Deum agnoscimus ut principium omnium rerum ; et sic ab effectu ad ultimam Causam assurgimus : illud est quasi primum itinerarium.

2° Per viam *remotionis,* amovemus a Deo quidquid defectus inveniuntur in creaturis ; ita Deum concipimus simplicem, immutabilem, æternum ; tale est secundum itinerarium.

3° Deum tandem *excellenti* et analogico modo possidere omnes creaturæ perfectiones, ideoque vivere, intelligere, amare, beatitudine frui concludimus : hoc est tertium itinerarium. « Deum (igitur), ut Dionysius dicit, cognoscimus ut *causam* et per *remotionem,* et per *excessum*[2]. »

4. Quomodo Theodicea *divisa* sit et *dividi* possit ?

A. — 1. Apud *veteres* philosophos, Anaxagoras primus ad Dei veram notionem ascendisse fertur[3] ; postea Socrates, Plato et Aristoteles, item Tullius et Seneca egregie de Deo dixerunt : apud quos quæstio de Deo, nonnisi pars erat Metaphysicæ (Ontol., n. 1).

2. Fusius et profundius philosophi *christiani,* ratione quidem utendo, sed fide innixi, de Deo uno et de Deo creatore disputaverunt, imprimis S. Thomas in utraque Summa.

3. *Postremis* autem sæculis, Theodicea, independenter a fide, philosophice tractari incepit. Nec rursus sine veritatis detrimento ; nam alii Theodiceam negaverunt, alii in pessimos errores prolapsi sunt[4].

B. — Tria de Deo, ope ratiocinii, homo detegere conatur, nempe : utrum Deus sit, quid sit in se, et quid relative ad nos ; unde Theodicea dividitur in tres partes : una de *existentia,* alia de *natura,* et ultima de *relationibus* Dei ad mundum disserit[5].

Hujus divisionis triplex statim apparet *commodum.*

1. *Contra Gent.,* L. II, c. IV. — 2. *De Divinis Nom.* ; — *Sum. Theol.,* p. I, q. 84, a. 7, ad 3. — 3. Cf. **Gonzalez,** *Hist. de la phil. trad.,* tom. I, p. 158. — 4. **Littré,** *Conservation,* p. 286 ; — *Paroles de Philosophie positive,* p. 34 ; — *Positivisme,* p. 53 ; — Cf. **Farges,** *Idée de Dieu,* p. 26. — 5. *Sum. Theol.,* p. I, q. 2-26.

Imprimis enim in re fundatur, nam, etsi in Deo existentia, natura et relationes minime distinguantur[1], relative tamen ad nos et propter debilitatem rationis humanæ, successive tantum et quasi separatim attingi debent.

Præterea singulæ partes singulis stadiis methodi circularis optime quadrant sicut et prælaudato triplici itinerario. Scilicet, prima e creaturis ad Deum ascendit, secunda Eum in se ipso contemplatur, tertia ex Deo ad creaturas redit (n. 3).

Tandem pars unaquæque dirigitur adversus præcipuos errores ævi præsentis ; videlicet prima contra Atheïsmum, secunda contra Agnosticismum, et ultima adversus Pantheismum et Deismum.

5. En igitur *synopsis* totius Theodiceæ.

LIBER Ius De existentia Dei	I Demonstrabilitas existentiæ Dei.	1. Necessitas. 2. Possibilitas. 2. Methodus.
	II Demonstratio existentiæ Dei.	1. Argumenta cosmologica. 2. Argumenta psychologica.
	III Confirmatio demonstrationis.	1. Consensus generis humani. 2. De Atheismo.
LIBER IIus De natura Dei	I De Attributis Dei negativis.	1. De Ascitate. 2. De Infinitate. 3. De Simplicitate. 4. De Immutabilitate. 5. De Æternitate. 6. De Immensitate. 7. De Unicitate.
	II De Attributis Dei positivis.	1. De Intelligentia. 2. De Voluntate. 3. De Omnipotentia.
LIBER IIIus De relationibus Dei ad mundum	I Relatio identitatis.	1. Expositio Pantheismi. 2. Confutatio Pantheismi.
	II Relatio causalitatis.	1. De Creatione. 2. De Conservatione. 3. De Concursu. 4. De Providentia.

Corol. — De notione, nomine et definitione Dei.

1. S. Thomas, *I Sent.*, dit. 11, a. 2, sol.

LIBER PRIMUS THEODICEÆ.

DE EXISTENTIA DEI [1].

6. ***Status quæstionis*** **de existentia Dei.**

1. *Nomen* Dei significat *Ens* supremum seu fusius : « quoddam nobilissimum ens, quod et reliqua omnia superat ; et ab eo, tanquam a primo auctore reliqua omnia pendent, quod proinde ut supremum numen colendum est ac venerandum ; hic est enim vulgaris et quasi primus conceptus, quem de Deo omnes efformamus, audito nomine Dei [2]. »

2. Illius autem entis *existentiam* solummodo quærimus in præsenti libro. Non igitur argumentis nostris crimini vertendum erit, ut sæpius evenit, quod infinitatem aliudve attributum Dei directe non demonstrent : siquidem in Theodicea, sicut in geometria, cuncta simul problemata solvere non est possibile. Sufficit logice ut demonstretur *existentia alicujus entis a se* : cætera consequentur (n. 45). In eo tantum sensu, statuetur nostra thesis : *Deus existit.*

3. Qui hujus Entis existentiam aperte rejiciunt vel ambiguam dubiamve tenent, *athei* vocantur. *Theistæ* vero seu philosophi qui Deum existere contendunt, in duas classes dividuntur : nam existentiam Dei, dum omnes realem dicunt, alii tanquam ratione indemonstrabilem habent, alii de facto scientifice demonstrant.

4. His postremis adhæremus, et ideo tria præsertim investigabimus, quæ hoc ordine veniunt : an et quomodo Deus sit demonstrabilis ; quibusnam argumentis de facto demonstretur ; quomodo tandem indirecte confirmetur Existentia Dei. Unde *tria* capita : I. De *existentiæ Dei Demonstrabilitate* ; II. Ejusdem *Demonstratio* ; III. *Confirmatio demonstrationis.*

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 3. — 2. **Suarez**, *Disp. Metaphys.*, XXIX, sect. 3, n. 4 ; — **Fénelon**, *De l'existence de Dieu*, p. II, n. 65, 95, 104.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIÆ DEI DEMONSTRABILITATE [1].

Quæritur an existentia Dei demonstrari *debeat*, an *possit* demonstrari, et *quomodo* possit ? Unde tres articuli.

ARTICULUS I.

De Necessitate demonstrandi existentiam Dei.

Quod demonstratione non eget, *intellectui* patet vel *sensui*;

7. Utrum existentia Dei *intellectui* sit per se nota ?

Jam, tempore Angelici [2], quidam posuerunt hanc propositionem « Deus existit » per se notam esse lumine naturali. — Juxta Platonem [3], Ontologistas, Malebranchium, Gioberti, Ubaghs, item Cousin, E. Saisset [4], etc... ipsum Deum in sua essentia vel saltem in suis attributis immediate percipimus, etiam in statu vitæ præsentis : ergo Deus existit. Contra quos, sit

THESIS

Existentia Dei non est per se nota, quoad nos, sed demonstratione indiget.

Prob. — In tantum existentia demonstratione non indigeret, in quantum vel ipse Deus *immediate videretur*, vel Deum esse *analytice notum esset.* Sed utrumque falsum est :

I[um] *quidem*, ut constat ex dictis in Psychologia (n. 125) contra Ontologismum. Et verum, quia in Deo esse non distinguitur ab essentia, qui Deum esse immediate cerneret, Illius essentiam clare perciperet ; homines autem, in statu vitæ præsentis, essentiam divinam intueri nequeunt ; ergo nec existentiam.

II[um] *etiam*, dicente S. Thoma : « Contingit aliquid esse per se notum dupliciter : uno modo *secundum se* et non quoad nos ; alio modo, secundum se et *quoad nos* : » sunt enim, v. g., theoremata geometriæ quæ per se vera sunt, quoad nos autem ignota remanent ; dum e contra, prima principia, intellectis terminis, statim cognoscuntur. Porro hæc propositio : « Deus est », quantum in se est, per se nota est, quia prædi-

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 23-59 ; — **Villard**, *Dieu devant la science et la raison*, p. 41-70. — 2. *I Sent.*, dist. III, q. I, a. 2, 3. — 3. *Les Lois*, L. X, trad. **Cousin**, VIII, p. 218. — 4. Cf. **Charles**, *Lectur. philosophiq.*, I, p. 172-177.

catum est idem cum subjecto : Deus enim est suum esse... sed hæc terminorum identitas nobis nota non est. Ergo indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, sc. per effectus [1].

Confirmatur : alioquin nullum dubium de existentia Dei concipi posset, et atheismus esset impossibilis.

Objiciunt : Deus est prima Veritas ; ergo primo cognosci debet.

Resp. *Dist. maj.* : Deus est prima veritas in ordine ontologico, *conc.* ; in ordine psychologico, *nego.* — *Contradist. min.* : Prima veritas in ordine psychologico primum cognoscitur, *conc.* ; in ordine ontologico, *nego.* Nulla enim est necessitas quod ordo cognitionis humanæ sequatur ordinem existentiæ rerum ; sic et fumus ante ignem percipi potest.

Inst. I. — Illud est per se notum, etiam quoad nos, in cujus lumine cætera percipimus ; sed in lumine divino conspicimus omnia ; ergo lumen Dei est per se notum, etiam quoad nos.

Resp. *Dist. maj.*, pariterque *min.* ; in lumine Dei omnia perspicimus *mediate*, tanquam in *principio* cognitionis, *conc.* ; *immediate* tanquam in *objecto* cognitionis, *nego.* Videlicet in omni cognitione secernere debemus et objectum directe cognitum, et principium seu lumen indirecte cognitum per quod objectum illud agnoscitur. Porro Deus non est objectum in quo cætera omnia videmus intuitive, ab Eo tamen accipimus lumen participatum quo mediante veritatem adipiscimur (n. 28). Ergo ratione *originis*, Deus est prima veritas ; ratione vero *cognitionis*, objecta materialia prius agnoscimus [2] (Psych., n. 128).

Inst. II. — A philosophis tum christianis, tum gentilibus, notitia Dei dicitur « menti naturaliter insita, inseminata, congenita ». Ergo et per se nota.

Resp. : Inseminata est in nobis idea Dei *implicite* per facultates rationales, *conc.* ; *explicite* in se ipsa, *nego.* Sicut enim fructus in semine arboris et ideo arbori insitus est, ita idea Dei in facultate rationis (Psych., n. 122), quæ tamen hanc ideam producere debet.

8. Hinc a fortiori nulli *sensui* patet existentia Dei.

Non agitur quidem de sensibus externis, sed de quodam sensu interno, sc. :

1° Juxta scholam scoticam (Reid, Dugald-Stewart, Jouffroy) *instinctu* cæco seu inspiratione naturæ impellimur ad existentiam Dei, sicut et ad quamlibet veritatem necessariam, admittendam.

2° Juxta scholam sentimentalistarum (Jamblique, Jacobi, Thomassinus, Gratry [3], Hutcheson) inest hominibus *sensus religiosus* seu *divinus* per quem anima, lumine Verbi suffulta, Deum facile et clare percipit et sentit (Cf. Log., n. 254).

3° Juxta modernistas, adest in homine quasi duplex τό ἐγώ,

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 1 ; — Cf. **Gratry**, *Conn. de Dieu*, I, p. 54. — 2. Cf. *Sum. Theol.*, p. I, q. 12, a. 11, ad 3 ; — *Contra Gentil.*, L. I, c. XI. — 3. *Connaissance de Dieu*, I, p. 57-67 ; — II, p. 147-170.

unum empiricum et « supraliminare », alterum « subliminare » seu *subconscientia*, in qua latent multa intellectui impervia et quidem præstantiora. « Ex cujus latebris, per vitalem immanentiam erumpit religiosus sensus... qui est germen totius religionis..., in sensu religioso *cordis intuitus* quo homo ipsam, sine medio, Dei realitatem attingit[1]. » Ita Loisy[2], Le Roy[3], Programma modernistarum [4].

Jam vero A. — hæc triplex opinio aliquam habet *speciem veri*. Homo enim facile et quasi spontanee, conscientiæ moralis innata propensione ductus, pervenit ad cognitionem Dei. Hinc est cur rudibus et pueris ratiocinia implicita aut vulgaria sufficiant ut intimam habeant persuasionem de Dei existentia, sicut de aliis primariis veritatibus ; nec ullo modo indigeant explicita et scientifica demonstratione doctorum (n. 37).

B. — *In se* tamen, hæc triplex opinio *falsa* est et *periculosa*.

1° *Falsa* est, nam, ex una parte, motus instinctivus vel affectivus ad certitudinem intellectualem comparandam sine ratiocinio non sufficit (Cf. Log., n. 254) ; ex altera autem gratuito in mente nostra ponitur facultas cognoscitiva præter sensum et intellectum, sive sensus *divinus* sive alia facultas *superintellectualis* [5] et intuitiva Dei [6]. Nam, quidquid sit de donis supernaturalibus quorumdam sanctorum extaticorum, contradictoria est facultas naturalis omnibus hominibus communis, quæ tamen experientiam psychologicam omnino fugit.

2° *Periculosa est*, nam sensibilitati cujusque variabili vel instinctui cæco adscribit fidem in existentiam Dei ; jamque, ut aiunt gallice : « ce n'est plus qu'une affaire de sentiment » ; ac proinde Theodicea extra scientiam exsulat. — Aliunde, Pantheismo nimis favet, cum ex una parte mentem extra seipsam nihil percipere posse jactitant, seu, ut aiunt : « la pensée n'atteint qu'elle-même » ; ex altera autem, Deum immanentem intueri prætendunt. Ergo mens et Deus unum essent.

Obj. — Deus non potest esse dependens ; atqui esset dependens a necessitate logica si ejus existentia probaretur ; ergo probari non potest. « *Déduire Dieu équivaut à le nier*, ait D. Le Roy, c'est vouloir l'atteindre par une méthode athée [7]. »

Resp. *Conc. maj.* ; *Dist. min.* : cognitio nostra a necessitate

1. **Pie X**, Ency. *Pascendi*, 8 sept. 1907, in **Denzinger**, n. 2077, 2081. — 2. *Simples réflexions sur le Décret* ; — Cf. *Etudes*, 5 avril 1908. — 3. *Dogme et Critique*, passim. — 4. Rome, 1908, p. 96, 97. — 5. **Thomassin**, *Dog. Theol.*, c. 9. — 6. Cf. **Piat** : *Les Philosophies de l'Intuition* ; — Cf. **X. Moissant**, *Dieu, l'expérience en Métaphysique*. — 7. *Revue de métaph. et de morale*, juill. 1907, p. 473.

logica esset dependens, *conc.*; ipsamet existentia Dei, *neg.* Illa enim existentia est quid concretum; porro abstractum a concreto pendet et logicum ab ontologico, quamvis ordo cognitionis humanæ sit inversus. — Aliunde, cum Deus sit ipsa Veritas (n. 74), nonnisi a se ipso dependeret.

Hinc non tantum utilis, sed et necessaria est demonstratio existentiæ Dei. Imo non quælibet, nostris diebus, nec tantum metaphysica, sed ex parte *scientifica* requiritur demonstratio, ut mentes contra varias objectiones, falsæ præsertim scientiæ, quæ hodie pullulant, roborentur, vel etiam ab eis liberentur[1].

ARTICULUS II.

De Possibilitate demonstrandi existentiam Dei.

Hanc possibilitatem negant *fideistæ* et *antiintellectualistæ*.

9. Utrum existentia Dei ratione certo probari *possit*?

Fideistæ et Traditionalistæ imbecillitatem rationis exaggerantes, revelationem aut traditionem ad Deum cognoscendum necessariam esse profitentur: « Demandez à ces hommes inconnus les uns aux autres d'où leur est venue la croyance en Dieu, ils vous répondront: « Nos pères nous l'ont dit: Patres nostri narraverunt nobis[2]. » — Sed contra sit inconcussa

THESIS

Existentia Dei, e rebus creatis, sola ratione, certo demonstrari potest.

Prob. — *a) A posteriori. Nam* de facto plura a nobis infra exponentur, et omni tempore a philosophis allata sunt inconcussa argumenta existentiæ Dei. — *Insuper*, hæc argumenta constant elementis quæ lumine rationis etiam ignavæ, facile concipi possunt. E duabus enim præmissis, quibus coalescunt, una factum exprimit omnibus obvium, ut, v. g., « ego sum ens mutabile, imperfectum, mortale, contingens.. »; altera vero unum e principiis primis, v. g., « contingens supponit necessarium », omni intelligenti etiam pervium (n. 15). Nec tanta esse potest humanæ rationis imbecillitas, ut factum et principium hujusmodi, ope etiam magisterii, capere non valeat.

b) A priori. Veritates enim, ad mores instruendos et ad finem hominis attingendum absolute necessarias, lumine naturali comparare possumus: aliter enim natura deficeret in

1. **Farges**, *Idée de Dieu*, p. 19, 23, 25; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 62. —
2. **Lamennais**, *Essai sur l'Indifférence*; ita etiam **Bautain**, etc.

necessariis. Sed existentia Dei cæteris omnibus philosophiæ dogmatibus necessitate præcellit ; estque tum ad instituendam religionem, tum ad vitam hominis dirigendam necessaria, nam sine illa nec moralitas nec peccatum concipi potest. Ergo ratio, impar quidem ad detegenda Dei mysteria, ad existentiam Dei detegendam impar esse nequit (Log., n. 183).

Confirmatur argumento ad hominem contra fideistas et traditionalistas. Nam fidem et traditionem accipiunt ; atqui juxta S. Scripturam : « Invisibilia Ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conscipiciuntur [1] » ; — juxta vero Concilium Vaticanum : Deus sine gratia seu « naturali rationis lumine e rebus creatis certo cognosci [2] », — « adeoque demonstrari etiam [3] » potest, ut jussit profiteri Pius X contra modernistas.

10. Corol. — contra agnosticismum : ***Deus est cognoscibilis*.**

Hæc assertio est contra certum genus scepticorum, positivistas sc., neo-criticistas et modernistas. Alii enim post Lockium, inutile, imo nocivum reputant omne tentamen demonstrationis existentiæ Dei : — alii vero, post Kantium (n. 32) paralogismos existimant argumenta quibus nituntur theistæ ; — ex quibus orti sunt modernistæ qui agnosticismum profitentur et dicunt, post Spencer, Deum esse *Incognoscibilem*.

Nec mirum : nam positivistæ supra ordinem sensibilem non assurgunt ; Kantistæ negant objectivitatem idearum nostrarum ; modernistæ autem, v. g., Le Roy [4], qui utrumque errorem consociant, rejiciunt primas notiones sensus communis, sc. entis et veritatis, substantiæ et causæ, etc., ac proinde prima principia identitatis, contradictionis... et causalitatis (Ontol., n. 138). Jamvero, rejectis primis principiis et etiam principio causalitatis, rejiciatur oportet ulterius demonstratio existentiæ Dei, quæ ultimo in illis et proxime in isto nititur, et in hoc quidem adversarii logice secum consentiunt.

Postea tamen sibi contradicunt, — sive positivistæ, quando scientiis experimentalibus indulgentes, innixi, velint nolint, eodem principio causalitatis, ex factis observatis, leges inferunt generales ; — sive neo-criticistæ, quando Deum, quem ratione theoretica subjectivum primo esse decreverunt, dein rationis practicæ testimonio dicunt esse objectivum vel saltem fide cæca credendum ; — sive modernistæ, quum « ex agnos-

1. *Rom.* 1, 20. — 2. Cf. **Denzinger**, n. 1805. — 3. **Motu proprio**, *Sacrorum Antistitum*, 1910. — 4. *Revue de Métaph. et de Morale*, mars 1707, p. 167 ; — Cf. **Farges**, *La Philosophie de M. Bergson*, p. 209.

ticismo, qui solum est in ignoratione, ad atheismum scientificum atque historicum transeunt [1] ».

Jamvero a nobis in tuto posita fuit objectivitas principii causalitatis, eoque legitime uti poterimus : cumque in eo nitatur tota demonstratio existentiæ Dei, vim illius mutuabitur et metaphysicam habebit certitudinem [2] (Ontol., n. 166).

ARTICULUS III.

De Methoda demonstrandi existentiam Dei.

11. *Quotuplex* sit via ad probandam Dei existentiam ?

Triplex concipi potest via ad demonstrandam Dei existentiam : via *a priori*, *a posteriori*, et *a simultaneo*.

Si primum, demonstratur aliquid ex eo quod, sive tempore, sive natura saltem, re demonstranda *prius est*, ut si ex igne fumus, vel ex primo principio ejus consectaria deducantur. — Si secundum, demonstratur aliquid ex eo quod, sive tempore, sive natura, *posterius* est, ut si ignis ex fumo, vel causa et effectibus inferatur. — Si tertium, ex notione ideali alicujus rei ad ejusdem existentiam devenitur : et hæc via dicitur *a simultaneo*, quia ex ordine ideali ad ordinem realem de plano transire prætendit : melius tamen diceretur et est argumentum *a priori* lato sensu, nempe in ordine ideali.

Aliis verbis, argumentum *a simultaneo* est analyticum et solo principio identitatis innititur ; argumentum *a posteriori* est inductivum et principio causalitatis seu rationis sufficientis innixum ; argumentum autem *a priori* est deductivum.

Jamvero Dei existentia a priori demonstrari nequit ; Deus enim, ex hypothesi, nullam habet causam Ipsi priorem. Superest ut inter viam a simultaneo et viam a posteriori eligatur.

12. *Quotuplex* sit et non sit forma argumenti a simultaneo ?

A. — Argumentum hujusmodi triplicem formam induit [3].

Imprimis, sic loquitur S. Anselmus : Nomine Dei intelligimus id quo majus cogitari nequit ; sed majus est illud quod est in intellectu simul et re, quam id quod est in intellectu tantum ; ergo illud quo nihil majus cogitari potest, seu Deus, est in intellectu *simul* et re, sc. existit [4].

1. **Pius X**, Encycl. *Pascendi*, p. I, n. 2073 in **Denzinger**. — 2. **Farges**, *Idée de Dieu*, p. 26-58. — 3. Cf. **L. Couture**, *Polybiblion*, 1875. — 4. **S. Anselmus**, *Proslogium*, ch. 2, 3 ; — Cf. **S. Bonaventura**, *Itinerarium*.

Postea, Cartesius argumentum S. Anselmi instauravit, dicens : Habemus ideam claram Entis infiniti ; hæc autem idea includit existentiam Entis infiniti, quod Deum appellamus ; ergo Deus existit [1].

Tandemque, Leibnitzius argumentum a simultaneo his verbis contexit : Deum possibilem esse concipimus ; sed, si non existeret jam non esset possibilis, nam Deum fieri repugnat ; ergo Deus, existit [2].

Uti vides, hæc tria argumenta abstrahunt ab origine idearum, nec assumunt ideam Dei in mente nostra existentem tamquam *factum*, cujus sola *causa* adæquata esset Deus, mentem hominis illuminans ; ac proinde non fundantur principio *causalitatis* (infra, n. 28-2) [3]. — Fundantur e contra principio *identitatis*, sc. supponunt existentiam Dei contineri in Ejus idea seu potius cum Ejus idea identificari. Aliis verbis contendunt *ideam* adæquare *factum*, *possibile* adæquare *reale*, seu gallice : *Idéal* = *Réel*. In hoc quidem essentialiter concordant hæc tria argumenta, quamvis accidentaliter inter se discrepent.

B. — Ideo cum argumento Cartesii supra allato non est confundendum aliud argumentum ejusdem auctoris [4], ex origine ideæ infiniti desumptum et quod sic contrahi potest : Habemus ideam, eamque claram Entis infiniti ; sed Infinitum e finito cognosci nequit : igitur idea nostra Infiniti a Deo sumit originem et consequenter Deus existit.

Hoc argumentum ab *idea* ad *existentiam* Dei transit quidem, sed via causalitatis non autem via identitatis, nam considerat ideam Dei non tanquam notionem idealem, sed tanquam factum psychologicum, cui nulla causa nisi solus Deus assignari potest ; ac proinde non est argumentum *a simultaneo*, sed *a posteriori*. — Cæterum multiplici vitio laborat hoc argumentum cartesianum, siquidem nostra « idea Dei est finita et imperfecta : ergo non necessario a Deo proficisci debet, sed ab aliis rebus creatis ortum habere potest [5] » et sola mente formari (Ontol., n. 90-93).

13. Utrum existentia Dei *a simultaneo* probari possit ?

De argumentis a simultaneo, æqua mente libratis [6], sit

THESIS

Hæc propositio « Deus est » demonstrari nequit argumento quod vocatur a simultaneo.

Prob. — Hoc enim argumentum duplici vitio laborat :

1° Est *transitus de genere ad genus*. Nam ex ordine mere ideali ad ordinem realem, vi solius principii identitatis, concludere non licet. Revera idea non adæquat factum ; non esse

1. **Descartes**, *Medit.* 5° ; *Princip. phil.*, p. I., c. 14, 18. — 2. *Monadolog.*, *Nouveaux Essais*, L. IV, c. 9, 7. — 3. **Farges**, *ibid.*, 208-211. — 4. 3° *Médit.*, *Disc. sur la méthode*, 4° partie. — 5. **Billuart**, *De Deo*, *Dissertatio* I, a. 3, § 1 ; — **Farges**, *L'Idée de Dieu*, p. 59-85 ; — **Villard**, *op. cit.*, p. 70-145. — 6. Cf. *La Science cathol.*, août 1894 ; — *Revue de philos.*, 1er avril 1901 ; — *Revue thomiste*, an. 1895, p. 326.

impossibile non adæquat existere ; et ideo asserere : *Idéal* = *Réel*, est mera affirmatio, non autem probatio [1].

Nec dicas ideas nostras esse objectivas, ac proinde transitum de idea ad objectum reale esse legitimum. — Equidem, ideæ nostræ *simplices* sunt objectivæ, cum a rebus ipsis abstrahantur per intellectum agentem. Ideæ vero *compositæ*, v. g., montis aurei, possunt esse fictitiæ, et earum objectivitas demonstratione indiget. Porro nemo non videt nostram ideam Infiniti esse valde complexam, non autem simplicem.

2º Est *sophisma quatuor habens terminos.* Nam adversarius — *a*) accipit vocem « existentiæ » duplici sensu, quando dicit : mea idea Entis infiniti continet existentiam. Continet quidem *notionem* existentiæ seu existentiam idealem, non autem *factum* existentiæ seu existentiam realem. — *b*) Item accipit duplici sensu vocem « possibilitatis », quando asserit cum Leibnitzio Ens infinitum esse *possibile* quidem, non vero esse *possibile* si non esset existens. Nam aliud est possibilitas *intrinseca* de qua in majore, aliud possibilitas *extrinseca* de qua in minore argumenti agitur ; prior in non-repugnantia terminorum consistit, posterior in eo quod aliquid possit ab agente fieri seu de potentia ad actum transmitti.

His adde quod demonstrationes a simultaneo prorsus inutiles sunt adversus atheos qui affirmant illam notionem Dei esse mere idealem et fictitiam : « les êtres théologiques n'ont d'existence que dans l'esprit [2] ».

Objicit D. Bergson : idea nihili absoluti est contradictoria : ergo omne ens existit necessario ; ergo ex idea nihili probatur Ens necessarium.

Resp. Dist. ant. : idea nihili absoluti contradicit facto existentiæ alicujus entis, v. g., entis, quod eam cogitat, *conc.* ; est in se contradictoria, *nego.* — *Dist. cons.* : ergo quoddam ens necessario existit, *conc.* ; omnia entia sunt necessaria, *nego* [3].

14. Hinc *a posteriori* probari debet existentia Dei.

Constat ex dictis ; nam « Deum esse neque immediata intuitione percepimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori [4] » : secus enim nullo modo cognosceretur.

Fusius : Ut e rebus finitis ad Dei notitiam ascendere possimus, duo requiruntur et sufficiunt, adsit nempe nexus objectivus inter Deum et res finitas, in homine vero potentia quæ

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 1, ad 2. — 2. **Littré**, *passim.* — 3. **Farges**, *La Philosophie de M. Bergson*, p. 442-449. — 4. **Thesis Thomistica XX**[a].

hunc nexum apprehendat. Sed hæc duo vera sunt : — I[um] quidem ; viget enim nexus objectivus, saltem quoad existentiam, inter effectum et causam suam immediatam, nam in nostra hypothesi creaturæ sunt proprii effectus Dei : ergo talis adest nexus objectivus. — II[um] etiam, nam homo præditus est intellectu per quem res physicas ut *contingentes* primum agnoscit, et naturaliter inquirit *rationem* earum in Ente necessario. Ergo potest homo « per ea quæ facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam », ad Deum via causalitatis pervenire[1].

Ad rem S. Thomas : « Naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit. Unde tantum se nostra cognitio naturalis extendere potest, in quantum manuduci potest per sensibilia..., et quia creaturæ sensibiles sunt effectus a causa dependentes, ex eis in hoc perduci possumus ut cognoscamus de Deo *an est*[2] », ut in capite sequenti probandum venit.

CAPUT SECUNDUM.

DEMONSTRATIO EXISTENTIÆ DEI.

15. Quomodo *dividi* possint argumenta existentiæ Dei [3] ?

Quoniam res finitæ, e quibus ad Deum assurgere licet, aliæ sunt materiales, aliæ vero spirituales, ex Cosmologia et Psychologia accipiemus argumenta. Unde duplex articulus : I[us] de argumentis *Cosmologicis*, II[us] de argumentis *Psychologicis*.

ARTICULUS I.

De Argumentis Cosmologicis.

Ex contingentia rerum orbis universi, ope principii causalitatis, existentia Dei demonstratur. Porro quinque sunt in mundo præcipua quorum contingentia facilius argui potest, nempe *motus*, *origo*, *natura*, *gradatio* et *ordo* rerum mundanarum. Sunt ergo quinque argumenta cosmologica ejusdem, juxta nos, generis et naturæ (n. 10-14), quæ tamen communiter in *metaphysica* et *physica* subdividuntur. Hanc quidem subdivisionem, sed ad commoditatem tantum, retinemus[4].

1. Cf. **Farges**, *Ibid.*, p. 46-50. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 12, a. 12, c. — 3. Hæc argumenta fusius apud **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 59 et suiv. ; — Cf. **Gayraud**, *Les vieilles preuves de l'existence de Dieu*, in *Revue de Philos.*, juill. et août 1908 ; — **J. Halleux**, *Les Preuves de l'existence de Dieu d'après la philosophie nouvelle*, in *Revue Néo-scol.*, an 1906-1907 ; — **Balthazar**, *Le Problème de l'existence de Dieu d'après la Philosophie nouvelle*, in *Revue Néo-scol.*, 1907. — 4. **Thesis Thomistica XX**[a].

§ I. *De Argumentis Metaphysicis.*

16. I. — Probatur existentia Dei *ex motu*, etiam locali [1].

A. — Percelebris est et excellentissima D. Thomæ argumentatio : « Certum est et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo [2] » ; quæcumque autem moventur, ab alio non a seipsis moventur ; ergo quæ moventur in hoc mundo, supponunt Motorem non motum seu immobilem, quem dicimus Deum.

Constat *major* : motus enim est transitus quilibet de potentia ad actum : porro nihil est sensibus magis obvium quam motus, præsertim localis, sed etiam substantialis, quantitativus aut qualitativus (Ontol., n. 137) ; nil certius in scientia, quæ motum habet ut factum generale et fundamentale totius Universi.

Constat *minor* : seu « quidquid movetur, ab alio, non a seipso movetur ». Nam movens est *in actu*, mobile *in potentia* tantum. Porro impossibile est ut idem sit in actu simul et in potentia sub eodem respectu ; v. g., ut aqua frigida calefaciat seipsam, ut baculus moveat seipsum, ut in ipsis viventibus eadem facultas moveat et circa idem moveatur (Ontol., n.167): nemo enim sibi dat id quod non habet. Ergo quæ moventur sui motus principium adæquatum non sunt, sed ab alio moventur.

Constat *consequens*, sc. dari motorem primum et non motum. Nam in omni serie motorum actualiter inter se subordinatorum triplex est terminus : primus qui producit motum seu movet non motus ; ultimus qui recipit tantum ; denique termini intermedii qui transmittunt motum et sunt simul moti et moventes. Porro etiamsi, per impossibile, daretur series *infinita* et *æterna* motorum intermediorum, contradictorium esset supponere res intermedias sine extremis, secundas sine prima, derivatas sine principio a quo derivantur. Ergo in serie prælaudata datur motor primus et non motus [3].

17. B. — Idem *scientifice* et saltem *ad hominem* sic enucleare juvat : ad explicandam existentiam motus universi duplex affertur hypothesis, mechanica sc. et dynamica. Porro utraque prorsus insufficiens est, sine Primi Motoris interventu, ad explicandum motum orbis universi. Ergo sit Motor Primus.

1° Si fides *mechanicistis* [4], materia est omnino passiva, ita ut

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 61-84. — 2. *Sum. Theol.* p. I, q. 2, a. 3 ; — **Aristoteles**, *Metaph.*, L. XIV, c. 7 ; — *Sum. Theol.*, *Ibid.* — 3. Ita etiam aliqui recentes, v. g. **Janet**, *Le matérialisme contemporain*, 1675, p. 58 ; — **Monsabré**, *Conf. de N.-D.*, 1873. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 65.

corpora ab extrinseco quidem agantur, ipsa autem non agant, sed motum foris receptum aliis corporibus tantummodo communicare valeant. Hæc autem absoluta passivitas corporum mundanorum magis ac magis arguit existentiam primi Motoris, nam si singula mundi corpora sunt mere receptacula motus, vis impulsiva totius mundi ab extrinseco veniat oportet.

Nisi dicatur motum materiæ vel *necessario* incepisse, vel saltem *æternum* esse. — *Primum* autem contradictionem involvit : quod enim aliquando incepisse supponitur, profecto necessarium et a se dici nequit. — *Secundum* non probat intentum, nam, etiamsi motus ab æterno supponeretur, cum etiam ab æterno materia per se sit, ex hypothesi, mere passiva, superest explicandum cur ab æterno moveatur.

Cæterum hæc motus æternitas contradicit scientiæ et rationi. — *Scientiæ*, nam juxta leges mechanicæ generales, motus actualis indesinenter transformatur de actu in potentiam et paulatim tendit in finem (n. 20) ; quod autem finem habebit, non est æternum; juxta vero facta astronomica (Cosmol., n. 24-26), orbis hodiernus non est nisi nebulosæ primitivæ certus gradus evolutionis, quæ certum habebit finem, ac proinde certum habuit initium [1]. — *Rationi* etiam, cui repugnat sine primo motore numerus etiam infinitus motuum necessario, ut rotarum in horologio, subordinatorum.

18. — 2° Si fides *dynamistis* [2], materia non est mere passiva sed activitate gaudet, vi cujus unum corpus, certis in adjunctis, aliud corpus attrahendo movet.

Recte quidem, *vis attractiva* movet Universum, sed non est Motor Primus, nec motor sufficiens Universi, præsertim vero nostri systematis solaris [3].

1. Non est *Motor Primus*, — nam vis attractiva materiæ non est necessario semper in actu, dum e contra per se tendit ad requiem partium in unicam massam Ergo per se indifferens est ad actum aut potentiam, nec habet in se rationem cur transierit olim de potentia ad actum, vel cur ab initio fuisset in actu potius quam in potentia [4].

2° Non est motor *sufficiens Universi*, — nam supposita materia *in actu* connaturali, quin etiam æterno, attractionis,

1. **Farges**, *L'Idée de Dieu*, p. 66, 67, 98, 110, 112. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 73 ; *Sum. Theol.*, p. 1, q. 46, a. 2, ad 7. — 3. *Congrès scientifiq. de Bruxelles*, 1894, p. 46 et 313. — 4. Cf. **D'Alès**, *Dict. Apol.*, I, col. 1028.

motus partium non necessario inde sequitur. Etenim — si atomi nebulosæ primitivæ coalescunt, vel si æque distant inter se per infinitum spatium, stat mundus in æquilibrio, secundum leges mechanicæ, nec moveri potest sine impulsione Motoris extrinseci. — Si vero atomi inæqualiter et immensis quibusdam spatiis inter se distant, tunc dabitur quidem *aliquis* motus partium, sed tam opportuna atomorum diffusio quâ magnæ machinæ organa (ressorts) extenta fuerunt (énergie de position), sine Primi Motoris interventu, non explicabitur.

« Toutes les hypothèses dynamistes, ait optime D. Faye, prennent pour point de départ un état de choses, le *chaos*, dont il est impossible de rendre compte par les seules lois de la nature. Parmi ces lois, la principale, *l'attraction universelle, est précisément l'opposé de toute cette tendance à l'immense diffusion* qui constitue le chaos [1]. »

3. Non est motor sufficiens *systematis nostri solaris* : Id est, motus ille ex naturali partium attractione ortus, non sufficeret ad explicandum gyrorum ordinem, quo movetur systema solare nostrum. Nam naturalis attractio centrum petit et totum orbem in unam massam jamdiu coagulasset, nisi contrario motu centrum fugiente temperaretur. Unde astronomi omnes, neglecto Kantio, in atomis nebulosæ duplicem motum oppositum a principio supponunt, nempe attractionis et rotationis ; unum, quo corpora centrum petunt, alterum quo centrum fugiunt. Quod si prior materiæ naturalis est, posterior qui primo opponitur, ejus naturæ superadditus ab extrinseco, i. e. a Primo Motore, dicatur oportet [2].

Obj. [3]. — Primus motor forsitan cum Ente divino non identificatur ; ergo qui probat primum motorem, non probat existentiam Dei.

Resp. *Neg. ant.* Nam primus motor mundi esse *debet* : *a*) causa *extramundana*, mundo superior ; — *b*) causa immaterialis et *spiritualis*, cum quælibet materia sit iners et mobilis ; — *c*) causa *prima* ac proinde necessaria ; — *d*) actus denique non motus nec ab alio mobilis, seu non mixtus potentia, i. e. actus *purus* ac proinde infinitus, ut infra dicetur (n. 51). — *Dist. cons.* : qui..., non probat *immediate*, *conc.* mediate, *nego* ; nam ex sola notione primi motoris non moti facile deducentur isti et alii præcipui characteres Divinitatis.

19. II. — Probatur existentia Dei ex *origine* entium [4].

A. — *Ratio* sic arguit : Series causarum efficientium inter-

1. *L'origine du monde*, p. 257. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 78-82. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 68-73, 83-85, — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 85-97 ; — **Villard**, *op. cit.*, p. 145-185.

dependentium, ut evidens est, in rebus mundanis invenitur : atqui series causarum efficientium interdependentium necessario supponit primam causam, quæ ab aliis non pendeat : ergo existit prima causa incausata, sc. Deus.

Probatur *minor*, nam causæ rerum efficientes ita inter se subordinantur, ut unaquæque sit præcedentium effectus, causa vero subsequentium ; sic arbor, quæ similem sibi producit, ab aliis arboribus ipsa ducit originem. In hoc autem ordine causalitatis, quo fit regressus ex effectu A ad B, ad C, ad D..., requiritur omnino causa prima incausata, nam, causa hujusmodi sublata, jam aliquis effectus, nempe primus *in linea recta*, esset sine causa efficiente, nec ideo explicaretur.

Nisi singulæ seriei unitates *in circulo* disponantur : quo in casu adesset circulus vitiosus, quia causa A, quæ producit B, C, D, E, ab iisdem etiam causaretur.

Nisi iterum contendere velis seriem causarum *a parte ante* infinitam esse. — At series infinita nihil explicat, nam, sicut, si mundus est æternus, « necesse est sempiternum motum a sempiterno moveri », ita, si series causarum est infinita, quælibet ex eis, quia pariter est causata, requirit causam incausatam.

B. — *Scientia* vero sic procedit : Cunctæ entium mundanorum series habuerunt initium ; ergo præsupponunt causam primam et improductam, quam dicimus Deum.

Constat *antecedens* : nam res inorganicæ, juxta theoriam astronomicam, cunctæ ducunt originem ex primitiva nebulosa, cujus unum fragmentum per varias evolutiones tellurem nostram efformavit : imo durationem harumce evolutionum, ideoque ætatem telluris nostræ aut stellarum, computare licet. — Res vero organicæ certo non existebant in initio terræ, cum adhuc terra tota ignita erat : ergo res omnes sive inorganicæ, sive viventes, non æternam existentiam, sed finitam, imo satis recentem habent originem.

Probatur *consequens* ex natura evolutionis mundanæ :

1° Siquidem *evolutio* quæcumque, quia habet initium, supponit causam sui anteriorem et ultimo improductam, juxta axioma : « quidquid incipit ab alio incipit » (Ontol., n. 166). Et « hæc via probandi primum principium esse, est efficacissima, cui resisti non potest. Si enim, mundo et motu existente sempiterno (n. 16), necesse est ponere unum pri-

mum principium, *multo magis* sempiternitate eorum sublata[1]»;

2º A fortiori evolutio *organica* Deum arguit ; nam vita vel a materia propria sponte, vel ex astris fortuito delapsa, vel a Deo immediate ortum habuit : sed generatio spontanea experientiis scientiarum contradicit (Cosmol., n. 103-104) ; ex astris vero, ob frigorem vacui interstellarii absolutum (270º), nullum germen vivum decidere potuit ; ergo sine interventu causæ primæ apparitio vitæ in terris nostris explicari nequit[2].

Confirmatur, nam præfata rerum evolutio, sicut initium, ita, *testimonio doctorum*, *finem* habitura est. Veniet enim dies, in qua vita omnis in orbe nostro evadet impossibilis, sive propter cessationem circulationis aquarum, variis ex causis meteoricis et geologicis : sive propter obscurationem solis, qui ob deperditionem continuam luminis et caloris, tandem aliquando extinguatur oportet. — Præterea mutuæ attractiones (vulgo, les marées), quas in se invicem exercent orbes cœlestes, quotidie illorum rotationem retardant. Motibus autem siderum paulatim retardatis, labentibus innumeris sæculis, luna in terram, utraque cum cæteris astris in solem prolabi et in unicam massam conflagrantem misceri debent. « Tous les corps du système, ait Wolf, se réuniront en une seule masse qui tournera sur elle-même encore pour un temps, mais finira par rentrer au repos relatif dans le milieu qui l'entoure[3]. » Tunc autem, nisi Deus novam materiæ communicet ενεργείαν, omnis motus cessabit in æternum[4] (Cosmol., n. 26-29).

Hinc et uti vides, lucidior evadit 1ª et 2ª via, si semel ex datis scientiæ removetur æternitas motus et vitæ : cæterum, utraque non est mere scientifica et mathematica, sed vere metaphysica, utpote innixa notionibus numeri, quantitatis... quas mathematici e philosophia mutuati sunt.

20. III. — Probatur existentia Dei ex *natura* entium [5].

Argumentum ex « possibili et necessario » sic exposuit S. Thomas : « Videmus in mundo *quædam* quæ sunt possibilia esse et non esse, scilicet generabilia et corruptibilia. Omne autem quod est possibile esse, causam habet... Ergo oportet ponere aliquid quod sit necesse esse. [6] »

Constat *major*, nam in hac rerum collectione quædam primo aspectu, imo multa, forsan omnia haberi debent ut non necessaria ; siquidem viventia nascuntur et pereunt, inorganica vero mutantur et varias induunt formas : utraque ergo non

1. **S. Thomas**, *In Phys.*, L. VIII, lect. I. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 90-93. — 3. **Wolf**, *Hypothèses cosmogoniques*, p. 99. — 4. **Farges**, *Ibid.*, 93-99. — 5. **Farges**, *Ibid.*, 99-117 ; — **Villard**, *Ibid.*, p. 184-201. — 6. *Contra Gentiles*, L. 1. c. XV, n. 4 ; — Cf. **Suarez**, *Disp. Metaphys.*, XXVIII, sect. I.

existere concipi possunt. Ergo quædam, imo multa, forsan omnia, quæ existunt in orbe terrarum, e natura sua æqualiter se habent ad esse et non esse, et ideo contingentia sunt.

Constat *minor*, nam ens mere possibile existentiam a seipso habere non potest, quia possibilitas rei non est ratio sufficiens ejus existentiæ ; alioquin omnia possibilia existerent, quod falsum est, et quidem necessario, quod est contradictorium.

Probatur *consequens* : nam si omnia entia essent mere possibilia, jam nihil existere posset. « Si tous les êtres qui existent actuellement ont pu ne pas exister, il y a eu un temps où rien n'existait : s'il en était ainsi, rien n'existerait encore à présent [1] » et egregie Bossuetius : « qu'il y ait un moment où rien ne soit, éternellement rien ne sera. » « Oportet igitur ens quoddam, *saltem unum*, admittere non habens aliunde causam suæ existentiæ, sed quod est causa existentiæ pro aliis, quod proinde non tantum relative ad alia, sed in se et absolute necessarium est, quod omnes dicunt Deum[2]. »

Obj. I. — *De facto ens contingens* ab æterno existit : ergo etiam et saltem de facto, non habet causam : ergo est necessarium.

Resp. *Transeat ant.*[3], *nego cons.*, siquidem ens contingens non habet in se rationem suæ existentiæ ; porro actualis insufficientia entis contingentis ad existendum, non minuitur per insufficientiam anteriorem, etiam æternam ; ergo cum etiam ab æterno non existat a se, extra se, causam æternam habeat necesse est : « le temps ne fait donc rien à l'affaire », ut aiunt [4]. — Aliunde contradictorium esset ens contingens (seu ens ab alio) existere per se solum et sine alio.

Obj. II. — *Leges* naturæ sunt necessariæ : ergo sunt ens necessarium.

Resp. *Leges* naturæ sunt necessariæ, *dist.*, — hypothetice et conditionaliter, *conc.* ; — absolute, *nego*, ex dictis in Cosmol. (n. 114). Revera posita solis existentia, necesse est, v. g., ut luceat. Hæc autem necessitas est mere hypothetica, sol enim sine ulla contradictione posset non existere. Rursus hæc necessitas a certis conditionibus pendet, quæ deficere possunt, et revera aliquando deficient cum sol extinguetur. — E contra, quod est absolute necessarium, v. g., duo et duo dant quatuor, bonum est faciendum, etc... a nulla hypothesi aut conditione dependet [5]. Ergo leges non possunt esse ens necessarium.

Inst. 1° Eadem permanet *ἐνέργεια* in orbe physico, juxta axioma : « Rien ne se perd, rien ne se crée. » Ergo saltem necessaria est *ἐνέργεια* et lex conservationis virium.

1. **Kleutgen**, *La Philos. scol.*, tom. IV, p. 291. — 2. *Sum. Theol.*, p. 1, q. II, a. 3. — 3. Cf. *Revue thomiste*, an. 1897, p. 458. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 102. — 5. **Farges**, *Ibid.*, 106-109 ; — **Boutroux**, *Contingence des Lois de la nature.*

Resp. *Dist. ant.* Eadem semper est in mundo viventium ἐνέργεια, *nego*; sunt enim multo plura viventia, multo plus cogitationis et libertatis hodie quam in initio mundi. — Eadem est in mundo physico-chimico, *subdist.*, quoad quantitatem, *conc.*; quoad qualitatem *nego*; quippe ἐνέργεια actualis in potentialem indesinenter reducitur, quin tamen pereat (*loi de la dégradation de l'énergie*). — Hinc *nego cons.*; quod enim ad res physicas sic restringitur et talem patitur degradationem, absolute necessarium non est[1].

Inst. 2° Indestructibilis est *materia*, cujus etiam pondus seu quantitas permanet invariabilis, sub variis transformationibus. Ergo materia est ens necessarium.

Resp. *Conc. ant.*; *nego cons.* Non solum enim materia inexistens commode concipitur, sed per se, nec esse suum nec suas qualitates et determinationes habet, sed a forma substantiali. Quod autem ex natura sua est prope nihil, passivum et indeterminatum, non est ens necessarium [2] (Ontol., n. 87).

Præterea tota argumentatio duplici ratione generali confirmari potest. Etenim — 1° immutabiles leges naturales, ἐνέργεια aut materia indestructibilis, nullo modo existentiam Dei evertunt, sed potius ejus sapientiam arguunt. « Dieu n'avait-il pas le droit d'établir dans la nature des lois fixes et invariables ? » — 2° De facto tamen, cum leges physicæ modi sint entium contingentium, induunt eorum contingentiam, et propter concursum aliarum legum, varias patiuntur exceptiones. Quod autem est tale, absolute necessarium dici nequit [3] (Cosmol., n. 114).

21. IV. — Probatur existentia Dei e *gradatione* entium [4].

Res physicæ secundum relativas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt, intelligunt. Porro relativum supponit absolutum et diversi gradus perfectionis ordinem dicunt ad aliquid summe perfectum, quod « est verissimum et optimum et nobilissimum ». Existit igitur ens quod est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens, et « quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis et cujuslibet perfectionis et hoc dicimus Deum [5] ».

Constat *major*, nam, prætermissis rerum speciebus, quæ in indivisibili consistunt, sunt aliæ perfectiones quæ suscipiunt magis et minus, sicut, v. g., *essendi* perfectio per quatuor gradus, sc. ex mineralibus per plantas et animalia ad hominem usque ascendit, necnon innumeris gradibus in unoquoque regno constat. Quod observatur non tantum apud viventes, sed etiam in mineralibus, quorum pondus ato-

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 72, 98, 109; — Cf. **Bruhnes**, in *La Quinzaine*, 15 janv. 1897. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 111-114. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 114-117. — 4. **Thesis Thomistica** XXII [a]; — **Farges**, *Ibid.*, 117-124; — **Villard**, *op. cit.*, p. 201-222. — 5. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 2, a. 3 et q. 79, a. 4, c; — Cf. **Garrigou-Lagrange**.

micum diversificatur crescendo ab hydrogenio usque ad uranium (1 à 240). Hujus entium scalæ exemplum habes in hierarchia numerorum, vel melius in arbore, quæ varias in partes ramos alios aliis altiores extendit.

Minor probatur ex dictis in Ontologia (n. 31) ; nam actus est prior quam potentia, et perfectum prius quam imperfectum, cum tota ratio potentiæ sit in actu a quo determinari possit totaque ratio imperfecti in perfecto, in quo formaliter vel eminenter est et cujus est participationis gradus (infra, n. 61).

Stat igitur *consequens*. « Quod enim dicitur maxime tale in aliquo genere est causa omnium quæ sunt illius generis ». — *Nec dicas* illud ens esse mere ideale, vel saltem imperfectum[1]. Nam ex una parte, res concretæ per causas abstractas male explicantur : et sane rivuli aquarum a fonte ideali non ducunt originem[2]. Ex altera vero, quod concipitur tanquam causa omnium perfectionum sive existentium, sive possibilium imperfectum esse non potest, sed inexhaustum, omnemque plenitudinem entis contineat necesse est.

Confirmatur auctoritate, nam hoc argumentum Socrates et Plato, S. Augustinus et D. Thomas, Bossuetius et Fenelonius luculenter exposuerunt ; — quod etiam spiritualistæ recentes : v. g., Saisset, Cousin enixe propugnant, imo quod evidentia gaudere, axiomatum instar, immerito tamen, volunt.

§ II. *Argumentum Physicum*[3].

22. V. — Probatur existentia Dei ex *ordine* Universi.

A. — Argumentum ex ordine mundi desumptum varie a variis denominatur. — Dicitur *physicum*, quia ex ordine mundi physico et sensibili, non a rerum natura metaphysica, sicut cætera quatuor (n. 15), exordium sumit. — Nuncupatur *teleologicum*, e verbo τέλος finis, seu « argument des causes finales » : nam ex fine præsertim dignoscitur ordo. — Denique per antonomasim vocatur etiam *cosmologicum* et *theologicum* :

1. Ita **Bertauld**, *Critique des Preuves de l'Existence de Dieu*, p. 99. — 2. **Monsabré**, *Conf.* de 1873, p. 158. — 3. **Farges**, *Théorie fondam.*, 3e part. ; — *L'Idée de Dieu*, p. 125-189 ; — Cf. **Plato, Aristoteles, Tullius**, *De natura deorum* ; — **SS. Patres**. — **Kepler, Copernic, Newton, Euler** et **Leibnitz** ; — **Fénelon**, *De l'existence de Dieu* ; — **Bossuet**, *De la connaissance de Dieu et de soi-même* ; — **Clarke**, *Traité de l'existence de Dieu* ; — **B. Nienwentyt**, *L'existence de Dieu démontrée par les merveilles de la nature* ; — **Chateaubriand**, *Génie du Christianisme* ; — **P. Janet**, *Les causes finales* ; — **Ch. Lévêque**, *Les Harmonies providentielles*.

non est enim via aptior, quæ sive rudem, sive doctum, ad existentiam et naturam Dei ducere valeat.

B.— His verbis exprimi solet : — In hac aspectabili rerum universitate splendet ordo mirabilis ; sed ordo ille conspicuus opificem summa intelligentia præditum et summe sapientem prædicat ; ergo existit Ens summe intelligens, a quo res omnes aptissime ordinantur : « et hoc dicimus Deum [1]. »

Hinc duo probanda veniunt : *existentia* et *ratio* ordinis.

23. Constat major argumenti seu *ordinis existentia* [2].

Nam, sive spectes *individua* quibus orbis conflatur, sive *nexum* quo res inter se uniuntur, jam in singulis finalitatem, ut aiunt, *intrinsecam*, in omnibus *extrinsecam*, in utrisque igitur ordinem sapientissimum miraberis (Cosmol., n. 116).

A. — Ecquis, quin stupeat animo, serena nocte, cum cæteros mortales sopor obruit, cœlum contemplari possit ? Ecquis sine lætitia auroram diei prænuntiam, montium cacumina roseis coloribus tingentem, et denique solem ipsum, naturæ decus et quasi principem, in cœlum gradientem aspiciat ? Ecquis sine grata mente, terram frugiferam et mare piscibus pullulans, mineralium varietatem, miram vegetalium et animantium structuram, hominisque corpus diversis instructum organis et animam cum suis facultatibus intueri queat ?

Hæc miratur vulgus, sed altior est Doctorum admiratio, qui in Astronomiæ, Geologiæ et Paleontologiæ, Chimiæ et Physicæ, Biologiæ, sc. Botanicæ, Physiologiæ et Historiæ naturalis, scrutandis phænomenis diu noctuque versantur.

Age vero ! 1. Nescis *orbes planetarum* ingentes cum satellitibus suis, numero 256, imprimis tellurem nostram cum luna, ordine inconcusso volvi circum solem, a quo vitam mutuantur : solem ipsum circa axem girari cum reliquis astris : systemataque similia stellarum, spatio et numero pene immensa, miro ordine, in vacuo ethereo suspensa, moveri nonnisi « ab Incomprehensibili Movente Primo, Ente Entium, Causa causarum, Custode Rectoreque Universi, mundani hujus operis Domino et Artifice [3] ? »

2. Nescis prædefinitas *atomorum* affinitates, proportionum

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 2, n. 3. — 2. **Farges**, *Ibid.*, n. 127-164 ; — Cf. **De Saint-Ellier**, *L'ordre du monde physique.* — 3. Paroles de **Linné** au frontispice de son *Système de la Nature*, Cf. *Etudes religieuses*, 3 nov. 1866, p. 331.

leges quæ combinationibus chimicis ordinate præsunt, ita ut motus atomorum in singulis moleculis, motibus planetarum in systemate solari comparari potuerint ? Nescis et regularitatem varietatemque in formis crystallorum ?

3. At stupenda magis in mundo *viventium* : imprimis evolutio ovi, ex quo viventium organismus totus exsurgit, unusquisque juxta speciem suam, quasi ab intelligenti manu regeretur. — Singula perpendas !

« Maximus in minimis cernitur esse Deus. »

4. En *flores* campi. Horum exstant centum millia specierum ; in singulis elegantissima structura, varii colores, supra modum mirabilis sive ars qua multiplicantur, sive numerus granorum, quibus magis ac magis pullulant.

5. En organismi *animalium*. A simplici cellula cuncti oriuntur ; sed quam mire gradatim diversificentur, nemo imaginari potest, nisi descriptiones scientificas Doctorum perlegerit.

6. Quid præsertim de *corpore humano* ? — Quid, v. g., de *manu* ? « Digitorum contractio facilis : itaque ad pingendum, ad sculpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est ; atque hæc oblectationis ; illa necessitatis : cultus dico agrorum, extructionesque tectorum, tegumenta vel texta, vel suta, omnemque fabricam æris et ferri [1]. » — Quid de *aure* ? Hæc, instrumenti musicorum instar, sex millibus fibrarum coalescit (fibres de Corti) quarum ope 5376 intervalla seu varietates sonorum nobis percipere fas est. — Quid de *oculis* ? « interpretes ac nuntii rerum, in capite tanquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt[2] ». Hi scilicet, sicut grandia naturæ spectacula in uno conspectu, ita et minutissima rerum distincte capiunt : « Chaque millimètre carré de la rétine peut reproduire distinctement 30 ou 40 mille points d'un objet donné [3]. »

7. Nec prætermittas *inclinationes* seu *instinctus* animalium. Alii quidem ad conservationem individuorum ; alii vero ad propagationem speciei, alii tandem ad quamdam formam societatis ineundam pertinent [4]. Nam singula animalia, statim a nativitate et etiam prima vice, operationes perdifficiles exe-

1. **Tullius**, *De natura Deorum*, L. II, n. 40. — 2. **Tullius**, *Ibid.*, L. II, n. 56.— 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 142. — 4. Cfr. **Fabre**, *Souvenirs entomologiques*.

quuntur, quarum rationem nonnisi post longum tempus, doctissimi hominum agnoscere valent (Psych., n. 66-69).

8. Quid tandem de *homine* ? in ipso intelligentia clarescit.

B. — Insuper hæc omnia *triplici nexu* inter se mire colligantur.

Imprimis enim alia aliis succedunt, et gradibus perfectionis ita concatenantur ut entia superioris ordinis perfectiones ordinis inferioris possideant, quin ullum inter ea invenies hiatum, sed cum unitate mira consistat varietas : et hic est nexus *ontologicus*.

Præterea, omnes partes orbis physici mutuo suarum actionum influxu ita cohærent, ut unum stabileque systema, quem universum, quasi versus unum, appellamus, efficiant. Nam animalia vegetatibus aluntur, vegetalia mineralibus ; tellus autem cunctaque sidera, vi gravitationis universalis « tanquam vinculo circumdato colligantur [1] ». Et hic est ordo *dynamicus*.

Denique aptissima est rerum dispositio, tum ad finem unius entis particularem, cum ad finem cujusque partis, tum ad finem naturæ generalem ; inde clarescit ordo *teleologicus* [2]. Unde particulares ordines, in diversis entium speciebus explorati, sub uno generali ordine continentur, et ope legum universalium tendunt ad eamdem causam finalem, quam extra physicum orbem inquirere debemus (Cosmol., n. 116).

24. Constat minor argumenti : *ordinis ratio* Deus est.

Revera finalitas unius rei interna jam sufficienter arguit intelligentiam : unde a fortiori ex ordine illo mirabili totius mundi concludere possumus *directe* ad causam summe intelligentem, *indirecte* vero ad Intelligentiam *Infinitam*.

A. — Hic ordo supponit causam *intelligentia* præditam. Etenim, ut patet, ordo naturæ tria importat : multiplicitatem sc. et connexionem in rebus ordinatis, unitatem in fine, et leges generales ad finem assequendum ; ea autem necessario supponunt ordinatorem ab ordinatis distinctum et intelligentia præditum. *Sin aliter*, essent effectus sine ratione sufficienti ; est enim solius entis intelligentis res diversas et sæpius ratione carentes ad finem communem ordinare, necnon statuere leges quibus finis ille comparetur : « Ea quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante [3] » (Ontol., n. 68, 177).

Præterea Prima Causa ordinis est *summe* intelligens. Et vero, ut ens quoddam res mundanas ordinare et ad se tanquam ad finem ultimum dirigere queat, necesse est ut sit summe in-

1. *Contra Gent.*, L. III, c. 7 ; — **Tullius**, *Ibid.*, L. II, n. 45. — 2. I *Sent.*, dist. 47, q. 1, a. 4 ; — *Sum. Theol.*, p. 1, q. 44, a. 4. — 3. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 2, a. 3.

telligens ; perfectio enim causæ efficientis ex perfectione et difficultate effectus probatur. Porro, etsi non infinita, miranda est ordinatio rerum, maxima unitas et varietas in rebus prope infinitis, stupenda mysteriorum naturæ altitudo et immensitas, constantissima legum universalium colligatio, et pulcherrima visu compages quæ, in rebus etiam infimis, inveniuntur. Ergo *directe* et lucidissime colligitur primum ordinis auctorem summa saltem intelligentia esse præditum.

B. — *Indirecte* vero, et saltem cum maxima probabilitate, deveniendum est ad causam *infinitam*. — *Imprimis* enim sedulo notandum est ordinem de quo agitur, naturis rerum non accidentalem esse, sed essentialem. Ergo primus ordinator non solum ordinem instituit, verum etiam essentias ex quibus talis defluit ordo creavit : ergo, ut creator, sit infinitus (n. 111). — *Præterea* videtur elegisse inter quemlibet ordinem metaphysice possibilem : quapropter, omnes possibiles legum collationes, quinimo futuras hominem liberas actiones prævidere debuit ; sed prævisio omnium possibilium eventuum atque actionum liberarum, infinitam intelligentiam necessario postulat, quam nominamus omnes Deum.

Confirmatur auctoritate philosophorum, sive veterum, sive recentiorum, qui argumentum physico-teleologicum stylo pereleganti exposuerunt : v. g., Tullius [1], S. Athanasius [2], Fenelosius [3], et alii.

25. *Hinc vana* est quælibet alia ordinis explicatio [4].

Hæc quadruplex affertur ab adversariis ; qui quidem prælaudati ordinis existentiam non negant, sed tanquam effectum vel a *casu*, vel a *necessitate*, vel ab *evolutione* rerum *passiva*, vel ab evolutione *activa* derivare contendunt. — Harum vero causarum nulla est sufficiens et proportionata ad tantum effectum, nempe ordinem universi, explicandum :

I° Non *casus*, ut voluerunt antiqui [5]. Casus enim non est ens, nedum sit causa et quidem intelligens. Quare effectus, qui casuales dicuntur, vel in altera causa, vel in occursu duplicis causæ rationem sui habent (Ontol., n. 180).

II° Non *necessitas* [6]. Hæc enim esset vel intrinseca vel extrinseca naturæ. Sed — 1. Nihil est in mundo necessarium :

1. *De natura Deor.*, L. II, c. VI, VII, etc. — 2. *Orat. contra Gent.*, n. 35. — 3. **Fénelon**, *Traité de l'Exist. de Dieu*, ch. II. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 164. — 5. **Farges**, *Ibid.*, p. 166. — 6. **Farges**, *Ibid.*, p. 167.

nec materia, nec leges quibus ipsa regitur, ut supra diximus (n. 20) : ergo necessitas non est *intrinseca* naturæ. — 2. Sublato Deo, quænam erit hujusmodi causa *extrinseca*, quæ mundum necessario producat, non liquet. Ergo neutra est.

Objicit D. Bergson : Idea rerum sine ullo ordine (l'idée du désordre) est contradictoria, nam res non possunt coexistere sine modo coexistendi. Ergo ordo rerum est necessarius [1].

Resp. Nego ant. Ad *rationem* allatam *dist.* : coexistentia rerum implicat aliquem modum coexistendi, *conc.* ; talem modum bene ordinatum potiusquam alterum non ordinatum, *nego*. Ergo ordo hujus mundi non est necessarius, sed contingens.

Instant, sicut olim Epicurei, *ex calculo probabilitatum*, sic : Ordo actualis universi una est inter omnes, infinitas numero, combinationes atomorum possibiles ; aliunde numerus instantium proindeque combinationum in decursu temporum est pariter infinitus : ergo combinationem actualem tandem evenire oportuit. — Confirmatur exemplo Æneidis, cujus characteres, si toties in terram jactarentur, quot sunt combinationes possibiles, aliquando in hanc formam Æneidis devenirent.

Resp. 1° *Transeat* totum. Ergo existit causa quæ atomos produxit, vi cujus atomi per vacuum agitantur, et quæ sortes dirigit, sc. Deus.

2° *Nego ant.*, nam in tempore reali, proindeque finito, quale nunc fluit, numerus instantium proindeque combinationum nonnisi finitus est, præsertim cum singulis instantibus non necessario nova efficitur combinatio, sed continuatio præcedentis, ut in hoc mundo patet.

3° *Nego cons.* Nam in serie etiam infinita sortium, non *omnes* possibiles combinationes apparere debent, sed simpliciores frequentius, complexæ autem eo rarius quo magis sint intricatæ. Quod si infinite complexa et difficilis supponatur aliqua combinatio, omnino impossibilis evadet. Porro ita est de actuali ordine mundi. Nam si octo litteræ possunt 40320 situs induere, quantus erit numerus combinationum atomorum totius universi ! Talis computatio superat vires hominis et angeli. Ergo combinatio præsens nec prima vice, nec secunda, nec unquam, sorte apparebit : « il y a l'infini à parier contre un [2] ».

4° *Nego paritatem*, nam, etiamsi sortes infinities repetitæ dare possint combinationes characterum Æneidis, — quod vix credibile est, — combinationes vero atomorum hujus mundi non in infinitum fuerunt repetitæ, nam derivantur a prima, et cum ea vinculo causali devinciuntur, ita ut dici possit mundum evolutum fuisse primo ictu et unico tenore.

26. III° *Non evolutio passiva seu mechanica* [3]. Juxta quosdam Darwinistas et plurimos evolutionistas v.g. Hæckel et Spencer,

1. **Farges**, *La philosophie de M. Bergson*, p. 439 et suiv. — 2. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 168-172. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 172-180.

ordo passive producitur a causis extrinsecis, ut sunt influxus locorum, elementorum, aliorumque mediorum.

Resp. Aliquot effectus in natura ordinati hoc modo explicari possunt, *conc.* ; omnes, *nego.* Sic, v. g., adaptatio alvei fluminis suis aquis, mechanice explicatur mutua actione aut resistentia aquarum et alvei, nec requiritur alveum effossum et adaptatum fuisse ante transitum aquarum. Hæc autem adaptatio mechanica necessario supponit præsentiam mutuamque actionem utriusque termini adaptandi ; unde dicitur *ordo resultans.* E contra, permultis in casibus, v. g., in evolutione ovi, oculus, absente lumine, lumini futuro adaptatur ; item aures, os, stomachus, mamillæ, cæteraque organa ad res futuros præformantur. Ergo talis ordo non est resultans ex mechanica adaptatione terminorum, sed ex præordinatione naturæ.

IV° Nec tandem *evolutio activa*, quam inducunt quidam naturalistæ, v. g., Hegel, Schelling, Schopenhauer et Strauss[1], et ipse Bergson. Juxta eos, non intellectus, sed *vis cæca* naturæ mirabiles ordinis effectus evolvit : nec mirum esse debet, siquidem, inquiunt, mirabiles instinctus animalium, necnon ingenii subitæ inventiones nullam supponunt reflexionem.

Resp. Hæc producit vis cæca, *secunda* et sub motione agentis sapientissimi, *conc.* ; *prima* et a seipsa operans, *nego* : hoc enim implicat contradictionem.

Exempla vero quæ afferuntur nihil probant ; nam 1° — Instinctus cæcus non est rerum ultima explicatio, cum sit et ipse explicandus. Cujus autem una est explicatio ; nam, sicut infantibus parentes varias inculcant dispositiones quibus postea ad virtutem colendam etiam inviti ducuntur, ita Deus tribuit animalibus notitias et inclinationes, quibus sponte trahuntur ad agendum secundum suam naturam (Psych., n. 68). 2° — Inventiones vero ingenii, gallice « les traits de génie », non sunt actus cæci, sed e contra intuitiones intellectus, quibus post longiora ratiocinia repente veritas illucescit.

Confirmatur, nam, sublata causa intelligente ab initio rerum, sequitur hoc absurdum, sc. intelligentiam esse terminum evolutionis cæcæ : « Quelle plus grande absurdité qu'un amas de causes aveugles produisant des êtres intelligents[2]! »

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 180-186. — 2. **Montesquieu.**

Existit ergo Ens summe intelligens, quod omnia quidem prævidit et ordinatos effectus decrevit, licet quædam accidentia vel monstra indirecte permiserit [1].

Hinc — 1. Constat finalitatem inconsciam supponere Intelligentiam ; imo partialiter consciam requirere Intelligentiam perfecte consciam et Immobilem [2] (Ontol., n. 68, 177).

Hinc — 2. Indirecte probatur universalitas principii finalitatis : *omne ens suum habet finem ad quem ordinatur.*

Cor. gen. — Ex omnibus hucusque dictis patet existentiam Dei extra scientiam non esse ablegandam, ut quidam blaterant, sed e contra in scientiis fundari, nam argumentatio nostra scientiæ data cuncta recipit, et quod scientiæ per se explicare non valent, sola et luculenter explicat [3].

ARTICULUS II.

De Argumentis Psychologicis [4].

Sicut mundus, ita mens humana et ipsa *movetur, originem* habet, et, licet contingens, *necessarias* elicit ideas ; præterea *anhelat* ad summam perfectionem, et *ordine morali* regitur. Exinde colliges quinque nova argumenta existentiæ Dei, subtiliora quidem aut posteriora, sed similia prioribus : sunt enim novæ applicationes quinque argumentorum fundamentalium.

27. I. — Probatur existentia Dei ex *motu spirituali* [5].

A. — *Argumentum generale.* Est in anima multiplex motus : hujus autem causa ultima nonnisi Deus est. Ergo Deus existit.

Major est certa ex dictis in Psychologia. *Minor* etiam : vel enim ex seipsa, vel ab alio anima primum movetur. Sed seipsam primo movere nequit, nam ante primum actum est tantum in potentia, porro nihil movet nisi secundum quod est in actu. Ergo ab alio movetur.

Rursus autem hoc movens vel Deus est vel alia creatura. Si prius, causam habemus : si posterius, hæc creatura et ipsa a Deo ultimo moveatur oportet, nisi regressum ad infinitum inducere velis. Ergo tandem principium ultimum activitatis animæ Deus est.

B. — Hoc quidem argumentum *speciatim* urget quoad motum intellectus et quoad motum voluntatis. Quomodo enim movetur *intellectus* ad suum primum actum ? — A seipso ?

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 185-189. — 2. M. **Couailhac**, *La Liberté et la conservation de l'énergie*, in *Etudes*, tom. 76e, p. 765. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 85. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 190-220 ; — **Abbé de Broglie**, *Preuves psychologiques.* — 5. **Farges**, *Ibid.*, p. 191-197.

sed repugnat aliquem primo movere seipsum (Ontol., n. 167). — A voluntate ? Et sane intellectus et voluntas invicem se movent ; attamen, « non opportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu sicut in primo : omnem enim voluntatis motum necesse est quod præcedat apprehensio [1] », sed non vicissim (Psych., n. 115). — Ab objecto intelligibili ? Sed e contra est intellectus agens qui facit objectum intelligibile ; unde objectum intelligibile movet quidem intellectum possibilem, sed debet et ipsum moveri seu illuminari ab intellectu agente.

Rursus autem intellectus agens si aliquando ipse moveri debuerit, redit eadem difficultas. Ergo tandem a Deo, ut egregie concludit ipse Aristoteles : « Quid sit principium motus in anima ? Patet vero, quemadmodum in universo est Deus, sic etiam in anima : moventur enim omnia ab inexistente in nobis Numine : κινεῖ γὰρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν Θεῖον. Intellectus autem principium non (est) intellectus, sed præstantius quidpiam est. Quid autem et scientia præstantius est et ratione, nisi Deus [2] ? »

Quomodo etiam movetur *voluntas* ? — cujus profecto Deum esse primum motorem jam probavimus (Psych., n. 100, 101) sed et infra confirmatur (n. 119).

Brevius, Cartesii ad instar : « Cogito et volo, ergo Deus est.»

28. II. — Probatur existentia Dei ex *origine animarum*.

Inest singulis hominibus anima spiritualis et ideis universalibus prædita : sed talis animæ origo sine Deo explicari nequit. Ergo Deus existit.

Major probata manet ex dictis in Anthropologia (n. 83, 165). Revera anima est spiritualis in suo *operari*, sc. in intellectionibus et volitionibus, quibus res universales et immateriales apprehendit et appetit. Ergo spiritualis est in suo *esse*.

Minor per partes duplici probatur enthymemate :

1° Origo *substantiæ per se subsistentis* sine Deo explicari nequit. Ergo Deus existit [3].

Probatur *antecedens*, nam animæ, quibus vivificatur materia, duplicis sunt generis : aliæ materiales, aliæ vero immateriales. Porro priores, cum sine materia subsistere vel operari non valeant, in materia præexistere virtualiter et « intus nasci in materia » possunt ; revera virtute seminis generantur. Pos-

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 82, a. 4, ad 3. — 2. *Moral. Eud.*, L. VII, c. 14, § 22. — 3. **Farges**, *La Vie*, p. 188-192.

teriores autem, quarum esse proprium nihil habet corporeum, in materia præexistere virtualiter et ex potentia materiæ educi repugnat. Ergo, cum a semetipsis non existant, *de foris* ab altero spiritu subsistente sint oportet, quem dicimus Deum... : quod ipse Aristoteles, licet modum originis animæ non dixerit, vi deductionis inferre cogitur : *Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον* [1] (Psych., n. 212-213).

2. Origo *idearum universalium* in mente contingente sine Deo explicari nequit. Ergo Deus existit [2].

Probatur *antecedens*, nam, omisso empirismo, qui non explicat sed negat ideas universales, quadruplex superest sententia ad idearum universalium explicationem, nempe Ontologismus, Inneismus, Traditionalismus et Intellectualismus. Porro tria priora systemata explicite supponunt Deum, qui, si ipsis fides, vel ab intellectu immediate perspicitur, vel in eum infudit ideas, vel sermonem hominibus revelavit. — Qui vero postremam tenent sententiam, nempe scholastici, ad explicandam abstractionem idearum theoriam luminis divini in medium afferunt. Ergo et ipsi, licet non eodem modo, revera tamen Dei existentiam implicite confitentur.

Probatur *consequentia*, nam ad apprehensionem etiam unius ideæ universalis duo requiruntur, virtus intellectiva et objectum intelligibile. Porro utrumque Deum supponit : — 1um quidem, nam hæc virtus animæ nostræ contingentis et mobilis, qua tendimus ad veritatem necessariam et æternam, non est nisi virtus partialis, mobilis et imperfecta ; sed « semper quod participat aliquid, et quod est mobile, et quod est imperfectum præexigit ante se aliquid quod est per essentiam tale, et quod est immobile, et quod est perfectum [3] ». Ergo « virtus intellectualis creaturæ, quasi a prima luce derivata est [4] » (n. 21). — 2um etiam : res enim contingentes non essent intelligibiles, nec in eis formas necessarias contemplari possemus, nisi conformes essent ideis divinis. Aliis verbis, nullum objectum intelligibile est, nisi verum sit ; nihil autem verum est nisi divini Idealis habeat similitudinem [5] (Ontol., n. 57).

Nec dicas hæc conscientiæ impervia. — Hæc *quidem* divina idearum origo conscia non est, sed ratione infertur ex ipsarum genesi, alio etiam titulo ac Deus ex idea Infiniti (n. 12, B).

1. **Aristoteles**, *De generatione*, L. II, c. 3.— 2. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 197-204. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 4, c.— 4. *Ibid.*, q. 12, a. 2.— 5. *Ibid.*, q. 16, a. 6.

Existit ergo Deus, qui luce sua mentem hominis perenniter illuminat et dirigit, necnon objecta reddit intelligibilia [1].

29. III. — Probatur Deus ex absoluta necessitate *veritatis* [2]. Exstant veritates ab omni re creata independentes, ideo necessariæ et æternæ; sed veritates hujusmodi nonnisi in Intellectu pariter necessario et æterno subsistunt; ergo in Deo.

Vim *majoris* satis illustrant exempla, nam principia prima, sive speculativa, v. g. : idem non potest esse et non esse; sive practica, v. g., bonum est faciendum... a creaturis non dependent; — item ante omnem creatum intellectum vera sunt; — imo ante creationem aut post annihilationem omnium rerum, earum possibilitas permanet absolute vera.

De quibus Bossuetius : « Toutes ces vérités... subsistent indépendamment de tous les temps : en quelque temps que je mette un entendement humain, il les connaîtra, mais en les connaissant il les trouvera vérités, il ne les fera pas telles : car ce ne sont pas nos connaissances qui font leurs objets, elles les supposent. Ainsi ces vérités subsistent devant tous les siècles, et devant qu'il y ait un entendement humain [3] ».

Vim autem *minoris* in Ontologia (n. 38-42) jam demonstravimus; siquidem veritates, sicut ideæ, nec in se, nec in rebus materialibus, imo nec in qualibet potentia animæ ut voluntas, sed nonnisi in intellectu, et, si sunt necessariæ et æternæ, in Intellectu necessario et æterno formaliter subsistere tantummodo possunt. Hunc autem intellectum esse Deum non quidem directe percipimus, ut dicunt ontologistæ (Psych., n. 124), sed ratiocinio deducimus. « Unde concludi potest quod veritates intellectæ fundantur in aliquo æterno, in ipsa prima Veritate [4]. »

Huic argumento vim absolutam tribuunt S. Augustinus [5], Leibnitzius, Kleutgen [6] et alii [7] : cui tamen a plurimis duo objici solent.

Obj. I. — Tales ideæ logice seu relative ad nos sunt necessariæ; sed logica necessitas nihil requirit præter essentias rerum physicas; ergo tales ideæ non requirunt Deum.

Resp. *Dist. maj.* : tales ideæ sunt logice et ontologice necessariæ, *conc.*, logice tantum, *nego*; nam habent suam veritatem

1. Cf. **Piat** : *Quid divini ideis nostris tribuat D. Thomas ?* Paris, 1890. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 204-207; — *Revue thomiste*, an. 1904, p. 385. — 3. **Bossuet**, *Connaissance de Dieu*, ch. IV, p. V. — 4. *Contra Gent.*, L. II, c. 84; — *De Veritate*, q. 3, a. 5, ad 1 et 2. — 5. *Conf.*, L. VIII, c. 17. — 6. *Philos. scol.*, n. 915, 936, 939. — 7. *Ita* **Mgr d'Hulst**, **Garrigou-Lagrange**; — *Contra* **DD. Mercier**, **Card. Billot**; — Cf. **Lahousse**, *Theol. nat.*, n. 101-110.

objectivam, etiamsi nullus intellectus creatus illas conciperet. — *Contradist. min.* : nihil ultra requirit logica necessitas, *transeat* ; ontologica, *nego*. Revera cur mens humana has ideas conceperit, partim saltem explicat existentia rerum physicarum ; cur autem hæc principia, etiam in hypothesi non existentiæ rerum physicarum, vera sint absolute, existentia præsens rerum physicarum non explicat [1].

Obj. II. — Sublata intelligentia tum humana tum divina, veritas remanet necessaria, nam adest saltem *fundamentaliter* in rebus finitis existentibus (Ontol., n. 57) ; ergo veritatis necessitas non probat existentiam divini intellectus [2].

Resp. *Nego ant.*, nam nullum ens potest esse sufficiens fundamentum omnium essentiarum possibilium, nisi sit ens infinitum et æternum (infra, n. 51) ; quodlibet enim ens finitum sua essentia limitatur v. g., hic circulus notionem circuli continet fundamentaliter, non autem quadrati aut alterius entis. Porro ens infinitum et æternum infinita et æterna intelligentia carere non potest. Ergo ens, in quo fundamentaliter nititur veritas infinita et æterna, non aliud est nisi divinus intellectus.

30. IV. — Probatur Dei existentia ex *desiderio Infiniti* [3].

Inest, non mihi solummodo, sed omnibus hominibus desiderium infiniti. Sed desiderium hujusmodi supponit existentiam sui objecti. Ergo existit Ens infinitum, nempe Deus.

Constat *major* testimonio conscientiæ, nam intellectus ad perfectam veritatis acquisitionem, voluntas ad boni absoluti possessionem, cor autem ad beatitudinem perfectam anhelant. — Hinc, his in terris, inquietudo hominis, suspiria ad vitam immortalem, in ore omnium gemitus et dolor quæ tantum spe melioris status quiescere possunt (Psych., n. 221).

Constat *minor*, siquidem hæc desideria, hæc suspiria sunt universalia, quæ profecto singuli experiuntur ; — sunt necessaria, quippe in nobis sunt, sed a nobis libere non eliciuntur ; — sunt immutabilia : hæc enim nec tempus, nec miseriæ, nec gaudia destrunt, sed potius adaugent. Jamvero desideria quæ talibus dotibus fruuntur pars naturæ humanæ dici debent, nec inania dici possunt. Ergo sortiantur oportet suum effectum : natura enim nihil facit frustra, ut scientia constat, et positivistæ ipsi fatentur, sic, v. g., nunquam suis instinctibus animalia decipiuntur. « Frustra autem esset hæc ordi-

1. **Farges**, *Ibid.*, p. 34-37. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 205-206 ; — Cf. **Du Rousseaux**, *le Néo-dogmatisme*, in *Revue Néo-scol.*, fév. 1912, p. 108-114. — 3. **Farges**, *Ibid.*, p. 212-215 ; — Cf. **Schiffini**, *Disp. metaph. special.*, vol. II, n. 395 ; — Cf. *Revue de Philosophie*, an. 1921, p. 174-197.

natio intellectus (et voluntatis) in infinitum, nisi esset aliqua res intelligibilis infinita [1]. »

Confirmatur *consequentia* : secus enim natura esset essentialiter mala, nec major fides intellectui quam voluntati præstanda esset, quod vergit in scepticismum.

31. V. — Probatur existentia Dei ex *ordine morali* [2].

Viget in corde hominum imperativum absolutum boni faciendi, malique vitandi : hoc autem supponit legislatorem et judicem supremum, et hunc dicimus Deum.

Probatur *major*, nam tria de facto testatur sua cuique conscientia, nempe libertatem, obligationem et sanctionem. — Primo enim conscii sumus nostræ libertatis, ita ut eligere singuli possimus inter bonum et malum. — Secundo unusquisque sentit se non tantum aptum esse, sed et *absolute* teneri ad bonum eligendum et malum fugiendum. — Denique, post actum suum, sperat aut timet justam retributionem, nempe pro bono mercedem, pro malo pœnas.

Exinde patet *minor*, nam duo priora supponunt legislatorem, duo autem posteriora requirunt judicem supremum. Revera

1° Libertas individua ligari nequit nisi a domino, qui sit alius ab obligato, ei superior et anterior, necnon ab illo independens. Hic autem dominus non est individua *ratio*, quæ legem quidem cognoscit, sed non facit ; — nec *ratio generalis*, quæ nihil est nisi abstractio mentis nostræ ; — nec tandem *alius homo*, qui et ipse eadem lege, quovis tempore, detinetur. Ergo Deus est supremus ille Legislator.

2° Similiter actiones hominum morales mereri vel demereri nequeunt nisi erga aliquem, qui ab eis exigere pœnas possit vel illis retribuere mercedem. Hic autem non est ipsummet agens liberum quod sanctionem sibi imponere *nollet*, — nec societas, quæ sanctionibus adæquatis *impar esset*, — nec tandem ordo rerum objectivus, qui violationes quas patitur, *ignorat*. Ergo Deus est supremus iste Judex.

Confirmatur, nam tanta est vis illius argumenti, ut practice coegerit ipsum Kantium, licet alia argumenta respuentem.

Juxta nos tamen est argumentum indirectum, sicut et præcedens, et utrumque sic proponi potest : viget in corde hominum imperativum categoricum, sicut et desiderium infiniti ; sed utrum-

1. *Contra Gent.*, L. I, c. 53 ; — L. II, c. 55. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 216-220 ; — *L'idée de sanction*, in *Revue thomiste*, an. 1903, p. 159.

quæ supponit Deum esse quacumque via *præcognitum* ; « desiderium enim in rebus cognoscentibus sequitur cognitionem [1] » : ergo Deus alia anteriori via cognitus sit oportet.

32. Corol. gener. — de inanitate Criticæ *kantianæ* [2].

A. — Si Kantio fides, male fundaretur divisio argumentorum existentiæ Dei. Hæc enim, juxta eum, triplicis sunt generis, nempe argumenta *ontologica*, quæ principio identitatis, argumenta *cosmologica*, quæ principio causalitatis, argumenta tandem *teleologica*, quæ principio finalitatis nituntur.

Ast ex idea Dei, non licet ad existentiam Dei realem transire ; similiter necessitas recurrendi ad primam causam lex est forsan mere subjectiva mentis nostræ, quin habeat realitatem objectivam ; denique ordo mundanus nonnisi ad ordinatorem finitum ducit. Ergo vana sunt seu objective insufficientia cuncta usu probata argumenta existentiæ Dei[3].

B. — Hæc Kantius : at in promptu est responsio. — Nam ultro fatentur scholastici ex idea Dei per viam analysis seu identitatis nihil educi posse : hinc est cur in omni tempore rejecerint argumentum a simultaneo (n. 12). — At non ita dicendum de argumento cosmologico, quod, cum ab effectu reali sumat exordium, ad causam realem, non tantum idealem, imo ad causam necessariam perveniat necesse est : secus enim series entium contingentium, etiamsi per impossibile daretur numero infinita, ut gratuito supponit Kantius, sine ente necessario explicari non posset (n. 16). — Denique, ut supra dictum est (n. 24), ex ordine mundano colligitur existentia ordinatoris quam sapientissimi, et quidem vi solius principii causalitatis, non vi principii finalitatis, ut voluit Kantius.

Quæ cum ita sint, non ratione principiorum, sed ratione factorum dividi debent argumenta existentiæ Dei, nempe in cosmologica et psychologica : hæc enim omnia quæ valida sunt, unico principio causalitatis proxime innituntur [4]. — Ideo crisis Kantii, sive quoad divisionem, sive quoad valorem argumentorum, tota corruit — eo sane magis quod argumentum morale ab ipso supra laudatum (n. 31) conducit tantummodo ad *fidem moralem* in Deum, cujus certitudo, subjective quidem sufficiens, *objective insufficiens* remanet [5].

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 5. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 261. — 3. Ita etiam **neo-kantistæ**, Cf. *Annales de Phil. chrét.*, oct. 1901. — 4. Cf. **Quiévreux**, *La Preuve de l'existence de Dieu*, in *La science catholique*, déc. 1901 ; — **J. Halleux**, *Les Preuves de l'existence de Dieu*, in *Revue Néo-scolastique*, 1906 et 1907 ; — *Le Problème de Dieu*, *ibid.*, 1907-1908.—5. *Critique de la Raison pratique*, 1,I,11, c. 5.

CAPUT TERTIUM.

CONFIRMATIO DEMONSTRATIONIS.

Fusius, ob rei momentum, evolvimus argumenta existentiæ Dei. Hæc adhuc duplici modo confirmare licet, directe et indirecte ; directe *ex consensu generis humani*, indirecte *ex falsitate atheismi.*

ARTICULUS I.

De Consensu generis humani [1].

33. *Quid* de consensu hominum circa existentiam Dei ?

Ille consensus generalis sub duplici respectu considerari potest.

1° Est nempe novum argumentum existentiæ Dei, quod *morale* vocant et hanc formam induere solet : Omnes populi consentiunt in agnoscendo Numine supremo ; sed consensio hujusmodi constans et universalis exoriri nequit ab errore communi ; existit igitur Numen supremum, quod Deum appellamus.

Constat vis argumenti, nam ille consensus est effectus et requirit causam : porro, quocumque tandem modo explicetur, sive primitiva revelatione, sive sensu communi, sive instinctu naturæ (Log., n. 240), est argumentum veritatis, i. e, existentiæ Dei.

2° Melius tamen habetur ut *confirmatio* indirecta nostræ demonstrationis : ideo enim de existentia supremi Numinis consentiunt homines, quia evidentia objectiva variorum quæ supra allata sunt argumentorum, implicite vel explicite trahuntur ad eamdem veritatem admittendam. — Inde fit ut ratio individualis ratione collectiva generis humani illustretur et roboretur, juxta illud Stagiritæ : « Potentissima probatio est, si id in quo dicimus, omnes consentiunt. »

Quidquid sit, duo supersunt probanda : 1° consensionem hujusmodi esse universalem, 2° eam consensionem a veritate oriri. — Unde

34. I° *Consentiunt* omnes in agnoscendo Numine Supremo.

1° *Consentiunt populi* [2]. — Probatur e gentium *ritibus* ; nam erecta templa, festi dies instituti, statuti sacerdotum ordines, consecrata ubique altaria, oblataque sacrificia testantur fidem omnium populorum et consensionem de supremi Numinis existentia. — Constat etiam ex *testimoniis* historicorum, imprimis Plutarchii [3] et Tullii : « Nulla est gens tam

1. Cf. **Farges**, *Idée de Dieu*, p. 221-260. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 221-234 ; — **Monsabré**, *Conf. de N. D.*, 1873. — 3. *Adversus Coloten. Epicureum.*

immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat [1]. »

Hoc mire confirmant recentiorum *inventa*, nempe missionariorum viatorumque, necnon monumenta vetustissima ab Oriente in Europam translata. Hæc enim omnia in eamdem conclusionem deveniunt : sc. omnes populi, quorum historia dignoscitur, Numen supremum admisere : quod et Nigritæ *Lu* [2], Sinenses *Thung*, Ægyptii *Ammon-Ra*, Indi *Brahma*, Chaldæi *Hu* vel *Assur*, Phœnicei *Baal*, Persæ *Orzmud*, Galli *Teutatès*, Græci *Zeus*, Romani *Jovem* nuncupaverunt [3].

Nec aliter dicendum videtur de *populis præhistoricis*, ut colligere fas est, tum ex Bibliæ sacræ testimonio, tum ex antiquissimis de origine rerum traditionibus, tum ex inventis sepulchris aliisve religionis signis, tum denique ex paritate cum hodiernis Nigritis qui, licet fere omni industria destituti, idea Dei minime destituuntur. Unde de Quatrefages : « Là est le grand fait. L'athéisme n'est nulle part qu'à l'état erratique » ; ita ut illustris ille naturalista hominem definire voluerit : « animal religiosum [4]. »

2° Consentiunt et *summi hominum* [5]. Horum enim optimus quisque Dei existentiam propugnavit. Sic apud veteres Xenophon et Anaxagoras, Socrates, Plato et Aristoteles, — Tullius, Seneca, — S. Augustinus et omnes SS. Patres, — S. Thomas et doctores scholastici, — Copernic, Galilæus, Baco, Cartesius, Kepler et Newton, Leibnitz, Fenelo, Bossuetius, — ipsimet Diderot, Voltaire et J.-J. Rousseau, necnon multi recentes, v. g., inter mathematicos, Cauchy, Herschel, Le Verrier, Faye, Laplace, Ampère, Volta, Œrstedt, R. Mayer, Fresnel, Faradey, Liebig, J.-B. Biot, etc. : — inter naturalistas autem : Cuvier, Agassiz, Latreille, Milne-Edwards, Lamarck, ipse Darwin, G. Saint-Hilaire, Cruveilhier, Wurtz, Chevreul, Pasteur, de Lapparent, etc., etc. Ecquis societatem tot et tantorum doctorum deserere voluerit, ut paucorum, ignoti sane nominis, numerum augere tentet ?

35. II° Ea consensio generalis a *veritate* tantum oritur [6].

Alioquin, unanimis populorum consensus exordium sumeret, secundum atheismi fautores, vel a *præjudiciis* educationis, vel ab *ignorantia legum* naturalium, vel a *sacerdotum et*

1. *De Legibus*, L. I, c. 8 ; — Cf. **Nicolaï**, *Histoire des croyances*. — 2. **Mgr Le Roy**, *La Religion des primitifs*. — 3. Cf. Abbé **de Broglie**, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*. — 4. **de Quatrefages**, *L'Espèce humaine*, ch. 35, p. 356 ; imprimis, *Les Pygmées*, 1887 ; — **Lamennais**, *Essai sur l'indifférence*, t. II, c. XIV : — Cf. **M. Dourisbourg**, *Les Sauvages Ba-Nhars*. — 5. **Farges**, *Ibid.* p. 234-259. — 6. **Farges**, *Ibid.*, p. 221-225.

legislatorum fraude, vel ab inani *metu*. — Sed nullum ex his figmentis admitti potest.

Non 1um. *Præjudicia* enim a cupiditatibus oriuntur, quibusdam familiis aut gentibus propria sunt, proindeque tempore destruuntur. Dogma autem existentiæ Dei, criminum ultoris, cupiditatibus hominum non favet ; aliunde, fides ea populorum constans est et universalis, videlicet a primævis sæculis per totum orbem diffusa.

Non 2um. Nam, ex una parte, dogma existentiæ Dei, ad mores instruendos necessarium, agnosci potest ab his qui leges physicas *ignorant* : Deus enim habetur ut primus auctor et gubernator ordinis moralis. — Ex altera parte, scientiarum naturalium cultores peritissimi existentiam supremi Numinis aperte confessi sunt ; ita ut vera sit ea Baconis sententia : « Leves gustus in philosophia movere fortasse possunt ad atheismum ; sed pleniores haustus ad religionem reducunt [1]. »

Non 3um. Et sane institutio *sacerdotii* jam supponit Dei notitiam per orbem vulgatam : itemque, multi sylvicolæ nullum humanum *legislatorem* agnoscunt ; apud quos tamen viget idea supremi Numinis. — Aliunde, quisnam sit sacerdos ille solertissimus, celeberrimusve legislator qui tali fide genus humanum imbuerit ? aut quomodo fraus hujusmodi non fuerit detecta ? et quo jure, qua solertia, deceptor iste gravissimo religionis onere gentes premere potuerit ?

Non 4um. Non solum enim timidi infantes et mulierculæ, verum etiam viri fortes et impavidi Deum esse crediderunt. — Cæteroquin gentes Numen supremum non habuere veluti monstrum fulminibus procellisque armatum, sed tanquam virtutis remuneratorem et ultorem criminis. — Imo, *timor* hujusmodi jam supponit ideas justi et injusti, criminis et virtutis ; ideoque non est causa, bene vero effectus hujusce fidei, quam apud omnes populos vigentem invenimus..

Quæ cum ita sint, ea populorum consensio nonnisi a veritatis evidentia oriri potest. — Ast duplex affertur objectio :

Dicunt alii sylvicolas, v. g., in America, *nullum* Deum colere. Sed in promptu est responsio : nam — *a)* sicut unus aut alter atheus positivus, ita unus aut alter atheus negativus non destruit vim consensus moraliter universalis : uterque in natura monstrum est [2] ; — *b)* duplex est naturalis homini modus acquirendi scientiam, disciplina primum et inventio [3] : porro syl-

1. *De Augment. scientiarum*, L. I. — 2. **Racine**, *Poème de la Religion*, chant I, v. 374, etc. — 3. *Quæst. disp. de Veritate*, q. XI, a. 1.

vycolæ privantur disciplina et hoc etiam monstruosum est.

Dicunt alii : Multi, cum apud antiquas gentes, tum apud recentes, plures deos coluere, et inter eos entia quam maxime infima, v. g., plantas et mineralia. Ergo Deum non agnoverunt [1].

Resp. — *Dist. ant.* : multi erraverunt circa Dei naturam, *transeat* ; circa Dei existentiam, *nego*. Unde auctoritati non minus quam scientiæ et rationi contradicit atheismus. — Dixi : *transeat*, quia tanta polytheismi extensio infra rejicietur (n. 71).

36. Hinc Deus est omnium *centrum* et vincit theismus.

« Il est donc vrai, Dieu nous cerne de toutes parts ; et par quelque issue que nous prétendions lui échapper, il est là qui la garde. Par où le fuir, en effet ? Par l'histoire ? il la remplit tout entière de la foi qu'il inspire à l'humanité. Par les choses sensibles, qui si souvent détournent de lui les âmes asservies à leur corps ? il est le principe du mécanisme admirable qui fait vivre et mouvoir ce corps lui-même, et de l'ordre qui éclate dans cet univers auquel on voudrait s'arrêter. Par la raison, dont les sophistes abusent si souvent contre lui ? elle n'est rien autre chose que la faculté de s'élever au divin. Par le cœur, si souvent idolâtre des créatures ? Il n'est que la puissance d'aimer le bien, le bien véritable et absolu, et la glorieuse impuissance à se reposer en tout bien qui n'est pas Dieu ou ne se rapporte pas à lui. Par la morale ? il en est le législateur. Par la science ? il en est la base, le centre, et le sommet [2]. » — « L'idée de Dieu est le carrefour où toutes les avenues de la pensée humaine se rencontrent [3]. » — Credo in Deum !

ARTICULUS II.

De Atheismo.

Error atheismi, quo deterior esse nequit, paucis abhinc annis ubique grassatur, non sine magno animarum damno, ita ut non solum « Ecclesiæ viscera commoveantur [4] », verum etiam philosophi spiritualistæ [5]. Ad rem duo sint paragraphi : 1us *Expositio* ; 2us *Confutatio* atheismi.

§ I. *Expositio atheismi.*

En atheismi *notio*, *formæ*, *historia*, *origo et principia*.

37. Quid sit et utrum vere existat *atheus* ?

A. — Atheus, e vocibus græcis α (privativum) et Θεὸς (Deus), est omnis homo qui existentiam Dei rejicit vel omnino *ignorat*,

1. Ita etiam inter theistas, **D. Lesserteur**, *Controverse*, juin 1883. — 2. **A. de Margerie**, *Théodicée*, c. VIII ; — **Farges**, *Ibid.*, p. 61. — 3. **J. Simon**, cit. in *Sources de la croyance* a **D. Sertillanges**. — 4. **Conc. Vatic.**, *Constitutio Dogm.*, de Fide, *procœmium*, can. 1. 2 ; — Cf. *Dict. de Theol. cath.*, art. *Athéisme*. — 5. **E. Caro**, *L'Idée de Dieu*, 1873, p. 42.

vel *in dubium*, practice saltem, *revocat*, vel *aperte negat.*

Quare athei dividuntur in *practicos*, *negativos*, et *theoreticos* seu *positivos*. — Athei practici, de existentia Dei minime curantes, in praxi vivunt perinde ac si Deus non esset. — Atheus negativus diceretur ille qui, licet ad ætatem adultam evectus, usuque rationis præditus, utrum Deus sit penitus ignoraret. — Athei vero theoretici, vel Deum existere audacter negant, vel argumentis fallacibus hanc veritatem in dubium revocare et extra scientiam ablegare connituntur.

B. — *Quæris* 1°, utrum sint athei *practici* ? — Respondemus *affirmative* : non pauci enim, negotiis sæcularibus implicati aut cæno vitiorum obruti, perinde vivunt ac si Deus non esset, nullumve honorem Enti supremo persolvunt[1]. — Et ratio est quia in persolvendo cultu debito, libertate fruuntur homines.

Quæris 2°, utrum dari possint athei *negativi* ? — Respondemus quod homo qui ad ætatem adultam pervenit et sana mente, disciplina paululum et usu rationis fruitur, in *absoluta* ignorantia de Ente quodam supremo, diu perseverare nequit.

Et vero, ope primorum principiorum quæ omnibus innotescunt, sive e notitia ordinis mundani, sive e notione contingentiæ hominis, quisque facile deducere potest existentiam Dei. — Præterea, hanc assertionem confirmat historia ; nam, testibus Polygenistis [2], apud omnes, etiam sylvicolas, viget *aliqua* notio Divinitatis ; etiam apud infideles, forsan plurimos, qui ætate, non conscientia adulti videntur [3] ; nec nisi amentes, de Deo nullam habent notitiam.

Quæris 3°, utrum sint athei *positivi* ? — Resp. : Non solum quidam athei positivi, sed etiam atheismi systema existere potest *ad tempus*, conc. ; universali *perennique modo*, nego.

Revera : *a*) Dei existentia, etsi facillime probatur, ut diximus (n. 8), non est veritas intuitiva, et ideo demonstratione indiget ; sed homo, cupiditatibus indulgens, rationem ab argumentis, quibus Deum esse constat, avertere potest, et sic paulatim in atheismum incidere. Imo, errorem hujusmodi, fallaciis innixum, et aliunde vitiis faventem, tanquam systema disseminari non repugnat, ut experientia luctuosa demonstratur.

b) Atheismus autem, quum ratione individua et auctoritate

1. **Bayle**, *Pensées div.*, t. IV, p. 94 ; — **Contenson**, *Theologia mentis et cordis*, lib. I, Dissert. 2, cap. 1. — 2. Cf. **Lagrange**, *Les Religions sémitiques*, p. 22. — 3. Cf. **Card. Billot** : *les Infidèles, adultes d'âge*... in *Etudes*, déc. 1920, 1921.

generis humani respuatur, nec universalis esse potest, nec etiam diu perseverare ; qua de causa, sectæ atheorum raro solum apparent, ut videbitur infra, et mox ut umbra fugiunt. Ipsi fautores atheismi sæpe fluctuantes videntur, secundum ea Senecæ : « Mentiuntur qui dicunt se non sentire esse Deum ; nam, etsi tibi affirment interdiu, noctu tamen et soli dubitant. »

38. Quænam sint variæ *formæ* et *causæ* atheismi hodierni [1] ?

A. — Hic et illic, in decursu sæculorum, athei non defuerunt, sed ad duas atheorum *sectas* revocari possunt ; unam scilicet apud antiquos, duce Protagora (Log., n. 157) ; alteram vero apud recentiores. Porro atheismus hodiernus, quem innumeræ ephemerides propugnant, *varias formas* induit : quandoque *blasphemiam*, non semel *hypocrisim*, sæpius vero *scepticismum* præ se fert.

1° Nonnulli Deum audacter negare non formidant, et verba *blasphemiæ* adversus Sanctum sanctorum eructant. En aliqua horum atheorum verba : « Que doit-on à Dieu ? La guerre [2] ! » — « L'athéisme est encore un système religieux. Il ne faut pas lutter contre la religion, il faut l'oublier [3]. » — « L'homme seul est notre Dieu, notre Juge, notre Rédempteur [4]. » — « L'homme civilisé est plus puissant que Jéhovah. Jéhovah ne pouvait que lancer la foudre, et l'homme civilisé a asservi l'électricité [5]. »

2° Alii religionis simulacrum præ se ferentes, asserunt atheos esse *pios* ! « Ah ! que les prières... de l'homme vulgaire sont un moindre hommage à la divinité que cette réserve exagérée qui retient parfois sur les lèvres du savant scrupuleux le mot que tant d'autres profanent [6] ! »

3° Athei vero plurimi sunt *sceptici*, id est, existentiam Dei palam rejicere nolunt, sed in dubium revocant ; vel hanc veritatem extra scientiam rejicere conniluntur. Ex his sunt fere omnes positivistæ : « Mes réflexions... m'ont réduit, comme Montaigne, à n'avoir pour reposer ma tête que l'oreiller du doute [7]. »

B. — 1° *Generales* atheismi causas philosophi desumunt ex parte *intellectus* et ex parte *voluntatis*. — *Intellectus* enim, superbia plenus, fallaciis assuetus, vel scientiis physicis aut mathematicis, philosophia neglecta [8], exclusive intentus, non capit argumenta quibus Deum esse constat. — Præterea, *voluntatis* pravitas et corruptela cordis ad atheismum, imo ad odium quoddam rabidum propellere potest : quippe, homo vitiis indulgens cupere pronus est ut nullus existat Deus, judex et ultor criminum [9]. Unde ipse J.-J. Rousseau : « Tenez votre âme en état de désirer qu'il y ait un Dieu, et vous n'en douterez jamais. »

1. **Farges**, Nouvelle apologétique : p. 68-75, *l'athéisme contemporain.* — 2. **Proudhon.** — 3. **A. Ruge**, *Annales de Halle* ; — Cf. Loge maçonnique de Liège, 1865. — 4. **Feuerbach.** — 5. **Dr Rouget**, professeur de physiologie à la Faculté de Montpellier, 1875. — 6. **Renan**, *Essais de Morale*, p. 66-67. — 7. **Viardot**, *Libre examen.* — 8. Cf. **C. Lévêque**, *La Science de l'invisible*, p. 129. — 9. **Psal.**, XIII, 1 ; v. 11 ; — Cf. **Cabanis**, *Discours* à l'Institut.

2º *Specialis* tamen origo atheismi recentis repeti debet ab anarchia in philosophiam introducta ; nam, omnium sæculorum tramite relicto, permulti in *materialismum* aut *idealismum* prolapsi sunt. — Alii enim post Baconem scientias naturales exclusive coluerunt, solaque methodo experimentali usi sunt in quærenda veritate ; exinde nati sunt materialismus, positivismus et naturalismus, ideoque atheismus. — Alii vero, post Cartesium, neglectis veterum argumentis quibus Deum esse facile demonstratur, ex ideis innatis existentiam Dei probare voluerunt ; mox autem Humius, quem secuti sunt Kantiani, realitatem objectivam idearum hujusmodi negavit ; dum ipse Spinoza tenuit easdem ideas esse tantum evolutiones Entis infiniti ; inde scepticismus, criticismus et sophistica, consequenter atheismus, ortum habuerunt.

39. Quænam sint communia atheorum *principia* ?

Omnium atheorum commenta, quæ vocantur a Tullio « delirantium somnia », exponere fastidiosum esset ; en autem eorum principia communia. Juxta præcipuos illius portenti recentes magistros, Büchner scilicet et Viardot, quatuor sunt :

Primum. — Theoria hominum primæva de Dei existentia, *progressui* et *scientiæ contradicit.* « Les hommes primitifs pouvaient admettre le Dieu des Juifs... Mais aujourd'hui la science a... ébranlé les croyances surannées et enfantines de la primitive humanité[1]. » « Dieu est une hypothèse douce, consolante, fortifiante, mais enfin, ce n'est qu'une hypothèse[2].»

Secundum. — *Spatium, tempus et materia sunt infinita* : proinde, hypothesis Dei *creatoris* est mere gratuita : « Trois infinis, l'espace, le temps, la matière, également sans commencement et sans fin, composent la trinité de la nature[3]. »

Tertium. — Quum *materia* sit infinita, gaudet attributis quæ Deo largiri nolunt athei : scilicet, a se habet existentiam et seipsam movet legibus æternis et immutabilibus. Quapropter hypothesis primi *Motoris* a materia distincti, est prorsus inutilis[4].

Quartum. — Ope virium physicarum legumque naturalium, materia seipsam apte *disponit* ; *spontanee* gignit vitam ; tandemque, variis *transformationibus,* homo nascitur e simia

1. **Viardot,** *Libre examen*, p. 14, 15, 16.— 2. *Le Siècle.*— 3. **Viardot,** *ibid.*, p. 25. — 4. **Cf. P. Janet,** *Le Matérial. contemp.*, p. 22.

quadam « anthropoïda ». Ergo hypothesis primi *Ordinatoris* a materia distincti est « mera scholasticorum abstractio[1] ».

Ecce novum symbolum, proindeque *nova religio*. Non agnoscunt Deum creatorem et Patrem nostrum, sed Naturam naturatam et Naturam naturantem, seu « autocreatricem » (*l'évolution créatrice*), sed et simium proavum atque humanitatem ipsam pie venerantur [2]. Alii enim cum positivista Comte trinitatem quamdam admittunt, nempe terram, mundum et hominem, gallice « le grand Tout, le grand Fétiche, le grand Etre ». Alii vero solam colunt humanitatem : « L'homme seul est le sauveur véritable [3] : » Juxta Stirner, quisquis est sibi Deus : « Chacun est à soi-même son Dieu. »

§ II. *Confutatio atheismi.*

40. Quænam statuatur *propositio* adversus atheismum ?

THESIS

Atheismus, quocumque modo propugnetur, falsus est.

Arg. gen. — Atheismus falsis principiis innititur ; — rationi, scientiæ, auctoritati contradicit ; — tandemque, ad exitiales consequentias necessario propellit. Ergo falsus est. — Probatur antecedens per partes :

I. *Falsis principiis* innititur, quæ supra exposita sunt. Porro — *primum* de scientia et progressu, non est nisi gratuita affirmatio aut vana declamatio. — *Secundum* de infinitate spatii, temporis et materiæ, jamdiu a nobis fuit confutatum : spatium enim et tempus sunt quid indefinitum et ideale ; moles autem infinita absurditatem numeri infiniti implicaret[4] (Ontol., n. 89, 147, 153). — *Tertium* sophistice concludit ex infinitate quantitatis ad infinitatem qualitatis et perfectionis. Nam etiamsi numerus partium materiæ esset infinitus, materia, quum sit imperfecta et contingens, cum Ente perfecto et necessario numquam æquiparari posset. — *Quartum* asserit quod esset probandum, sc. mundum seipsum ordinare et perficere ; itaque laborat petitione principii.

41. II. Atheismus *rationi, scientiæ, auctoritati* contradicit.

A. — *Rationi contradicit.* Quippe, rationi repugnat quod ens contingens sit sine Ente necessario, ens ab alio sine Ente a se, seu effectus sine causa ; sed ita est in atheorum systemate,

1. P. Janet, *Le Matérial contemp.*, p. 26, 27. — 2. Rouget. — 3. Ita Feuerbach. — 4. *Sum. Theol.*, p. 1, q. VII, a. 3.

nam mundus est contingens, finitus, mutabilis, compositus (Cosmol., n. 6-10), videlicet undequaque est effectus. Sublata igitur Causa necessaria, jam mundus est effectus sine causa. — *Hinc* athei recentes, qui asserere non audent omnia esse contingentia et Ens necessarium non existere, in confusionem utriusque, mundi sc. et Dei, seu in pantheismum prolabuntur[1].

Unde D. Bertrand : « L'athéisme n'est qu'une négation sans consistance, purement verbale, puisque toute intelligence qui suit ses propres lois est bien obligée d'aboutir à un Principe suprême... Selon A. Comte, l'athée est le plus inconséquent et le plus rétrograde des théologiens [2]. »

B. — *Scientiæ contradicit.* Nam, ut alia omittam, quomodo athei *ordinem* universalem, corpora *viventia*, et inter viventia ***hominem***, explicant ?

1. — *Ordo*, quem in orbe conspicimus, non semper exstitit ; cæterum, etiamsi diceretur ab æterno, adhuc esset contingens. Consequenter est effectus et causam supponit ; eaque causa, secundum atheos, a viribus est repetenda materiæ, quæ seipsam movet et ordinat. Sed scientia constat materiam esse inertem, sc. non posse seipsam movere localiter, nec statum suum mutare : « Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum, nisi quatenus a viribus impressis cogitur statum suum mutare [3] » (n. 24).

2. — Ex entibus, quibus orbis conflatur, quædam *vita* fruuntur ; vita autem non semper exstitit, ideoque dicitur effectus, cui rationem assignare debemus. Athei quidem asserunt materiam gaudere vi *creatrice*, cujus ope vita *spontanee* apparuit in orbe physico. Sed demonstratur experientia universali systema generationum spontanearum esse assertionem gratuitam et falsam : « Les expériences de M. Pasteur contre les générations spontanées sont décisives et sans réplique [4]. » (Cf. Cosmol., n. 104 et supra, n. 19, B.)

3. — Cæteris viventibus *homo* præcellit forma externa et præcipue facultatibus internis : quum autem non semper exstiterit, habuit causam a se distinctam. Athei hodierni contendunt originem hominis per seriem evolutionum seu « *transformationum* », explicari. Sed, omissa illius hypothesis con-

1. **C. Lévêque**, *La Science de l'Invisible*, p. 97-98. — 2. *Principes de philosophie scientifique*, p. 417 ; — *Revue thomiste*, an. 1903, p. 520. — 3. **Newton**, *Principia philosophiæ*. — 4. **Flourens** ; — **P. Janet**, *Le Matérial. contemp.*, p. 117 ; — **D. Gentili**, *L'athéisme réfuté par la science*, 1869.

futatione (Psych., n. 217), patet ortum rationis humanæ a causis irrationalibus apertam involvere contradictionem.

C. — Tandem *auctoritati contradicit.* — Consensio enim populorum, ut supra probavimus (n. 34), moraliter unanimis est in admittendo Numine supremo, et nomen illud, atheus, ab hominibus enixe respuitur : « Ce nom d'athéisme fait horreur... On le repousse comme une injure[1]. »

42. III. Atheismi exitiales necessario sunt *consequentiæ*.

Nam, rejecta Dei existentia, fundamentum scientiæ, artis et moralitatis corruit.

A. — Imprimis *scientiæ.* Quippe, atheus contradicit primis principiis : « idem non potest esse simul et non esse, non est effectus sine causa » ; logice enim asserere debet mundum esse simul finitum et infinitum, causam et effectum, necessarium et contingentem. — Ex alia parte, atheus rejicit Ens absolutum, quo sublato, non solum corruit præstantissima et mobilissima omnium scientia, sc. Theodicea, sed etiam nulla superest ratio sufficiens rerum mundanarum, nullumque absolutum et immutabile veritatis fundamentum.

B. — Sed etiam *artis.* Nam duo sunt inspicienda in *artibus* : pulchri exemplar et artificis inspiratio ; ars enim est pulchri expressio. Sed, sublato Deo, jam non existit supremum ac pulcherrimum artis exemplar, quod rationes rerum ideales in se complectitur, fonsque primarius ingenii et inspirationis superesse nequit ; et exinde, atheorum opificia crassissimum materialismum sæpissime redolent.

C. — Denique *moralitatis.* Nam ordo moralis, jus, auctoritas, officium, religio, societas civilis et domestica, Dei seu supremi Principis existentiam supponunt, eaque veritate semel negata, concipi non possunt ; ideoque atheismus, fundamentum moralitatis diruens, ad omnia socialismi consectaria, ut aliunde constat experientia recentis ævi, necessario propellit[2].

Recte igitur scripsit Voltaire : « Je ne voudrais pas avoir affaire à un prince athée, qui trouverait son intérêt à me faire piler dans un mortier ; je serais bien sûr d'être pilé. Je ne voudrais pas, si j'étais souverain, avoir affaire à des courtisans athées dont l'intérêt serait de m'empoisonner ; il me faudrait prendre du contrepoison tous les jours [3]. »

1. **Dupanloup**, *L'Athéisme et le péril social.* — 2. **P. Janet**, *Le Matérial. contemp.*, p. 11. — 3. *Diction. philosoph.*, art. Athée ; et alibi : *Homélies sur l'athéisme* ; — **Montesquieu**, *L'Esprit des lois*, c. II.

LIBER SECUNDUS THEODICEÆ.

DE NATURA DEI.

43. ***Utrum*** **et** ***quomodo*** **natura Dei cognosci possit** [1] ?

I^um^ *negant* Spencer, Stuart-Mill, — Littré, Fouillée, — modernistæ plures, *agnosticismo* faventes, — tum quia absurdum est mysterium, tum quia infinitum, nempe Deus, ab intellectu finito comprehendi non potest. — Sed contra :

1° Negamus mysterium et aliquid absurdum esse unum et idem. Absurdum contradictionem involvit ac proinde errorem ; mysterium autem obscuritatem tantum seu cognitionem veram, quamvis incompletam. Porro in omnibus scientiis humanis, etiam in exactissimis, non deficit mysterium ; a fortiori in scientia de Ente infinito inveniri debet.

2° Equidem perfecta Infiniti comprehensio perfecto intellectui propria est. Sed ejus cognitio imperfecta, simul et sufficiens ad directionem vitæ, intellectui humano proportionatur et ratiocinio certa fit [2]. Aliis verbis, Deus, etsi nobis non sit *comprehensibilis*, *intelligibilis* tamen esse potest et debet.

Confirmatur, nam si natura Dei nobis penitus esset ignota, lata panderetur via illusionibus superstitionis et illuminismi.

Ad II^um^, duplex panditur via, *remotionis* sc. et *eminentiæ*. Prior removet de Deo omnes creaturarum imperfectiones et præcipue manifestat *quid non sit*. Posterior, *quid sit* nobis ostendit, Ei tribuendo eminenter quidquid est bonitatis et excellentiæ in creaturis [3], — modo tamen *analogico* [4].

Revera dantur notiones transcendentales, quæ sc. transcendunt experientiam et limites cujuslibet speciei aut generis, etiam supremi. Duplicis sunt generis : aliæ sunt *absolute* transcendentales quæ conveniunt omni enti, sicuti *ens*, *res*, *unum*, *aliquid*, *verum* et *bonum* ; aliæ sunt *respective* transcendentales, quæ non inveniuntur in omnibus generibus, sed cum uno ex transcendentalibus relationem habent — sive immediatam sicuti, v. g., *causa* cum ente, *intellectus* cum vero, *voluntas* cum bono, — sive mediatam sicuti *potentia* cum causa, *sa-*

1. **Farges**, *Idée de Dieu*, p. 268-284. — 2. **Denzinger**, n. 1622, 1670. — 3. *Contra Gent.*, lib. I, c. XIV, XXX, XXXVI ; — *I Sent.*, dist. III, quæst. I, a. 3, *sol.* ; — *Sum. Theol.*, p. 1, q. 18, a. 2, 3. — 4. Cf. **Thesis Thomistica XX**^a^.

pientia cum intellectu, *justitia* cum voluntate. Jamvero hujusmodi notiones Enti, quod omne genus creatum transcendit, applicari poterunt secundum analogiam. Sic, v. g. Enti primo et enti secundo *ens* non *univoce*, sed tantum *analogice* tribui potest (Ontol., n. 8) ; a fortiori esse vivens, aut intelligens... de Deo tamen non *æquivoce* sed vere prædicantur. Ergo de Ipso habetur *cognitio vera quamvis analogica*, seu notitia tantum abstractiva, non quidditativa (Log., n. 23, 64).

Hinc duplex excessus, agnosticismi sc. et anthropomorphismi, simul vitabitur [1] : siquidem non tribuimus Deo formam hominis, sed e contra homini formam quamdam et remotissimam Dei similitudinem. Porro methodus hujusmodi non anthropomorphisat Deum, sed deificat hominem.

Hanc duplicem viam sequemur in determinandis naturæ Dei attributis. Unde duplex erit caput : I[um] *De attributis negativis*, quæ per viam remotionis ; II[um] *De attributis positivis*, quæ per viam eminentiæ dignoscuntur.

CAPUT PRIMUM.

DE ATTRIBUTIS NEGATIVIS [2].

44. Quid et quotuplex sit *attributum* Dei ?

A. — Attributum Dei est *perfectio, quæ, juxta nostrum concipiendi modum, vel essentiam entis divini constituit, vel ab ea dimanat.* Est *perfectio*, non accidentalis, sed essentialis : siquidem a parte rei nullum est in Deo attributum ab ejus essentia differens. — Attamen varias perfectiones de Deo, juxta *nostrum concipiendi modum*, prædicamus, sicque primi Entis perficitur conceptus [3]. — Quomodo ergo hæc attributa constituant naturam Dei et quænam inter hanc et illa sistat differentia, infra dicetur (n. 56, 57).

B. — Hæc attributa duplici præsertim modo dividuntur :

1. *In absoluta et relativa*, prout nullam vel aliquam important relationem ad res contingentes. Deus enim esset, v. g., unus et simplex, etiamsi mundus nunquam extitisset ; crea-

1. **Farges**, *Idée de Dieu*, p. 293-296.— 2. **Farges**, *ibid.*, p. 309 et suiv. ; — **Lessius**, *De perfect. moribusque div.* ; — Cf. **Franzelin**, *Tract. de Deo uno*, sect. III, c. 1, thes. XXI, p. 262. — 3. Mahumetani nonaginta novem attributa secernunt ; — Cfr. *Dict. de Theol. cath.*, art. *Attributs divins*, col. 2228.

tor autem et providus non dicitur, nisi quia de facto mundum condidit atque gubernat[1]. — De posterioribus agetur in ultimo libro Theodiceæ : hic tantum de prioribus dicemus.

2. Hæc autem attributa dividuntur in *negativa* et *positiva* : priora de Deo prædicantur per viam negationis cujuslibet imperfectionis, sic Deus dicitur increatus, incorporeus, immutabilis, æternus ; posteriora vero per viam excellentiæ, quales sunt intelligentia, voluntas, omnipotentia.

Jamvero in secundo capite, dicemus de attributis absolutis et positivis, quæ vocantur etiam *moralia*, *operativa* et *communicabilia*. — In præsenti vero agendum est de attributis absolutis et negativis, quæ dicuntur a recentioribus *metaphysica*, *incommunicabilia*. — Inter ea, juxta nostrum concipiendi modum, nullus erit alius ordo nisi quod primo de attributis naturæ *constitutivis*, ut sunt aseitas et infinitas, postea de attributis naturæ *consecutivis* loquemur.

ARTICULUS I.

De Aseïtate Dei[2].

45. Utrum Deus sit *a se* et ideo necessarius et subsistens ?

A. — Deum *esse a se* logice deducitur ex dictis in primo libro Theologiæ naturalis. Aseitas enim est perfectio vi cujus entis essentia ex seipsa, non aliunde, habet existentiam (Ontol., n. 87). Porro hoc in sensu, jure Deus dicitur ens a se, — non *positive* quidem, ut voluit Cartesius, videlicet sibimetipsi existentiam non est largitus ; — sed *negative* tantum, id est ab extrinseca causa non habet ut sit.

Nec *dicas* adhuc non probari *unicum* esse ens a se. — Nihil enim refert in præsenti : ex probatis requiritur et existit ens saltem unum, quod nec a se nec ab alio accepit existentiam, — quod ideo, relative saltem, est *Primum* Ens seu *Prima* cæterorum *Causa*, et hunc dicimus Ens a se.

B. — Hinc sequitur Deum esse *necessarium et subsistentem*.

1. *Necessarium* dicitur ens quod non ab alio, nec a se accepit existentiam, sed existit ex necessitate suæ naturæ seu essentialiter. Porro Deus non habet causam a seipso distinctam, nec a se tanquam a causa efficiente existentiam recepit. Ergo existit necessitate naturæ suæ seu necessarius est.

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 14. — 2. Farges, *ibid.*, p. 185.

Confirmatur, nam Deus concipi nequit in statu meræ possibilitatis ; sic enim nunquam ad existentiam venisset, nam ipse a nullo alio, alia vero omnia ab ipso sunt. Ergo jure meritoque dicitur ens necessarium : « Oportet, ait Angelicus, ponere aliquod primum necessarium quod est per seipsum necessarium, et hoc est Deus, quum sit prima causa [1]. »

2. *Subsistens* est, si esse divinum in nulla essentia recipitur ; sed ita est de existentia Dei, cujus essentia est ipsamet existentia ; secus essentia Dei non existeret a se, sed esset tantum particeps essendi. Ergo Deus est ens subsistens.

46. Utrum et quo sensu aseitas sit attributum Dei *primarium* ?

A. — *Sensus.* — Attributum *primarium* est *illud quod prius a nobis concipitur,* — *quo ens primario distinguitur a cæteris entibus,* — *et a quo tanquam a communi fonte alia attributa deduci possunt.* Dicitur etiam attributum Dei *constitutivum,* quia relative ad nos constituit essentiam divinam. Jam vero, etsi quævis perfectio in Deo ejus essentiam constituat, nobis tamen, qui non possumus uno mentis intuitu divinas perfectiones complecti, inquirere licet quænam ex ipsis tanquam divinam essentiam constituens spectari possit.

B. — *Opiniones.* — Quatuor præsertim prodierunt sententiæ : — 1° *Nominalistæ,* duce Occamo, in « aggregatione actuali » omnium perfectionum possibilium essentiam Dei reponunt. — 2° Non pauci, saltem inter *Scotistas* veteres, docuerunt attributum primarium esse « infinitatem radicalem » seu exigentiam omnium perfectionum. — 3° Non desunt veteres *Thomistæ,* qui sentiunt attributum primarium esse « intellectionem actualem », sc. actum quo Deus seipsum cognoscit, vel « intellectionem radicalem » seu vim intelligendi qua Deus essentialiter præditus est. — 4° Alii *Thomistæ,* præsertim inter recentiores, enixe propugnant « aseitatem », videlicet attributum quo Deum a se quidem et non ab alio, existere prædicamus, esse omnium primum : — ad quos accedunt qui, inter Scholasticos et Thomistas, putant notam Dei primariam in eo consistere quod sit « ens simpliciter ».

47. C. — *Solutio.* Quænam sit opinio amplectenda, statuit

THESIS

Ipsum esse subsistens

seu aseitas, saltem radicalis, est attributum Dei primarium [2].

I. *Est aseitas.* — Aseitas enim dotes habet attributi primarii. Ergo est attributum Dei primarium. — Probatur antecedens :

1. *Contra Gent.*, L. I, c. XV, n. 4. — 2. **Thesis Thomistica XXIII**[a].

1° Aseitas *ante alia* attributa concipitur a nobis, nam per viam causalitatis asserimus Deum esse, eo quod omnes creaturæ non sunt à seipsis, sed ab alio ente, statimque inferimus Deum esse a seipso, eo quod non habet causam.

2° Aseitas est prima nota per quam Deus *distinguitur* a cæteris entibus ; hæc enim ab alio, Ipse vero a se, et in hoc concipimus Deum a creaturis essentialiter differentem.

3° Denique omnes Dei perfectiones ab aseitate logice *deduci* possunt : nam — *a*) ens a se necessarium esse, ergo subsistens, ergo *infinitum* jam diximus (n. 41) aut modo dicemus (n. 50-52) ; sed — *b*) ex infinitate concludimus per *viam remotionis* Deum esse simplicem, immutabilem, æternum, immensum et unum ; — *c*) per viam *excellentiæ* probatur ens infinitum summa intelligentia gaudere : ex intelligentia autem defluunt scientia, voluntas... omnia attributa positiva Dei.

Ergo quoad nos et in ordine cognitionis, primaria est aseitas.

II. *Est aseitas, saltem radicalis* [1]. — Potest enim rursus quæri cur Deus sit ens a se, et occurrit ulterior et ultima ratio : quia Deus est *Ens* seu *Esse simpliciter* et ostenditur sic :

Esse non eodem modo convenit Deo et creaturis, sed secundum remotam analogiam ; hæ sc. habent esse participatum, secundarium, Ille vero esse imparticipatum, esse primum ; hæ habent esse secundum quid, nempe esse minerale, organicum, sensitivum, Ille habet esse simpliciter seu esse verum, esse sincerum, esse germanum, et in hoc dicitur et est Ipsum esse subsistens. Atqui : 1. hoc in Deo primum est, nam « divina Essentia exercitæ actualitati ipsius *esse* ideatificentur (n. 45) ; 2. hac ipsa puritate sui *esse* a finitis omnibus rebus secernitur Deus (supra, 2°) ; — et 3. per hoc idem rationem nobis exhibet suæ infinitatis in perfectione », ut infra probabitur (n. 52). Ergo « divina essentia, per hoc quod est ipsum esse subsistens in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur [2] ».

Hinc est cur variis nominibus designetur esse creaturarum, quasi totidem limitationibus ; dum nomen Dei est *Esse simpliciter* ; quare dicit de seipso : « Ego sum qui sum. » « Hoc nomen *Qui est* proprie nominat ipsum et est proprium ejus [3]. »

48. Hinc aliæ opiniones aliquam habent *speciem veri* [4].

Imprimis enim certum est omnes perfectiones ad essentiam

1. **Farges**, *ibid.*, p. 285-295. — 2. **Thesis Thomistica XXIII^a et XXIV^a**. — 3. *I Sent.*, dist. VIII, q. 1, a. 1. — 4. **Farges**, *ibid.*, p. 289.

Dei, physice sumpti, pertinere, sed quæritur utrum logice et pro nobis una ex ipsis sit fons aliarum perfectionum : de hoc tacent nominalistæ.

Præterea, Dei essentia jus quidem habet ad omnes perfectiones possibiles : sed jus entis dos est, quæ supponit ens jam in suo esse constitutum. Cur ergo natura Dei jus habeat ad omnes perfectiones, id non dicunt Scotistæ. Adde quod infinitas radicalis non prima concipitur : unde nec in ordine cognitionis, nec in ordine rei est attributum Dei primarium. — Haberi tamen potest ut attributum fundamentale seu universale, ut ita dicam, quod scilicet in omnibus aliis invenitur et est quasi eorum mensura.

Similiter, intelligentia est operatio quæ supponit essentiam rei et, si fuerit summa, requirit summum esse : siquidem prius est esse quam agere. Hinc ne intelligentia quidem est quid primarium in ordine conceptionis nostræ. — Si tamen Deus spectetur ut vivens, actus quo intelligit seu intellectio actualis, est attributum vitæ divinæ constitutivum [1].

Denique, *Esse* simpliciter non est quidem id quod primum nobis innotescit, est tamen id quod primum in Deo esse concipitur, secernit a creaturis, et radix est infinitæ perfectionis. Unde, etsi non sit attributum primarium in ordine cognitionis, est revera attributum primarium in ordine rei et naturæ divinæ constitutivum.

ARTICULUS II.

De Infinitate Dei [2].

49. Utrum et *quonam sensu* Deus dicatur infinite perfectus ?

Perfectio Dei considerari potest vel relative et per comparationem ad omnes creaturas, vel in se et absolute. Unde

A. — Certum est Deum esse saltem *relative perfectissimum*.

Prob. Revera Deus est causa, creator et ordinator mundi. Sed — 1° *Causa* continet omnes perfectiones suorum effectuum ; imo perfectior est suis effectibus ratione sive temporis, sive naturæ, sive independentiæ. Ergo Deus perfectione superat omnes creaturas [3] (Ontol., n. 161). — 2° *Creatio*, juxta plures, causalitatem requirit infinitam ; juxta omnes, saltem permaximam, quæ actu creationis certe exhauriri non potuit (infra, n. 111). — 3° Similiter, ut supra diximus (n. 24) *ordinatio* mundi supponit intelligentiam quam sapientissimam. Ergo Deus est relative perfectissimus.

Corol. — Hinc possidet Deus omnes creaturarum perfectio-

1. Cf. **Billuart**, *Tract. de Deo*, Dissert. II, a. 1, § 1, 2, 3, 4. — 2. **Farges**, *ibid.*, p. 297-306. — 3. **Farges**, *ibid.*, p. 281-282.

nes, sive quæ in suo formali conceptu puram perfectionem exhibent (*simpliciter simplices*), v. g., vita, libertas ; sive quæ mixtæ sunt quadam essentiali imperfectione (*simplices secundum quid*), v. g., corporeitas. Sed aliter et aliter eas possidet.

1º Priores enim reperiuntur in Deo *formaliter et eminenter*. Sunt formaliter seu secundum formam propriam, nam, si spectantur in se, nullum defectum involvunt ; sic, v. g., Deus est sapiens, justus, omnipotens ; sunt eminenter seu gradu perfectiori et modo analogico, nam, si considerentur in homine, v. g., voluntas, intellectus, sapientia, defectibus, coarctantur, quos a Deo removeri oportet (Cf. Log., n. 64 ; Ontol., n. 8).

2º Posteriores non sunt in Deo, nisi *virtualiter et eminenter* : virtualiter, nam secundum proprium conceptum involvunt imperfectionem ; unde eo magis eminenter seu modo præstantiori. Sic, v. g., extensio materiæ non est formaliter in Deo ; attamen perfectiones extensionis modo excellentissimo et eminentissimo, in plenitudine divina reperiuntur.

50. Utrum etiam Deus sit in se et *absolute* perfectus ?

B. — Ulterius autem quæritur utrum perfectio Dei sit *absoluta*, seu utrum omnes perfectiones possideat, et quidem in gradu infinito seu absque ulla limitatione.

1º *Notio*. Ea infinitudo Dei merito definitur : « Omnis perfectionis et entitatis simplicissima complexio[1]. » Non est numerica, nec extensa, sed una et simplicissima ; siquidem Infinitum sit absolute simplex, necesse est (Ontol., n. 89).

2º *Errores*. Unde qui, teste S. Thoma[2], per infinitum nihil aliud intelligunt nisi quantitatem et extensionem materiæ, necessario asserere debent essentiam divinam non esse infinitam. — Sunt et alii qui dicunt Deum esse infinitum secundum quid aut relative, sed non simpliciter et absolute : ita quidam philosophi sæculi proxime elapsi, sapientiam, bonitatem, providentiam, aliave attributa absoluta Deo denegabant (Locke, Hobbes, Robinet). — Contra hos omnes sit

THESIS

Deus est ens undequaque et absolute infinitum[3].

Prob. — logice ex tribus attributis jam in tuto positis.

1. — *Ex notione aseitatis*. Existit ens *a se* seu necessarium, i. e., ens cujus essentia continet existentiam. Porro ens per-

1. **Lessius**, *De perfect. moribusque div.*, c. 1. — 2. *I Sent.*, dist. XLIII, a. 1. — 3. *Sum. Theol.*, q. 7, a. 1 ; — **Farges**, *ibid.*, p. 297-302.

fectum, et quidem *solum* essentialiter continet existentiam. Ergo ens a se cum ente perfecto seu infinito identificatur.

Constat minor, nisi dicas ens finitum a se etiam existere posse. Hoc autem — *a*) contradictionem implicat : ens enim finitum, si simul esset a se proindeque sine dependentia, quoad existentiam saltem esset illimitatum, ergo esset finitum in essentia simul et infinitum in esse, quod est contradictorium. Necnon — *b*) esset sine ratione sufficienti ; nam si ens *a se* finitum esset, limites vel ab externa causa, vel a se reciperet. Sed neutrum dici potest :

Non 1um. Quia ens necessario existens et a se, eo ipso nec a semetipso nec ab ullo exteriori principio limitari valeat.

Non 2um. Si enim Deus a se seu in sua essentia limitaretur, adesset ratio hujus limitationis. Porro nulla est ratio, tum quia essendi necessitas, vi cujus Deus est, ad nullum peculiarem gradum perfectionis cum exclusione alterius definitur ; tum quia, si finitam haberet perfectionem, hæc numerari posset. Sit ergo X^n mensura hujusmodi perfectionis. « De quel droit pourrait-on attribuer la nécessité à un nombre X^n, plutôt qu'à $X^n + 1$, ou $X^n - 1$? Ce serait là une supposition arbitraire, une nécessité sans raison d'être, et par conséquent inintelligible. Seul l'absolu peut être nécessaire [1]. »

Ergo esse finitum simul et esse a se duo sunt tum contradictoria, tum sine ratione. Ergo Infinitum *solum* est ens a se.

51. II. — *Ex notione Primæ Causæ* [2]. Causa prima ex essentia sua est causa non causata, motor non motus, nec ullo modo, nequidem partialiter, potest causari aut moveri, id est transire de potentia ad actum. Porro si non esset Ens infinitum, concipi posset tale ens fieri perfectius, saltem *idealiter*, ac proinde transire posse de potentia ad actum, quod apertam contradictionem involvit. Ergo ens quod est actus sine potentia seu actus purus debet esse infinitum.

Dico nec *idealiter* ens primum perfectius fieri posse : secus enim daretur perfectio cujus non esset ratio. Unde sic : Causa prima eam habet essentiam, ut sit ultima ratio omnium entium, sive nunc existentium, sive possibilium. Hoc autem esse non valet, nisi sit ens absolute infinitum. Ergo causa prima est ens infinitum, nec idealiter perfectior fieri potest.

1. Cf. **Farges**, *ibid.*, p. 299-300. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 4, a. 2.

Probatur *minor*, nam possibilia sunt indefinita numero. At possibilia, etiam indefinita, suam rationem sufficientem non habent nisi in Ente actualiter infinito. Ergo requirunt Ens necessarium actualiter infinitum, quod nullo modo perfectius fieri posset.

Probatur *minor*. Si enim possibilia fundarentur in Ente finito, quantacumque sit ejus perfectio, locus esset fingendi ens aliquod majus possibile. Hoc autem non haberet rationem essendi in essentia Entis necessarii, utpote imperfectioris, nec in eo pariter inveniret potentiam idoneam et proportionatam, per quam transire posset ad actum existentiæ : sicque possibile jam non esset possibile, neque intrinsecus, neque extrinsecus : quod est contradictorium. Ergo ens necessarium debet esse infinitum [1] (Cf. n. 29).

Confirmatur, nam omnis perfectio vel est necessaria vel contingens ; si prius, in Deo ; si posterius, a Deo sit oportet.

52. III. — *Ex notione Entis Subsistentis*. Deus est ens in se et per se subsistens ; sed ens in se et per se subsistens est infinitum ; ergo Deus est infinitus.

Probatur *minor* : Quod enim in alio, non per se, subsistit, ab illo mensuretur oportet ; quod autem in nullo recipitur, a nullo mensurari valet. — S. Thomas rem illustrat *exemplo* : ideo enim calor major est in uno corpore et minor in altero, quia nonnisi ad capacitatem subjecti recipitur, juxta illud : « quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. » Si vero calor non in alio, sed per se subsisteret, oporteret ut calor, quatenus calor, nullam haberet limitationem. Similiter existentia coarctatur essentiis in quibus recipitur, sed, si per se subsistat, nullam habet limitationem.

« Ex hoc *ergo* quod Deus est ipsum esse per se subsistens, oportet quod totam perfectionem essendi in se contineat [2]. »

53. Hinc falsæ sunt *objectiones* contra infinitatem Dei.

Athei cujusvis ætatis (imprimis vero, Hegelius et Germani non pauci ; deinde apud Gallos, Renan, Vacherot et Taine) ideam entis in genere, necnon « indefiniti », ab Infinito reali minime secernentes, asserunt Deum non esse aliquid reale, sed tantum in intellectu nostro. Juxta illos, Deus est « categoria idealis » ; « Dieu est pour l'humanité, le résumé transcendant de ses besoins suprasensibles, la catégorie de l'idéal, c'est-à-dire la forme

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 4, a. 2. — 2. *Ibid.*, a. 1, ad 3.

sous laquelle nous concevons l'idéal ; comme l'espace et le temps sont des catégories des corps, c'est-à-dire les formes sous lesquelles nous concevons les corps [1]. » — Sic argumentantur [2] :

Obj. I^a^. — Ideale non existit ; porro perfectum est ideale ; ergo perfectum non existit.

Resp. *Dist. maj.* : Ideale non existit, si est mere ideale, *conc.* : secus, *nego.* — *Dist. min.* Perfectum est ideale quod est simul reale ; *conc.*, est ideale tantum, *nego* ; siquidem ideale potest repræsentare aliquid realiter existens extra mentem nostram.

Inst. — Perfectio et realitas sunt in ratione inversa ; sic perfectior est linea ideatis quam realis ; ergo perfectio absoluta erit summe idealis [3].

Resp. *Dist. ant.* Perfectio et realitas materialis sunt in ratione inversa, *conc.* ; perfectio et realitas formalis, *neg.* Revera materia est fons imperfectionum ; inde non mirum si linea idealis sit perfectior quam linea materialis. — Sed e contra, crescit perfectio cum realitate formali ; sic perfectior anima belluina quam vegetativa, et rationalis quam belluina. Quapropter, forma Dei, quæ est in supremo gradu, erit summe perfecta et infinita.

Obj. II^a^. — Ens indeterminatum non potest esse reale : sed perfectum est indeterminatum ; ergo perfectum nequit esse reale.

Resp. *Nego min.* Nam determinatio est actus et perfectio : ergo Ens maxime perfectum est maxime determinatum.

Inst. — Determinatio est limitatio : ergo Perfectum, vel omnino indeterminatum, vel omnino limitatum sit oportet.

Resp. *Dist. ant.* Determinatio est limitatio per accidens, quando oritur ex compositione potentiæ et actuationis, ut in rebus finitis, *conc.* ; quando oritur ex perfectione actus et exemptione ab omni potentia, ut in Actu puro, *nego.* Equidem res finitæ determinantur et inter se distinguuntur gradu finitudinis seu actuationis cujusque ; sed Ens increatum ab omnibus perfecte distinguitur et supereminet omnes ipsa puritate actus.

Hinc in se hegelianismus nihil est nisi fucatus et excultior atheismus, juxta quem idealis, finitus et multiplex esset Deus (n. 61).

ARTICULUS III.

De Simplicitate Dei [4].

54. Utrum et quonam sensu Deus sit *simplex* ?

Simplicitas est attributum *quo essentia Dei ab omni compositione immunis est.* — Porro triplex compositio distingui

1. **Renan**, *La liberté de penser* ; — **Vacherot**, *La Métaphysique et la Science*, t. III, p. 217 ; — **Taine**, *Les philosophes classiques au XIXe siècle*, p. 370. — 2. **Farges**, *ibid.*, p. 300-303 vel etiam 438-441. — 3. **Farges**, *ibid.*, p. 303-306 ; — **Caro**, *L'idée de Dieu*, p. 71. — 4. **Farges**, *ibid.*, p. 310-324 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 3, a. 1, 2, 5, 7 ; — **Billuart**, *De Deo*, Dissert. III.

potest in rebus mundanis : physica scilicet, metaphysica et logica. — Compositio *physica* nihil est aliud nisi compages partium sive substantialium, sive quantitativarum, quibus res materiales coalescunt. — Compositio *metaphysica* competit entibus in quibus potentia et actus, essentia et existentia, natura et suppositum, substantia et attributa, vel attributa inter se distinctione quadam reali afficiuntur. — Compositio tandem *logica* reperitur in entibus quæ constant genere et specie.

Jamvero ens trium hujusmodi compositionum expers, merito dicitur absolute simplex, nam simplicitas absoluta est immunitas ab omni compositione. Porro Deum ea simplicitate gaudere statuit sequens

THESIS

Deus est absolute simplex.

Probatur in universum, ex triplici attributo Dei prælaudato.

1º Deus est *ens Primum* et Independens ; quidquid autem partibus est compositum, posterius est suis componentibus, ab eisque dependet ; ergo Deus non est compositus.

2º Deus est *ens a se* ; porro « omne compositum causam habet : quæ enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in unum nisi per aliquam causam adunantem ipsa [1] ». Ergo.

3º Deus est *infinitus* ; sed ens compositum numero determinato partium et limitibus constat : ergo non ita Deus.

Confirmatur ex dictis de subjecto perfectionis infinitæ, quod sit absolute simplex necesse est (Ontol., n. 89).

Dices : viget in Mathesi infinitum numericum : ergo et in Deo, quin lædatur ejus infinita perfectio [2].

Resp. Ne timeas verba et voces et merum loquendi modum mathematicorum : viget hujusmodi infinitum in ordine ideali, *conc.* ; — in ordine reali, *nego* (Ontol., n. 88, 89). — Unde *nego* consequens ; secus auferretur actualitas pura naturæ Dei.

55. Hinc primo in Deo nulla est compositio *physica*.

Fusius : 1º Deus non est *materia* prima. — Hæc enim est pure potentia, omnino indeterminata, imperfectissima et prope nihil : ergo magnopere differt ab Ente Infinito et Actu Puro. — Similiter est iners et passiva, dum e contra Deus est motor Primus, omnino activus.

2º Deus non est *forma* corporis, nec etiam mundi. Hæc enim per se non subsistit, sed a materia pendet in esse et in

1. S. Thomas, *Ibid.* q. 3, a. 7. — 2. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 311-314.

operari, saltem extrinsece ut anima humana. Porro Deus cum sit a se et subsistens, ab alio pendere nequit.

3° Deus non est *corpus*, ex materia et forma compositum. Talis enim compositio ab alio fieri debuit, ab eodem destrui potest, et finita dici debet, utpote elementis finitis constituta. Deus autem est ens a se, independens et Infinitum.

Hinc « Spiritus est Deus », ut dicit Scriptura, quæ tamen brachia, oculos et membra, sensu metaphorico, Deo tribuit. — Imo est spiritus *purus*, nam « immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia sint quoque gradus intellectualitatis [1] ».

56. Hinc etiam in Deo nulla est compositio *metaphysica*.

Fusius : 1° Non componitur *actu et potentia*. — Quod enim habet potentiam, movetur ad actum, sicque perficitur, novum esse acquirendo. Porro Deus est motor immobilis qui perfici nequit, nec aliquid acquirere potest. Ergo Deus est Actus Purus, seu Actus « irreceptus et irreceptivus », quia sine *potentia* est in qua recipiatur aut qua recipiat (Ontol , n. 27).

2° Non componitur *essentia et existentia*. — Nam Deus est Ens necessarium et subsistens : sed in tali ente essentia ab existentia non distinguitur. — Cæterum existentia est quasi actus relative ad essentiam in qua recipitur et quam perficit : in Deo autem non est potentia et actus (Ontol., n. 32-35).

3° Non componitur *supposito et natura* : propter easdem rationes, siquidem subsistentia est actus relative ad naturam quam perficit (Ontol., n. 107).

4° Similiter non constat *substantia et accidentibus*, siquidem et ipsa accidentia sunt determinationes substantiarum, quæ sunt in potentia ad ipsa sicut ad perfectiones (Ontol., n. 112).

Hinc attributa Dei sunt essentialia, seu « unum et idem est ejus essentia cum attributis [2] ». Ideoque minus recte dicitur : Deus *habet* veritatem, potestatem, etc. ; melius vero : Deus *est* ipsa veritas, potestas, etc. ; seu est « sua Deitas, sua vita, sua essentia, suum esse [3] ».

5° Denique in Deo non sunt *attributa realiter distincta* : tum quia ex dictis idem sunt ac essentia divina ; tum quia proprietates inter se diversæ evidenter supponunt respectivas limites et imperfectiones, quas in Deo infinito ponere non licet.

1. Thesis Thomistica XVIII[a]. — 2. *Contra Gent.*, L. I, c. 22. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 3, a. 3, 4 ; — S. Augustinus, *Medit.*, c. XII et XIX.

57. *Quænam ergo sit distinctio attributorum Dei tum inter se, tum ab essentia divina?* — Non esse realem de fide est, ait Suarezius : unde « hæretica » est sententia « cujusdam Gualteri » et Gilberti Porretani, qui distinctionem proprie realem posuerunt [1].

Utrum vero sit mere logica, vel virtualis, vel etiam formalis, gravis exurgit disceptatio inter Nominales, Thomistas et Scotistas [2]. Sed distinctionem formalem Scotistarum in Ontologia (n. 53) jam rejecimus : aliunde « constat nomina quæ Deo attribuuntur non esse synonyma, quamvis rem omnino unam significent ». Ergo distinctio virtualis cum fundamento in re admittenda est : siquidem attributa Dei extra Deum diversos effectus producunt, et conceptus inter se distinctos fundant eodem fere modo ac lumen solis refringitur in septem colores arcus cœlestis. Non ergo errat intellectus noster, quando Deum, quem agnoscere non potest nisi per conceptus incompletos et præcisivos, variis nominibus exprimit [3].

58. **Hinc tandem in Deo nulla est compositio *logica*.**

I. *Arg. gen.* — In entibus, quæ species et genera constituunt invenimus relationes æqualitatis vel similitudinis, et simul unam alteramve differentiam accidentalem aut essentialem. Videlicet individua ejusdem speciei, v. g., homines, æqualitatem naturæ important, discrepant autem nonnullis accidentibus. Similiter, inter species ad idem genus referendas, v. g., leonis et hominis, similitudinem sub quodam respectu, et quamdam differentiam essentialem comperimus.

Deus autem cum entibus omnibus quibus species et genera constituuntur, non habet similitudinem, nisi tantum analogice [4]; quippe Deus est necessarius vi suæ naturæ, cætera autem omnia sunt essentialiter contingentia. Præterea, in Deo nulla est proprietas accidentalis et attributa Ejus non discrepant ab Illius essentia : quapropter Deus, non secundum unam alteramve proprietatem accidentalem aut essentialem, sed secundum totam essentiam, cætera omnia transcendit.

Ergo tandem Deus non continetur in specie nec in genere.

II. *Arg. spec.* — Deus est Ens subsistens : unde esset genus vel quatenus ens, vel quatenus subsistens. Porro

1° Non est in genere *entis*, ut voluerunt Nominales et Rosmini, nam ens non est notio generica. « Omne enim genus

1. **Suarez**, *De Deo*, L. I, ch. x. — 2. Cf. **Lherminier**, *Dissertation sur la distinction des attributs de Dieu* ; — Cf. *Revue Thomiste*, 1913, p. 17-48 ; — **S. Basilius**, Epist., 80 ; — **Fénelon**, *De l'Existence de Dieu*, p. II, ch. VI, a. 2. — 3. **Roaldès**, *Les Penseurs du jour*, p. 320.— 4. *Contra Gent.*, L. I, c. 29, 32, 33, 34.

habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis ; nulla autem differentia potest inveniri, quæ esset extra ens, quia non-ens non potest esse differentia ; unde relinquitur quod Deus non sit in genere entis [1] », seu quod Ens simpliciter non sit genus (Ontol., n. 8).

2º Non est in genere *substantiæ*. Quo in casu, substantia univoce conveniret Deo et creaturis ; sed non ita est, nam substantia Dei est a se, per se, absque accidentibus, dum substantia creata nec a se existit, nec per se subsistit et substratum est accidentium.

Hinc Deus definiri nequit : caret enim elementis definitionis logicæ (infra, n. 140).

59. Hinc circa Dei simplicitatem plures *erraverunt :*

1º *Materialistæ* : hi enim, post David de Dinan, « stultissime » ponunt Deum esse materiam, ab eaque, vi progressus infiniti, res omnes.

2º *Gentiles*, *Anthropomorphistæ*, *Stoici*, — quorum alii formam corpoream Numini tribuunt, — alii contendunt Ens supremum, haud secus ac hominem, habere pedes, brachia, oculos, — alii tandem Deum animam mundi, mundum vero ingens Animal esse volunt.

3º Denique *Pantheistæ*, qui Deum ab hac universitate non esse distinctum, aut res mundanas ab essentia Dei emanasse docuerunt.

ARTICULUS IV.

De Immutabilitate Dei [2].

60. Utrum et quonam sensu Deus sit *immutabilis* ?

Immutabilitas est attributum *quo Deus ab omni mutatione immunis est* (Ontol., n. 87). Est autem mutatio transitus de uno modo ad alterum modum se habendi.

Porro res contingentes, etiam spirituales, et in esse et in operari sunt natura sua mutabiles : eaque variatio jure dicitur imperfectio, quam a Deo amovere oportet. Hac igitur perfectione gaudet, juxta quam nec in sua natura, nec in suis decretis, variationem experiri potest. Unde sit

THESIS

Deus est absolute immutabilis.

A. — *Arg. gen.* — Deus est ens a se, infinitum et simplex.

Porro 1º *Ens a se* est immutabile : secus esset « aliquo

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 3, a. 5. — 2. **Farges**, *ibid.*, p. 324-330.

modo in potentia » ad mutandum [1] ; et sic alius esset a quo de facto vel de jure mutaretur, proindeque jam non esset a se.

2° Ens *infinitum* est immutabile ; non enim potest aliquid acquirere vel amittere, amplius enim non esset infinitum.

3° Ens *simplex* est immutabile : mutatio enim importat compositionem partium, quarum una permanet, dum alia, mutatur. — Ergo Deus est absolute immutabilis.

B — *Arg. part.* — Duplex est immutabilitas : *physica* seu in natura, *moralis* seu in decretis voluntatis. Porro

1° Deus physice immutabilis est in sua natura, nam

a) Non mutatur in *sua existentia*, — nec de non esse ad esse, quia non causatur, — nec de esse ad non esse, quia est ens necessarium.

b) Non mutatur in *sua essentia* ; — tum quia ejus essentia non minus est necessaria quam existentia a qua reapse non differt, — tum quia transformatio substantialis competit tantum entibus materia et forma coalescentibus.

c) Non mutatur in *suis attributis*. Sunt enim idem ac essentia : cæterum evolutionem non habet Actus purus.

2° Deus est *moraliter immutabilis*, duplicem ob causam.

a) Non mutatur in *decretis suis* : mutatio enim hujusmodi supponit defectum in intellectu, qui ab initio non perpendit omnia diligenter, — aut arguit imperfectionem in voluntate quæ, modo rem unam, modo aliam, sine ratione sufficienti prosequitur.

b) Nec ei adduntur *novæ relationes*, saltem *reales*. — Relatio enim realis non advenit in aliquo, nisi per entitatem in eo novam. Entitas autem nova Actui puro nunquam addi potest, sed tantum creaturis, quæ a Deo esse accipiunt. — Quare, per creationem, sine mutatione reali in Ipso, Deus fit Dominus, Providus..., eodem ferme modo ac mons immobilis, modo ad sinistram, modo ad dexteram viatoris invenitur, qui solus mutatur.

61. Hinc Deus *Actus Purus*, non τὸ *Fieri* dici potest.

1° Est *Actus Purus* immobilis seu potius immutabilis [2] : « Ego Dominus et non mutor [3] » ; quod etiam recensetur « inter vulgaris philosophiæ decreta [4] ». — Cave tamen ne immutabilitas cum

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 9, a. 1 ; — S. Augustinus, *de Trinit.*, c. IV. — 2. Aristoteles, *Metaph.*, XIX, c. VI. — 3. Malachias, III, 6. — 4. Sallustius.

inactivitate et infecunditate confundatur : nam Actus Purus summa activitate prædìtus est, et, sine motu, operatione indefectibili gaudet.

2º Non est τὸ *fieri* ad sensum Heracliti, Hegelianorum et Bergsonistarum : juxta quos Deus non *est*, sed *fit* indesinenter, et progressus indefiniti legibus obtemperat [1]. — Sed contra :

a) Actus in *universum* prior est quam potentia. Ergo Ens Primum est actus et non potentia. — Antecedens probatur in Ontologia (n. 31), præsertim eo quod actus non pendet a potentia, sine qua esse potest, dum potentia omnino dependet ab actu, sine quo nunquam transiret ad actum, et nihil esset nisi mera impotentia. Unde potentia ut nota entis dependentis seu contingentis merito habetur, et a conceptu entis necessarii omnino excludenda est.

b) *Speciatim* Renan frustra duplicem Deum agnoscit : unum immutabilem et æternum, sed mere *abstractum*, alterum *realem* [2], sed imperfectum et progressus capacem : « En ce sens, inquit, Dieu sera plutôt qu'il n'est ; il est *in fieri*, il est en voie de se faire. » Sed, ex una parte, Deus idealis est mera fictio, ut alibi diximus (n. 53) ; ex altera parte, Deus ad progressum habilis, non differt ab hac rerum contingentium universitate : « Il est synonyme de la totale existence. » Quapropter systema progressistarum nihil est nisi pantheismus immanens, et omnium crassissimus, ut infra videbitur (n. 104-107).

ARTICULUS V.

De Æternitate Dei [3].

62. Quid sit in Deo *æternitas* ?

Celeberrima est definitio æternitatis a Boetio tradita : « *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* »

Dicitur — 1º *possessio* : et sane Deus habet dominium plenum vitæ ; cujus vero creatura usumfructum tantum possidet. — 2º Est possessio *vitæ* : nam « vita est perfectissimum esse, ac proinde in ejus possessione merito ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio [4] ». — 3º Est possessio vitæ *interminabilis* ; hæc enim « principio et fine [5] » caret, et ideo sempiterna dicitur. — 4º Est possessio *tota simul* seu *simultanea*, in qua scilicet nec gradum, nec successionem numericam invenies : et proinde differt a tempore, necnon ab ævo : in utroque enim habentur numero finitæ successiones (Ontol., n. 149). — 5º Hinc est possessio *perfecta*, nempe tum ratione

1. **Farges**, *ibid.*, 328-330 ; cf. *Théorie fond.*, p. 192 et seq. ; — *La philosophie de M. Bergson*, p. 267 et seq. — 2. *Les Sciences de la nature et les Sciences histor.*, 1863. — 3. **Farges**, *ibid.*, 330-337 ; — Cf. *Dict. de Théol. cath.*, art. *Eternité*. — 4. **Lessius**, *de Perfect. moribusque div.*, L. IV, c. 1. — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 10, a. 1.

objecti seu vitæ infinitæ quæ possidetur, tum ratione modi quo reapse possidetur.

Ex quibus tria inferre licet : — 1. Æternitatis duplex est elementum, unum *materiale*, nempe sempiternitas, alterum *formale*, nempe simultaneitas possessionis. — 2. Vox porro « æternitas » non est negativa, sed *positiva* : hinc non præcise sempiternitatem, sed magis simultaneitatem vitæ designat. — 3. Denique æternitas est quasi *species immutabilitatis* : nam immutabilitas est attributum « commune », secundum quod omnis mutatio a Deo removetur ; æternitas vero specialem temporis finiti vicissitudinem ab ente necessario removet.

63. Utrum Deus in sensu definitionis *sit æternus* ?

Ad hoc tria requiruntur et sufficiunt : videlicet ut Deus initio, fine et successione careat. Unde sit

THESIS

Deus est æternus seu initio, fine et successione carens.

Probatur — ex quatuor attributis jam in tuto positis :

1° *Ex aseitate.* — Deus est Ens a se, necessarium et subsistens. Ergo — initium habere nequit, nam illud haberet ab alio ; — nec finem habere potest, jam enim non esset ens necessarium ; — nec tandem in eo succedit esse, nam esse non recipitur in Deo, propter identitatem essentiæ et existentiæ.

2° *Ex infinitate.* — Deus est ens absolute perfectum : sed ens temporaneum infinite perfectum esse nequit : nam — *a*) limitatur serie numerica et semper finita ; — *b*) in eo inveniuntur præteritum et futurum, quibus hic et nunc indiget, ac proinde vita tantum partiali et quasi stillante (*goutte à goutte*), non autem plena et perfecta fruitur.

3° *Ex simplicitate.* — Deus est absolute simplex : ergo ejus existentiam cum essentia uniri ab initio, aut ab ea separari in fine, aut gradatim ei communicari decursu temporum, concipi non potest.

4° *Ex immutabilitate.* — Deus est immutabilis ; sed initium, successio et finis, mutationem quamdam in natura aut in actibus important ; ergo « ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum[1] ».

Quin etiam Deus « nec solum est æternus, sed est sua æternitas, suum esse uniforme[2] ».

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 10, a. 2. — 2. *Sum. Theol.*, *ibid.*

64. Hinc Dei æternitas *imaginari* nec potest, nec debet.

1° Non *potest* imaginari res, cujus imago e rebus sensibilibus hauriri non potest. Porro tale est Ens in quo nec initium, nec successio, nec finis est ; in quo neque præteritum, neque futurum est, sed perenne præsens, dum fluxu sæculorum mutatio fit tantum in creaturis. — Non desunt tamen *exempla* quæ rem illustrant. Respectu temporis,« image mobile de l'immobile éternité [1] », æternitas non incongruenter assimilabitur immoto *centro*, quod, quum individuum sit et permanens, vi linearum quæ inde ducuntur, punctis omnibus spheræ respondet, quæ circa ipsum forte volvatur. Vel etiam æternitas comparari potest *axiomati* mathematico vel geometrico, quod neque in præterito, incepit esse, neque in futurum desinet, sed sine ulla vicissitudine totum simul et perfectum existere concipitur.

2° Nec *debet* imaginari, imprimis tanquam successiva seu indefinita duratio. Hinc est enim cur Lockius, Clarkius et nonnulli Scotistæ erraverint. — Nam *Lockius* perperam asseruit æternitatem constitui ex infinita temporis multiplicatione ; — aliunde *Clarkius* voluit tempus abstractum, et ideo numerum instantium, ab æternitate Dei non esse distinctum ; — *Scotistæ* vero nonnulli docuerunt æternitatem non excludere successionem et illam definiunt : « seriem infinitam instantium sine initio et sine fine sibi succedentium ». Falsæ sunt istæ sententiæ, quæ successiones, easque numero infinitas, in æternitate Dei reponunt.

ARTICULUS VI.

De Immensitate Dei [2].

65. Quomodo immensitas *definiri* possit ?

Immensitas est *attributum, quo substantia Dei est actualiter aut virtualiter, præsens omnibus, quin ab illis definiatur.*

1° Dicitur attributum quo *substantia* Dei est præsens omnibus entibus. — Nempe « (Deus) est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur. Est per scientiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus. Est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi [3] ». Porro immensitas designat præsentiam non solum per potentiam et scientiam, sed imprimis per essentiam suam intimam [4].

2° Additur Deum esse præsentem omnibus *actualiter* aut *virtualiter*. — Actualiter, scilicet rebus creatis omnibus et singulis, quod est *ubiquitas* seu omnipræsentia ; virtualiter,

1. **J.-J. Rousseau.** — 2. **Farges**, *ibid.*, p. 337-344. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 8, a. 3. — 4. Cf. **Lessius**, *ibid.*, L. II, c. 1 ; — *Sum. Theol.*, p. 1, q. 8, a. 1-2.

scilicet entibus, locis aut spatiis mere possibilibus, quibus præsentiam suam exhibere potis est, et hæc est proprie immensitas... Quare actualis omnipræsentia est quasi pars immensitatis, immensitas vero non tam est præsentia, quam *jus* ad præsentiam indefinitam.

3° Vi immensitatis, Deus adest omnibus, quin tamen ab illis *definiatur*. Nempe — *a*) Deus non est in loco *circumscriptive*, sicut corpus quod spatio clauditur et circumscribitur [1]; — *b*) Deus etiam non est in loco *definitive*, sicut spiritus creati, quorum actio certos limites excedere nequit ; sed — *c*) Deus modo sibi proprio et ineffabili est in omnibus et ubique : nusquam vero continetur, sed omnes limites, omnia loca superexcedit et transcendit (Ontol., n. 141).

Hinc immensitas Dei, etsi negative concipiatur a nobis, est attributum maxime positivum, nec differt ab esse divino. Nam, priusquam mundus fieret, Deus erat immensus, et tunc orbi terrarum eodem modo aderat, quo nunc adesse dicitur enti mere possibili. Creatione vero semel effecta, jam Deus præsentiam suam rebus physicis actualiter exhibuit, sed illius immensitas non est aucta. Unde S. Bernardus : « Ubi erat, antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quæras ultra ubi erat : præter ipsum nihil erat : ergo in seipso erat [2]. »

66. Utrum Deus in sensu definitionis sit *immensus* ?

THESIS

Non ubiquitate tantum, sed immensitate gaudet Deus.

I. *Probatur per partes.* A. — Deus est *ubique*. Revera ubi operatur, ibi Dei virtus est. Atqui Deus operatur ubique, ut operi suo conferat « esse », « virtutem » et « operationem [3] ». Ergo Dei virtus ubique est. Sed ubi Dei virtus est, ibi ejus substantia, ob identitatem virtutis et essentiæ. Ergo Deus ubique est per substantiam suam.

B. — Deus est *immensus*. Ibi Deus est virtualiter, ubi res esse possunt, nulla tamen sine Ipso ; sed in spatiis possibilibus res existere possunt, nec tamen sine Deo, quia nihil esse potest nisi per Eum [4] ; ergo in spatiis possibilibus Deus est virtualiter, et per hoc immensus est.

Uti vides, argumentum fundamentale in gratiam immensitatis divinæ fundatur in axiomate scholastico : « Non est actio in

1. S. Gregorius Magnus, *Mor.*, XVI. — 2. *De Consideratione*, L. V, c. 6 ; — Billuart, *de Deo*, dissert. III, a. 6 ; — Suarez, *de Deo*, c. 11, n. 8. — 3. *Sum. Theol.*, p. 1, p. 9. — 4. *Sum. Theol.*, *ibid.*, q. 4.

distans » ; siquidem agens operi suo conjungi debet. Unde operatio Dei in rebus, quæ dicitur virtualiter transiens, est ratio formalis, propter quam Deus existit intime in rebus [1] : idem est Deum esse in creatura quam Eum creare creaturam. — Ita Thomistæ adversus Scotistas, qui contendunt agens summe perfectum, actionem suam in distans exercere posse, per actionem a se diffusam ; sed immerito, siquidem principium : « non est actio in distans » est metaphysice verum, quum actio ab agente separari nequeat (Ontol., n. 133).

II. *Probatur in universum ex attributis supra relatis.*

1° Ex *aseitate.* — Ens enim quomodocumque localisatum, est in potentia ad esse in tali aut tali loco : sed quod est in potentia ad esse vel ad non esse in tali vel tali loco, habet supra se ens in actu, et ita est ens ab alio.— *Nec dicas* Deum ipsum esse in potentia saltem ad loca possibilia : hæc enim implentur creaturis, quin mutetur Deus, eodem ferme modo ac corpora lumen solis pervadunt, quin sol mutetur.

2° Ex *infinitate.* — Si Deus immensitate careret, eo ipso ejus virtus esset limitata ; sed est illimitata, ergo et immensa.

3° Ex *simplicitate.* — Deus ita simplex est ut sit Actus Purus ; sed ens in loco positum, est in potentia ad esse, nempe ad transeundum de uno loco ad alium locum ; ergo Deus non potest loco coarctari.

4° Ex *immutabilitate.* — Ens in loco positum, transire potest in alterum locum, quod fieri nequit sine mutatione.

5° Ex *æternitate.* — Æternitas excludit successionem etiam in actibus ; sed ens in loco positum præsentiam suam diversis entibus successive tantum exhibere potest : quod evidenter rationi æternitatis repugnat.

Non est ergo Deus in loco ad modum loci, sc. definitive, præcipue localiter, sed ubique est et immensus [2].

67. Hinc satisfit *erroribus* circa Dei immensitatem.

Primus est quorumdam, imprimis *Manichæorum*, qui negarunt Dei « omnipræsentiam ». Sic nonnulli cum Cartesio [3] autumarunt Deum non esse præsentem ubique per essentiam, sed tantummodo per potentiam et scientiam. Manichæi vero putabant non esse in omnibus per potentiam, quia, secundum eos, spiritualia tantum subjecta essent divinæ potestati. — Cujus quidem asserti falsitas satis patet ex dictis.

Secundus est Newtonii et Clarkii qui tenuerunt immensitatem esse spatium infinitum : « Dieu, disent-ils, n'est pas le temps et

1. **Billuart**, *de Deo*, dissert. III, a. 6. — 2. **S. Gregorius Magnus**, *de Sum. Bono*, c. II. — 3. Item **Fenelonius**, *Exist. de Dieu*, p. II, n. 103.

l'espace, mais, en durant partout et toujours, il constitue le temps et l'espace[1]. » — Quod est falsum, sed habet speciem veri : siquidem spatium est possibile per immensitatem Dei, sine qua numquam actuari posset.

Tertius est scepticorum, imprimis Bayle, juxta quem immensitas et simplicitas in Deo conciliari nequeunt. — Sed e contrario Deus est immensus eo quod sit absolute simplex ; nam, quum Deus sit simplicissimus, non est præsens omnibus per contactum quantitativum, sed per operationem suam, seu per contactum virtutis.

Quartus est atheorum et pantheistarum, qui spatium universum asserunt esse collectionem omnium rerum. — Sed priores qui hoc spatium sine Deo immensum ponunt, jam confutati sunt ; posteriores vero qui hanc collectionem immensam volunt esse Deum, mox confutabimus (n. 105).

ARTICULUS VII.

De Unicitate Dei[2].

68. Utrum et uonam sensu Deus sit unus et *unicus* ?

THESIS

Deus est unicus, i. e., sibi consortem habere non potest.

Probatur thesis ex omnibus aliis attributis jam expositis.

1° Ex *aseitate*. — Deus est ens a se et ideo necessarium. Sed aseitas pluribus, nec inesse, nec communicari potest. — 1. Pluribus *inesse* nequit, nam cum sufficiat unum ens a se, cætera non modo non sunt necessaria, sed etiam sunt inutilia : quæ vero sine ratione sunt, inexistere dicenda sunt. — 2. Pluribus *communicari* nequit, quia plures dii, qui, juxta mythologiam, extra Deum in tempore generarentur, jam essent a se simul et ab alio : quod est contradictorium. Ergo Deus unicus est.

2° Ex infinita Dei *perfectione*. — Deus est infinitus ; sed Ens infinitum non potest esse nisi unicum ; ergo Deus unicus est. — *Minorem* sic confirmat S. Thomas : « Si essent plures dii, oporteret eos differre ; aliquid ergo conveniret uni quod non conveniret alteri, et, si hoc esset privatio, unus non esset simpliciter perfectus ; si autem hoc esset perfectio, alteri eorum deesset. Impossibile est ergo plures esse deos[3]. »

3° Ex *simplicitate Dei*. — Deus est absolute simplex ; sed ens absolute simplex est unicum : ergo Deus unicus est.

1. Am. de Margerie, *Théod.*, tom. I, p. 316. — 2. Farges, *ibid.*, p. 306-308. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 11, a. 3.

Minor sic probatur ; in ente quam simplicissimo, principium naturæ est ipsum principium individuationis. Ergo Deus, per hoc quod est Deus, est *hic* Deus. Porro hoc est quid unicum : v. g., id quo Petrus est Petrus, non potest aliis hominibus convenire. Idcirco unus est Deus, eodem ferme modo ac « si Socrates per id esset homo per quod est *hic* homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines [1]. Hoc autem convenit Deo ».

4º Ex *immutabilitate, æternitate et immensitate* simul. — Hæc tria attributa sunt incommunicabilia. Ergo Deus unicus est.

Probatur antecedens, nam in hypothesi plurium deorum : — 1. Nullus erit *immutabilis*, sed singuli erunt in potentia, saltem ad perfectiones quibus alii individuantur. — 2. Nullus erit *æternus*, nam per se solum nullus habebit totam et perfectam vitæ possessionem [2]. — 3. Nullus erit *immensus*, siquidem nullus erit præsens entibus quæ ab aliis producerentur. Ergo unus est tantum Deus immutabilis, æternus et immensus.

Confirmatur thesis : — tum pro doctis *ex unitate mundi* : nempe mundus unus est ; porro unitas mundi arguit unum ordinatorem ; ergo ordinator mundi seu Deus, unus est [3] : — tum pro viro catholico ex *auctoritate* Scripturæ [4] et Ecclesiæ : « si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema sit [5]. »

Jamvero unicitati Dei contradicunt *Dualismus* et *Polytheismus*. Unde

§ I. *De Dualismo.*

69. Quid sit *dualismus* et quid de eo sit sentiendum ?

Dualismus est systema eorum qui *duplex admittunt principium primum*, nempe *Deum et materiam*, — *vel principium a quo bona procedunt et alterum a quo mala sumunt exordium.* — Prior dualismus *philosophicus*, posterior *Manichæismus* seu dualismus *theologicus* appellari solet.

Manes, qui Manichæus quoque dicitur, e Perside oriundus circa annum 240, dualismum ad tria puncta revocavit : — 1º Duo sunt principia, unum a quo *bona* procedunt, et alterum a quo *mala* dimanant ; — 2º Duo hæc principia sunt æterna, et a se invicem

1. *Sum. Theol., ibid.* — 2. *Sum. Theol., ibid.* ; — **Lessius**, *ibid.*, L. IV, c. II. — 3. **Farges**, *ibid.*, p. 307 ; — Cf. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 11, a. 3. — 4. Cf. *Deut.*, VI, 4 ; XXXII, 39 ; — *Is.*, XLIV, 6. — *Ps.*, XVII, 32 ; — *Marc*, XII, 29 ; — *I Cor.*, VIII, 6. — 5. **Concilium Vaticanum**, Const. *Dei Filius*, can. 1.

non pendent ; — 3° Principium malum semper necessarioque dimicat adversus principium bonum, et omnia quæ defluunt a bono, divexare non cessat.

Huic recens adhæserunt Stuart Mill[1], Spencer[2], Proudhon et Pessimistæ. Contra quos sit

THESIS

Dualismus, quicumque sit, rejiciendus est[3].

Revera falsus, contradictorius, inutilis et perniciosus est.

1° *Falsus* est. Nam probatum est primum principium esse independens et infinitum. Si autem duo vel plura essent rerum principia, aliquid conveniret uni quod non alteri, et unum ab alio penderet : v. g., Deus in creando a materia penderet et ab ea limitaretur ; sicque neutrum dici posset independens et infinitum. Ergo non duplex est primum principium.

Dices : principium malum esse materiam primam et *prope nihil.*

Resp. Hoc posito : — 1° existit realitas necessaria extra Deum ipsum ; — 2° jam non est independens Ipsius operatio, quæ nihil per se sine materia producere valet ; — 3° denique ab Illo non pendent opera mundi, saltem in esse suo substantiali. Porro hæc omnia falsa sunt.

2° *Contradictorius* est. Duo enim prima principia sunt simul infinita et non infinita : — sunt infinita, siquidem sunt a se, aseitas autem importat infinitatem ; — non sunt infinita, duo enim infinita sese invicem excludunt.

Imo, in hypothesi Manichæorum, sunt entia et non entia. — Sunt entia, nam simpliciter et a se subsistunt : — Non sunt entia, nam principium bonum attributis fruitur sui destructivis : est enim independens in esse et dependens in operari, infinitum in esse et finitum in operari... etc. ; principium vero malum est purum nihilum ; nam, sicut omne ens est bonum, ita malum est privatio boni, ideoque principium summe malum est summa realitatis privatio. Unde S. Augustinus : « Vos, (o Manichæi !) colitis ea quæ nec aliquid sunt, quorum prorsus nulla sunt[4] ! »

3° *Inutilis* est. Excogitatus enim fuit dualismus vel ad mysterium creationis vitandum, vel ad explicandam mali existentiam. Porro ex utraque parte incassum evadit. Nam — 1. in hypothesi materiæ æternæ, Principio alteri non incumbit quidem creatio materiæ, bene tamen formarum substantialium, præsertimque animæ humanæ : si autem formas etiam

1. *Mémoires.* — 2. *Principes de Biologie.* — 3. **Farges**, *ibid.*, 442. — 4. *Contra Faustum*, L. XX, c. 9.

subsistentes creare valet, cur non ipsam materiam [1] ? — 2. In hypothesi vero Principii summe mali, tunc illud Principio Bono erit vel inferius, vel superius, vel æquale viribus : si primum, nullum erit in mundo malum ; si secundum, nullum erit bonum ; si tertium, neque bonum, neque malum.

4º Denique *perniciosus* est. Si enim malum et peccatum tribuantur materiæ vel nescio cui Principio malo, jam pereunt libertas, imputatio, meritum et demeritum ; sicque in vitia cujusvis generis impelluntur homines. — Quod et historia sive antiqua, sive recentiori comprobatur : jam enim in vulgus prodierunt dæmonolatria et crimina sectarum Massonicarum, quæ Luciferum Deo opponunt.

Obj. — Est malum in mundo ; sed malum procedere nequit nisi a principio malo ; ergo existit principium malum.

Resp. *Dist. maj.* : est malum in mundo, nempe privatio boni, *conc.* ; entitas autem essentialiter mala, *nego*. Nam, ex dictis supra (2º) et in Ontologia (n. 65), ens essentialiter malum esse nequit.

Inst. Sed effectus saltem moraliter malus a principio bono procedere nequit ; ergo malum nonnisi a principio malo sumit exordium.

Resp. *Dist. ant.* : Effectus malus non potest *immediate* et *directe* a primo Principio bono procedere, *conc.* ; *mediate* et *indirecte*, *nego* : nihil enim impedit, v. g., quin Deus nobis largiri queat *liberum arbitrium*, ex cujus *abusu* malum oriatur (n. 139) [2].

§ II. *De Polytheismo.*

70. Quænam sint *formæ* et *causæ* polytheismi ?

A. — *Polytheismus* est error eorum, qui *plures paucioresve deos* admittunt, aut numero *indefinitos* esse putant.

Error ille varias successive induit formas, e quibus præcipuæ sunt :

1º *Dæmonolatria* seu cultus geniorum, sive bonorum, sive malorum ; viguit olim apud Græcos et Romanos, nunc apud Orientales et in Oceania.

2º *Sabæismus* seu cultus siderum ; celeber fuit apud Persas et in Græcia nonnullos sectatores habuit.

3º *Anthropolatria*, nempe cultus hominum ; talis fuit in Græcia cultus Jovis et Saturni, imperatorum Romæ et avorum apud Sinenses.

4º *Zoolatria*, id est cultus quorumdam animalium ; floruit potissimum in Chaldæa, in Ægypto et in India.

5º *Fetichismus*, id est adoratio naturæ inanimis, sc. fluminum, terræ, olerum, imo et idolorum ; viget adhuc in nonnullis Indiæ et Africæ regionibus : olim autem grassatus est apud Ægyptios.

1. Farges, *ibid.*, 443. — 2. *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 79, a. 1, ad 3.

« Porrum et cæpe nefas violare et frangere morsu.
« O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis,
« Numina [1] ! »

B. — Tres fuisse videntur causæ : sc. *adulteratio revelationis primævæ, segnities rationis* et *corruptela cordis* humani.

1° Cultus geniorum sive bonorum sive malorum seu dæmonalatria, traditiones quorumdam populorum de mundi origine, de lapsu primi hominis, de mercede et pœnis alterius vitæ, testantur existentiam revelationis primitivæ, quæ paulatim apud populos a Judæis distinctos fuit *adulterata* [2].

2° Intellectus *segnities et imbecillitas* in inquirendis veritatibus metaphysicis non paucos ad polytheismum propulit. Et vero, ad Deum ascendimus per viam causalitatis ; quum autem plures sint causæ secundæ, inter primam Causam et effectus maxime remotos, qui per experientiam innotescunt, ratio, ex his effectibus exordiens, sæpe immoratur in causis secundis, et idcirco primam Causam non attingens, incidit in errorem Sabæismi et Fetichismi.

3° Ultima tandem polytheismi causa repetitur e *corruptela* cordis humani, eaque forsitan est cæteris universalior ; nam, ut dicit Origenes, « ea quæ diligunt homines, deos esse volunt, et humanis quibusque vitiis et cupiditatibus divinum nomen adscribunt ». Talis fuit præsertim anthropolatriæ origo [3].

71. Quænam sit ex dictis vera *natura* et *vis* polytheismi ?

A. — Utrum sc. polytheismus in se essentialiter sit *error* intellectus, aut solummodo voluntatis *depravatio*, disputatur.

1° Alii, certitudinis fundamentum requirentes ab auctoritate generis humani, docuerunt polytheismum non esse intellectus errorem proprie dictum, sed voluntatis crimen horribile : videlicet, omnes populi dogma unitatis Dei semper agnovere, Deo autem grates agere noluerunt [4]. — A quibus parum recedunt, qui nihil aliud inveniunt in polytheismo, nisi quemdam deismum ; id est, juxta eos, pagani Deum esse credunt, putant autem Illum de rebus mundanis nullam curam habere : verumtamen genios, sive bonos, sive malos, vitæ nostræ opitu-

1. **Juvenalis.** — 2. Cf. **R. P. Montiton**, *Cosmogonie des Pomotous*, in Missions catholiques, 1874, p. 342 ; — **Vigouroux**, *La Bible et les Découvertes modernes* ; — **Lenormant**, *Monographie* ; — **Aug. Nicolas**, *Etudes sur le christianisme.* — 3. Cf. **Pluche**, *Histoire du Ciel*, t. I, p. 200 ;— **Origines**, *Homil.*, II, in c. II Judic. ; Item **S. Catharina**, patrona philosophorum, ad imperatorem Maximinum, Giry, *Vie des Saints*, 25 nov. — 4. Ita **de Lamennais.**

lantes vel insidiantes, admittunt, eosque veluti deos adorant.

2° Altera sententia, quæ propugnari solet a maxima parte philosophorum, asserit polytheismum non esse duntaxat voluntatis depravationem, sed intellectus errorem proprie dictum. Quod probatur historia profana, Scripturis sacris et auctoritate SS. Patrum ; nam « quod notum est Dei, manifestum est in illis (paganis), ita ut sint inexcusabiles,... sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est cor eorum [1] ».

B. — Igitur polytheismus error est, sed *tantum* circa Dei *naturam*. — Ideo vim probantem argumenti moralis in gratiam existentiæ Dei inficere non potest, siquidem Polytheistæ Deum, imo implicite Deum unum et supremum admittunt, nam Deum deorum patrem et rectorem confitentur (n. 34).

Cæterum hic error — nunquam fuit constans : historice enim certum est polytheismum non extitisse ante monotheismum [2] ; — nec etiam fuit universalis, nam fatente ipso Renan, nunquam viguit apud Judæos [3], sed et inter gentes multi philosophi (ex. g., Anaxagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero et alii), deorum pluralitatem deridentes, existentiam Entis supremi agnoverunt [4]. — Unde polytheismus ne unicitatem quidem Dei inficere valet.

CAPUT SECUNDUM.

DE ATTRIBUTIS DEI POSITIVIS [5].

72. Utrum et uænam in Deo sint attributa *positiva* ?

A. — Hactenus a natura Dei creaturarum imperfectiones, v. g., dependentiam, limites, compositionem..., per viam negationis removimus. Sunt autem in creatis perfectiones, quas Ipsi per viam affirmationis tribuere nunc oportet. Nam, « quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a Creatore. Quod autem est causa alicujus, habet illud excellentius et nobilius. Unde oportet quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo, nobiliori tamen modo », seu

1. *Rom.*, I, 19 et 20. — 2. Contradicunt athei, v. gr., **Aug. Comte**, *Catéch. positiviste* ; — Cf. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 174, a. 6, et q. 94, a. 4, ad 2 ; — **Brugère**, *de Vera Religione*, app. xv ; — **Mgr Freppel**, *sur S. Justin*, 6e, 7e et 7e leç., p. 110-164. — 3. Negat **Viardot**, *Libre examen*, p. 14, 15. — 4. Cf. **S. Cyrillus Alexandrinus**, *Contra Julian.*, L. 1 ; — **Tullius**, *De natura Deor.*, L. I, n. 36. — 5. **Farges**, *ibid.*, p. 345 et suiv.

analogice, ut supra dictum est (n. 43). Jamvero inter eas eminet *vita* : vita enim est perfectio, eo quod perfectius est vivere quam non vivere. Indubium est igitur Deum vivere.

B. — Gradus autem diversi reperiuntur in viventibus. Alia enim, ut vegetalia, naturæ viribus inconsciis moventur ad finem suum ; alia, scilicet animalia, secundum impressionem per sensum acceptam se ipsa movent ; alia tandem seu homines, finem sibi prestituere et eligere possunt : « quod quidem non fit nisi per rationem, et intellectum [1] ». Et in hoc ultimo consistit *vita intellectualis*, quæ, utpote perfectior, Deo, et quidem modo superexcellenti, convenire debet.

Jamvero vita intellectualis duabus potentiis ad intra exercetur : *Intellectu* et *Voluntate*, quas in Deo consequitur *Omnipotentia*. Unde triplex sit articulus.

ARTICULUS I.

De Intellectu Dei [2].

In quatuor paragraphis dicemus : 1° de *Existentia*, 2° de *Objecto*, 3° de *Medio*, 4° de *Proprietatibus* scientiæ divinæ.

§ I. *De Existentia scientiæ divinæ.*

Scientia, ut jam diximus, requirit *cognoscens*, *cognitum* utriusque *unionem* : unde quæritur an hæc tria sint in Deo.

73. Utrum et quonam gradu in Deo sit *intellectus* ?

THESIS

Deus intellectu, et quidem infinito, fruitur.

I. — Deum *intelligentia* gaudere, sat ex dictis patet.

Imprimis enim ordo mundanus arguit existentiam supremæ Intelligentiæ, quam supra (n. 24) diximus esse Deum. — *Præterea* Deus est Spiritus (n. 55) ; sed primarium spiritus attributum est intellectus ; ergo Deus intellectu fruitur. Quare θεός, id est videns, a Græcis perbelle vocatur. — *Denique* fons perfectionum moralium est intellectus, sine quo, nec voluntas libera, nec amor, nec beatitudo concipi possunt ; ergo Deus intellectu gaudet.

II. — Deum esse *summe* intelligentem exinde deducitur.

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 18, a. 2-3 ; — Cf. **Sertillanges**, *S. Thomas*, I, p. 238. — 2. **Farges**, *ibid.*, p. 345 et suiv.

Nam prævisio omnium possibilium requirit intelligentiam infinitam ; porro, etiamsi hanc prævisionem absolute non requireret ordinatio mundi, illam exigit aseitas divina ; siquidem ens a se est locus, et ratio, et mensura omnium possibilium (n. 29). — *Cæterum* intelligere, quod in homine est limitatum, est perfectio simplex (n. 49), quæ nullam, si spectatur in se seu in suo conceptu, imperfectionem connotat. Sed ens necessarium hujusmodi perfectiones rerum contingentium formaliter quidem et superexcellenti modo, possidet : secus enim non esset infinite perfectum et aliqua perfectio deficeret in causa, quæ tamen adesset in effectu. Ergo Deus est intelligens et summe intelligens.

74. Utrum etiam et quonam sensu Deus sit *Veritas* ?

Véritas est ipsum ens quatenus refertur ad intellectum (Ontol., n. 54) : ergo etiam in Deo. Sit igitur

THESIS

Deus est summa et prima Veritas[1].

I. — Est *summa* veritas et quidem in triplici sensu :

Nam — *a*) Veritas et esse sunt unum et idem. Porro Deus est summum Ens. Ergo est summa Veritas *fundamentalis*.

b) Veritas etiam est adæquatio seu conformitas objecti cum intellectu ; sed in Deo est identitas (qua major non est conformitas) objecti seu essentiæ et intellectus ; igitur Deus est summa Veritas *metaphysica*.

c) Denique veritas est conformitas intellectus cum objecto cognito : sed intellectus divinus est conformis, non solum ipsi Deo, sed omnibus rebus creatis quas adæquate cognoscit sicut et producit ; ergo Deus est summa veritas *logica*.

Confirmatur, quia intelligere Dei est causa et mensura omnis alterius entis et omnis alterius intellectus, ac proinde omnis alterius veritatis quæ splendet in intellectu creato.

II. — Deus est *prima* Veritas. — Et sane est Primum Ens et omnibus prior, primario seipsum cognoscit, et objectum est excellentissimum cognitionis creatæ.Ergo sub eodem triplici respectu, in se et relative ad creaturas, est *prima* Veritas.

Hinc in Deo est etiam *veritas moralis* seu in ordine supernaturali et in ordine naturali est summe *verax* ; sicut enim

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 16, a. 5.

falli non potest, ita nec fallere, quomodocumque loquatur. Ergo, « etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest[1] ».

75. Utrum ergo sit et quid sit *scientia* in Deo ?

A. — *Scire* seu intuitu intellectus veritatem quasi intus legere ac videre, Deo maxime convenit. Nam, ex una parte, Deus est summe intelligens, imo est intellectio actualis, et ex altera parte, Deus est summa veritas ; sed intellectio actualis summæ veritatis constituit scientiam eamque perfectissimam ; scire igitur Deo maxime convenit.

Imo, « lux est Deus », ob eminentiam suæ scientiæ. Nam eo perfectior est scientia, quo subjectum cognoscens magis exuitur a dependentia materiæ : sic intellectus est « magis cognoscitivus » quam sensus, quia « magis separatus est a materia ». Quum autem Deus « sit in summo (gradu) immaterialitatis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis[2] » (n. 55).

B. — Hinc scientia divina definiri potest ; *actus purus, comprehendens omnem veritatem.* — Est 1° *actus* seu intellectio actualis ; unde non est partim in potentia, nec etiam vocari potest habitus. — 2° Est actus *purus* seu perfectissimus : nempe, Deus seipsum et omnia in seipso cognoscit, actu simplicismo[3], et sic designatur *modus* scientiæ divinæ. — 3° *Comprehendit* omnem veritatem, et hoc verbo exprimitur hujus scientiæ *perfectio.* — 4° Amplectitur *omnem veritatem* ; et illæ voces *extensionem* scientiæ divinæ significant.

Quæ jam ex dictis patent, et fusius statim sunt evolvenda.

§ II. *De Objecto scientiæ divinæ.*

Deus seipsum et *alia* a se cognoscit. Hæc autem vel sunt *possibilia*, vel *realia*, sive *necessaria*, sive *libera.* Unde

76. Utrum et quatenus Deus *seipsum* intelligat[4] ?

Primarium scientiæ divinæ objectum est *id quod Deus ante alia et in quo alia cognoscit.* Porro talis est essentia divina. Unde sit

THESIS I

Deus seipsum intuitive cognoscit et perfecte comprehendit.

I. — Deus *seipsum* cognoscit. Ad hoc enim tria requirun-

1. **Conc. Vatic.**, Const. *Dei Filius*, c. IV ; — Cf. **Monsabré**, *Conf.*, 1874. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 1. — 3. *Sum. Theol.*, *ibid.*, q. 16, a. 5, ad 1. — 4. **Farges**, *Ibid.*, p. 349-353 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 2, 3.

tur et sufficiunt : 1º ut Deus habeat intellectum ; — 2º ut esse suum sit perfecte intelligibile ; — 3º ut immediate præsens sit suo intellectui. Sed hæc tria in Deo sunt, — qui est summe intelligens, — summa veritas, — et in quo hæc duo sunt unum et idem. Ergo Deus seipsum per seipsum cognoscit.

Hinc Aristoteles illum optime vocat : ἡ νόησις νοήσεως νόησις.

II. — Deus *intuitive* se cognoscit. — Duplici enim modo quis seipsum dignoscere potest, reflexione et intuitione. Porro reflexio, qualis in homine existit, aliquid habet imperfectum : est enim motus ex substantia ad operationes et ex operationibus ad substantiam, qui supponit compositionem substantiæ et operationum. Ergo Deus, utpote summe perfectus, non reflexione, sed intuitione directa se cognoscit. — Ergo sine specie intelligibili, qua non indiget, — ergo sine discursu, quia omnia videt in uno [1].

III. — Deus *perfecte* se comprehendit. Ad hoc enim requiritur et sufficit adæquatio perfecta inter intellectum et objectum ejus. Hæc autem perfecta adæquatio, non in homine, sed in Deo est. — 1. In homine *non* est, sive quod nostra intelligentia imbecillis et imperfecta est, sive quod objectum nostræ cognitionis non est totaliter in actu, et ideo totum actualiter intelligi nequit. Inde fit, ut homo nullius rei, etiam minimæ, habeat comprehensionem adæquatam.

2. In Deo autem *perfecta est*, nam ex una parte infinitus est intellectus divinus, et ex altera Deus est totaliter in actu, cum sit Actus Purus : unde « tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo [2] ». Ergo perfecta est et Deus perfecte seipsum comprehendit.

Hinc infinitum homini, non Deo, incomprehensibile est.

77. Utrum et quatenus Deus omnia *possibilia* cognoscat [3] ?

Secundarium scientiæ divinæ objectum est *quidquid in sua essentia et per suam essentiam Deus cognoscit.* Unde sit

THESIS II

Deus in seipso, et uno quidem actu, cuncta possibilia *cognoscit.*

I. — *Cognoscit.* Possibilia enim nihil aliud sunt quam essentia divina « secundum quod est participabilis secundum

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 7. — 2. *Ibid.*, a. 3. — 3. **Farges**, *ibid.*, p. 353-355 ; — Cf. **Card. Billot**, *de Deo uno*, p. 195.

aliquem modum similitudinis a creaturis ». Porro Deus essentiam suam perfectissime cognoscit non solum in seipsa, sed et secundum quod participari potest a creaturis. Ergo cognoscit cuncta possibilia. — *Similiter* possibilia sunt ea ad quæ virtus Dei se extendit. Hæc autem Deus perfecte cognoscit, secus enim suam virtutem imperfecte cognosceret : siquidem « virtus alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quæ virtus se extendit [1] ». Ergo Deus cognoscit cuncta possibilia.

II. — *In seipso.* Vel enim in rebus externis, vel in ipsis, vel in seipso Deus cognoscit possibilia. — Sed duo priora falsa sunt, ex dictis de fundamento possibilium (Ontol., n. 38-42).

1um quidem : secus enim scientia Dei, sicut humana, hauriretur a rebus, quotidie perficeretur, et multiplex dici deberet. — Cæterum, sicut architecti exemplaria suis operibus, ita ideæ divinæ rebus contingentibus præexistunt.

2um etiam : nam possibilia, cum habeant esse mere ideale, nonnisi in intellectu divino existere possunt. — Secus enim cum Platone induceretur dualismus, nam hæ formæ separatæ a seipsis existerent ; necnon limitaretur Deus, qui illis ideis, tanquam archetypis suorum operum, indigeret.

Ergo *in Deo* sunt ab æterno ideæ omnium rerum possibilium : ergo cognoscit alia a se, propria cognitione « in quantum essentia sua continet similitudines aliorum ab ipso [2] ».

78. III. — Cognoscit *uno actu*, licet *plures* ideæ sint in Deo.

A. — *Uno actu.* Possibilia in mente divina sunt ipsamet essentia Dei cognita, non præcise quatenus in se est, sed in quantum est « participabilis et imitabilis [3] » a creaturis. Porro uno et eodem actu Deus cognoscit essentiam suam, et in seipsa, et quatenus variis modis imitabilem a creatura. Ergo uno actu simplicissimo Deus cognoscit seipsum et possibilia.

B. — Sunt ergo *plures ideæ* in Deo, — tum quia scientia esse nequit sine quadam ratione interna per quam rerum forma exprimitur in cognoscente : ergo « omnium quæ cognoscit, Deus habet proprias rationes [4] » ; — tum quia ideæ sunt exemplaria ad quarum imitationem Deus universa condidit : ergo omnium quæ creavit Deus habet proprias ideas. Hinc

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 14, a. 5 et 6. — 2. *Ibid.*, p. 1, q. 14, a. 5. — 3. *Ibid.*, q. 14, a. 4. — 4. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 15, a. 2 ; cf. a. 1, 3.

ideæ, quæ sunt « principia cognitionis rerum et generationis ipsarum », plures sunt in mente divina.

Nec *dicas* sic in Deum induci compositionem, nam pluralitas se tenet ex parte conceptuum objectivorum, simplicitas ex parte actus cognitionis subjectivæ, secundum ea S. Doctoris : « Cum sint diversæ rerum proportiones, necesse est esse plures ideas, et est quidem una omnium ex parte essentiæ [1]. » — Hinc in Deo idea multorum, potiusquam ideæ multæ.

79. Utrum et quatenus *realitates creatas* cognoscat Deus ?

« In tantum se extendit scientia Dei, in quantum se extendit ejus causalitas [2]. » Unde

THESIS III

Deus realitates creatas, *quæcumque sint, perfecte cognoscit.*

I. — *Cognoscit.* — Qui seipsum, suamque virtutem cognoscit, cognoscit et ea omnia quæ operatur. Atqui Deus res omnes existentes, ut ita dicam, operatur, quatenus eas educit e nihilo, servat in esse, et promovet ad agendum. Ergo Deus res omnes existentes in seipso cognoscit. — Quod illustratur exemplo artificis, qui in suis ideis artefacta omnia, quæ operatus est, contemplatur. Porro artifex hujus Universi Deus est.

II. — *Perfecte.* — Ergo *propria* cognitione, cui, sicut scientiæ humanæ, crimini verti non potest, quod ipsam et totam essentiam rerum cum suis notis distinctivis non attingat : siquidem, « species factiva rerum, infinite superat species a rebus acceptas » et, per eam « omnia in Deo præexistunt non solum quantum ad id quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea secundum quæ res distinguuntur [3] ».

80. Dixi : *quæcumque sint* seu res omnes, imo et non-entia.

1. Cognoscit *singularia*, — contra Averroem et alios, juxta quos Deus cognosceret genera et species tantum, non individua. Sed contra : « Deus, quales producit res, tales cognoscit : porro non creat res in genere, sed in individuo ; ergo notas entium individuales, sicut et genericas, cognoscit [4]. »

2. Cognoscit *minima*, sicut et maxima. — Hæc enim æqualiter requirunt efficientiam divinam : quæ enim vilia nobis apparent, minus distant a rebus maximis quam res maximæ ab infinito.

1. *Quæst. disp.*, *de Verit.*, q. 3, a. 2 ; — Cf. **Billuart**, *de Deo*, dissert. V, a. 7. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 11. — 3. *Ibid.*, q. 14, a. 6. — 4. *Ibid.*

3. Cognoscit *peccatum* et malum, — tum quia est supremus Judex et Ultor criminis, — tum quia Deus physice producit res, quæ, propter malam voluntatem hominis, malæ sunt moraliter, — tum denique eo quod imperfecte cognosceret ens et bonum, nisi cognosceret quidquid bono et enti potest accidere, nempe defectus et privationes : « sunt enim quædam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur [1] ».

4. Cognoscit non tantum præsens, sed et *præterita* et *futura*, etiam *libera*. — Etenim « in tantum se extendit scientia divina, in quantum se extendit ejus causalitas [2] » ; porro nihil effugere potest Causæ primæ et universalis causalitatem, nequidem actiones liberæ hominum (n. 119) ; ergo « non tantum quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia sua vel creaturæ » et ideo etiam libera cognoscit.

5. Eadem ratione Deus cognoscit *futuribilia* libera. Sunt porro futuribilia seu futura conditionata, ea quæ nec in præterito fuerunt, nec in præsenti existunt, nec in futurum evenient, quæ tamen in præterito fuissent, vel nunc essent, vel in futurum evenirent, si talis conditio poneretur, v. g., quid fecissent Sidonii, si audivissent prædicationem D. N. J. C. : « Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent [3]. »

Brevius : Deus, cum sit ipsum esse, scit omnia quæcumque sunt quocumque modo [4].

§ III. *De Medio scientiæ divinæ.*

81. Status *quæstionis* de medio scientiæ divinæ.

A. — *Notiones.* — Hic tria sedulo sunt distinguenda : *principium*, *modus* et *medium in quo* hujus scientiæ.

Revera principium *quo* Deus intelligit est ipsamet Dei essentia : Deus enim « non intelligit per aliquam speciem, quæ non sit sua essentia [5] ». — Præterea, modus *secundum quem* Deus omnia comprehendit, est actus unicus et simplicissimus, qui reapse non differt ab esse divino (n. 78). — Tandem, id *cujus cognitio includit cognitionem alterius*, vocatur *medium in quo* Deus alia a se distincta intelligit : de quo nunc.

B. — *Sensus.* — Jamvero tria apud omnes indubia videntur :

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 10 ; cf. a. 9. — 2. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 11, cf. a. 13. — 3. Math., XI, 21. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 9, a. 9. — 5. *Contra Gent.*, L. I, c. 46.

Nam 1° Deus omnia *in seipso* cognoscit ; secus enim scientia divina partim acciperetur a creaturis, successiva et dependens esset, et idcirco non esset infinite perfecta.

2° Ulterius autem quæritur *quomodo* in seipso Deus omnia cognoscat ; utrum, v. g., in contemplatione essentiæ suæ, an in suis liberis decretis. Porro de operibus *non liberis* non ambigitur : quorum quidem mere possibilia in sua essentia (n. 79), realia autem sive præterita aut futura, sive absoluta aut conditionata, in suis liberis decretis Deus contemplatur.

3° Totus est cardo difficultatis in determinatione medii *in quo* Deus *liberas* actiones hominis sive futuras, sive futuribiles, prævidere possit : ex quo etiam pendet difficillima quæstio de concordia præscientiæ divinæ cum libertate humana.

82. **Quænam sint *opiniones* de medio scientiæ divinæ ?**

En celeberrima Molinistarum et Thomistarum controversia [1].

1° Juxta Thomistas, Deus seipsum cognoscit ut objectum primarium, et alia tanquam objectum secundarium in seipso intelligit et videt ; possibilia intelligit in *essentia sua* velut in archetypo ; realia autem, sive necessaria, sive libera, sive absoluta, sive conditionata, videt aut intelligit in seipso tanquam in causa, seu *in decreto* vel absoluto, vel conditionato, quo omnia determinantur, vel determinarentur ad existentiam, tali talive conditione posita. Unde scientia Dei est synthesis amplissima, nempe Deus actu simplicissimo et seipsum et omnia in seipso intuetur [2].

Hinc, juxta Thomistas, recte partitur scientia Dei in scientiam *intelligentiæ*, quæ pro objecto habet mere possibilia, et in scientiam *visionis*, cujus objecta sunt omnia realia, sive praesentia, præterita aut futura, sive absoluta aut conditionata, sive necessaria aut libera.

2° Recentioribus autem sæculis, nonnulli philosophi, relicto tramite S. Doctoris, Molinæ vestigiis adhæserunt. Hic enim quoad futura conditionata, excogitavit celeberrimum cognoscendi modum, qui dicitur *scientia media*. — *Negative* definiri potest : cognitio qua Deus, ante omne decretum, certo prævidet quid voluntas hominis ageret, si talis talisve

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 365-376 ; — **Gayraud**, *Thomisme et Molinisme* et *Réplique au P. de Régnon* ; — **Billuart**, *de Deo*, diss. VI ; — **Garrigou-Lagrange**, *S. Thomas et le Néo-Molinisme*. — 2. *Contra Gent.*, L. I, c. 68, n. 2 ; — *Sum, Theol.*, p. I, q. 14, a. 5.

conditio poneretur. — Quomodo autem *positive* definiatur scientia media, non consentiunt inter se Molinistæ. Alii, duce Molina, contendunt Deus futura contingentia in « *supercomprehensione* » causarum secundarum ante omne decretum intelligere ; alii cum Vasquezio, docent futura libera videri a Deo *in seipsis*, videlicet in libera hominis determinatione ; alii in *essentiis* rerum ; alii tandem in *medio contradictoriarum* seu in eorum veritate objectiva (n. 84).

Hinc Molinistæ contendunt divisionem in scientiam *intelligentiæ* et *visionis* non esse adæquatam, quippe non attingeret futura conditionata libera, quæ essent exclusive objectum scientiæ *mediæ*, quæ sc. mediat inter scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ, seu inter scientiam naturalem et scientiam liberam.

83. Quid sentiendum de opinione *Thomistarum*[1] ?

THESIS

Deus nonnisi in suis decretis *futurorum liberorum habet præscientiam.*

Prob. — Ea Deo tribuenda est futurorum liberorum præscientia, quæ illum deceat et sit infallibilis. Atqui talis scientia, quocumque modo explicetur, nonnisi in decretis Dei, quibus imperat aut permittit, inveniri potest ; quod sic probatur.

A. — Quicumque cognoscit causam necessariam et infallibilem certo prævidere potest effectus ejus futuros : quicumque autem cognoscit causam deficientem et liberam non habet eo ipso de effectibus ejus « nisi conjecturalem cognitionem[2] ». Sed præscientia Dei nequit esse conjecturalis, sed certa est et infallibilis. Ergo palam est quod, sicut possibilia in essentia sua præcise spectata cognoscit, sic futura in essentia sua per voluntatem determinata seu in decreto suæ voluntatis cognoscat[3].

B. — *Dicunt quidam* : « nihil est pro Deo futurum, nihil præteritum ; sed omnia præsentia, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem[4]. » Unde potius *visionem* habet Deus futurorum, quam præscientiam.

Resp. Recte quidem : hæc autem visio postulat rerum præsentiam : hæc vero quomodo habetur ? Unde explicatio est insufficiens. Revera

1. Non valet pro *futuribilibus*, ut patet ; quæ enim nunquam erunt realia, objectum visionis actualis dici non possunt.

1. **Farges**, *ibid.*, p. 364-368. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14. a. 13, c. — 3. Cf. **Billuart**, *de Deo, diss.*, VI, a. 4, § 11 ; — **Zigliara**, *Theol. nat.*, Lib. III, cap. 2, a. 3. — 4. *Sum. Theol.*, *loc. cit.*, et *I Sent.*, Dist., 38, q. 1, a. 5 ; — *Quodl.* XI, a. 3.

2. Nec sufficit pro *futuris* liberis. Nam visio non est nisi præsentium : unde rursus quæritur, quomodo futura sint Deo præsentia. Porro e duobus unum est eligendum : — Vel Deus ea futura videt, cum in tempore ea exequitur voluntas humana, sicut ex alto quis videt ea quæ fiunt in inferiori loco. Hoc autem in casu, scientia Dei certa quidem esset, sed penderet e rebus creatis, quotidie novis incrementis perficeretur, et ideo multiplex esset : imo nulla dici deberet præscientia futurorum, saltem ante eorum productionem ; — Vel Deus ea futura videt ante creationem : hæc autem videre nequit nisi in suis decretis, saltem permissivis, in quibus sunt eodem ferme modo ac artifici cognita sunt omnia artefacta ante suam executionem : quo sensu tantum Deus « non cognoscit res prout sunt in tempore, sed prout sunt in æternitate, sc. prout sunt ei præsentia tam necessaria quam contingentis ».

Confirmatur, nam vanæ sunt aliæ explicationes, quibus adversarii explanare voluerunt præscientiam divinam, ut statim dicendum est.

84. Quid sentiendum sit de *scientia media* ?

Absit ut tot virorum, acuitate mentis insignium, auctoritas hac in re dubia despiciatur : pluribus tamen de causis sententiam Molinistarum rejiciendam esse putamus. Unde sit

THESIS

Scientia media, quocumque modo propugnetur, vana et libertatis eversiva videtur.

I. — *Vana est.* — Hæc scientia vana merito dicitur, quæ proprium non habet objectum, vel objectum suum non attingit. Porro talis est scientia media Molinistarum :

1. *Proprium non habet objectum.* Non enim objectum materiale specificat scientiam, sed objectum formale seu medium quo cognoscitur ; atqui objectum scientiæ mediæ materialiter tantum distinguitur ab objecto scientiæ visionis et intelligentiæ ; ergo ab utraque specifice non differt scientia media. — Constant major et minor. *Major* : quæcumque enim uno et eodem medio apprehenduntur, ad eamdem scientiam pertinent, sicut, v. g., ad theologiam cuncta mysteria quæ per fidem habentur. — *Minor* : nam duplex est tantum in Deo medium cognitionis, videlicet sua *essentia*, qua omnia potest ; et sua *voluntas*, qua hæc de facto potiusquam alia efficit aut permittit. Ergo duplex est tantum in Deo scientia specifice distincta, « naturalis et libera », nec dari potest intermedia.

2º *Non attingit suum objectum.* Si enim daretur modus cognoscendi futura conditionata libera, « independens ab

omni decreto et absoluto et efficaci, eoque anterior[1] », hæc futura, juxta ipsos Molinistas, in essentia Dei, sed vel in supercomprehensione voluntatis humanæ, vel in seipsis, vel in essentiis rerum, vel in medio contradictoriarum cognoscerentur[2]. Porro hæc omnia vana sunt ad finem intentum :

a) — Non in *supercomprehensione* cujusque liberi arbitrii cognoscuntur, ut voluerunt Molina, Bellarminus, Card. Billot. Nam futura libera non habent connexionem certam cum suis causis proximis liberis ; ergo in eis certo cognosci non possunt.

b) — Non in *seipsis*, ut asserunt Vasquez et Molinistæ plerique recentiores : quæ enim non existunt, nec unquam existent, qualia sunt futuribilia, in seipsis non possunt cognosci.

c) — Non in *essentiis* rerum, ut post Leibnitzium dicunt Neo-Molinistæ : nam in essentiis rerum, ut in essentia sua, Deus videt res necessarias et immutabiles cum suis consectariis necessariis, non vero contingentia et libera.

d) — Denique non in *medio contradictoriarum*, ut dicunt post Suarezium alii Neo-Molinistæ. Nam, etsi verum sit, v. g., Petrum non posse peccare simul et non peccare, potest tamen unum vel alterum eligere sine ulla contradictione.

Hinc, quomodocumque explicetur, impossibilis evadit scientia media, fatente ipso Neo-Molinista P. de Régnon : « C'est là le mystère, l'insondable mystère : de toutes les explications proposées aucune n'est complètement satisfaisante. Expliquer cette science, c'est œuvre de dilettantisme philosophique[3]. » — « Insolubile nobis ænigma », ait ipse Card. Billot[4]. — Et ita omnes... Verumenimvero, quod gratis asseritur, gratis negari potest.

II. — *Est eversiva libertatis.* Hæc theoria eversiva est libertatis, quæ importat prædeterminationem « *essentialem* » liberorum ad existentiam. Sed ita est in scientia media : sive enim in voluntate hominis, sive in seipsis, sive in essentia rerum, sive in medio contradictoriarum, hæc potiusquam illa futura certo prævideantur, ergo in voluntate, ergo in seipsis, ergo in essentia Dei, ergo in principio contradictionis, *essentialiter*, positis ponendis, ante omne Dei decretum, prædeterminantur ad existendum et non evenire nullatenus possunt. Hoc autem parum differt, si tamen differt, a determinatione Leibnitzii[5].

Undenam enim voluntati sua determinatio ? ex seipsa solum-

1. **Tournely**, *de Deo*, q. 16, *de Scientia Dei*, a. 5. — 2. **P. de Régnon**, *Bannez et Molina*, 113-115. — 3. *Ibid.*, p. 115-118. — 4. *De Deo uno*, p. 207. — 5. **Gayraud**, *Thomisme et Molinisme.*

modo, siquidem Deus nil adhuc decrevit. Sed si ex seipsa, ergo ex seipsâ, etiam *in tali aut tali statu* posita, voluntas est *determinata* et vincit saltem « *determinismus circumstantiarum* [1] ».

Quapropter scientia media videtur inutilis, imo contraria fini propter quem inventa fuit : non enim facilius quam Thomistarum sententia solvit difficultatem de concordia præscientiæ Dei et libertatis hominum. — Hinc *pressius* concludunt Thomistæ : vana scientia media, vel libertatis logica destructio : en Charybdis aut Scylla Molinistarum.

85. Quid de *concordia* præscientiæ Dei et libertatis ?

A. — *Objiciunt Rationalistæ* post Tullium sic [2]: Quod prænoscitur, necessario eveniet ; ergo futurum Deus ignorat vel non est liberum.

Resp. *Dist. ant.* : quod a Deo prænoscitur *certo* eveniet, *conc.* ; *necessario* eveniet, subdist. : si pendet a decreto Deo *necessitante*, *conc.* : si pendet a decreto *non necessitante*, *nego*. Et sane quidquid prænoscitur, certo eveniet ; sed aliquid potest certo et libere simul evenire ; secus enim, etiam in systemate rationalistarum, libertas hominis corrueret. Et vero, ea quæ cras libere evenient, hodie procul dubio in se vera sunt, et, sin ab homine semper, a Deo saltem præcognosci potuerunt [3].

B. — *Objiciunt Molinistæ* : quæ in essentia divina videntur, in ea prædeterminantur, juxta ipsos Thomistas, et non sunt libera. Ergo, a pari, quæ in decretis Dei præcognoscuntur.

Resp. : 1° *Retorqueo*, nam, ex modo dictis, scientia media molinistica necessario eamdem, imo majorem importat determinationem. — 2° *Nego paritatem*. In essentia enim Dei viget prædeterminatio *essentialis* rerum, non autem in decretis Dei quæ pendent a voluntate Dei. Nam Deus non potest mutare essentias rerum : quod autem possit movere libertatem, quin ei violentiam inferat, nemo negare poterit, et concedunt ipsi Molinistæ pro casibus extraordinariis. — 3° Unde sic : hæc futura evenient infallibiliter, *conc.* ; necessario, *nego*. Porro certitudo effectus ex parte hominis non importat ejus necessitatem ex parte principii (infra, n. 124).

Hinc tandem scientia Dei futuras actiones hominum præcedit, juxta nostrum concipiendi modum ; non enim Deus prævidet futura, quia realiter evenient, sed quia Deus ea prævidet, ideo eveniunt.

§ IV. *De Proprietatibus scientiæ divinæ.*

86. Quænam sint *proprietates* scientiæ divinæ [4] ?

Si fides pantheistis, nec infinita, nec simplex est scientia Dei. Sic juxta Spinozam, Deus est inscius et impersonalis : quapropter

1. **Garrigou-Lagrange**, *S. Thomas et le Néo-Molinisme*. — 2. **Damiron** *Psych.*, tom. II, p. 75-76-77 ; — Item **J. Simon** et **Gœthe**. — 3. Cf. **Frayssinous**, *Déf. du Christ*, Libre Arbitre ; — **Mazzella**, *De Gratia*. — 4. **Farges**, *ibid.*, p. 376-380.

neque seipsum, neque alia cognoscit nisi tantum in homine. — Itemque Deus Germanorum et progressistarum non cognoscit actu simplicissimo sed successive, scilicet est in fieri, et ope progressus ad scientiam forte perveniet[1]. — Adversus hos errores, jam ex dictis colligere fas est miras scientiæ divinæ proprietates. Unde sit

THESIS

Scientia divina a defectibus scientiæ humanæ penitus eximitur.

Prob. thesis, — sub quocumque respectu *objecti, subjecti, medii et termini* sui scientia Dei consideretur.

1º Ratione *objecti, infinita* est scientia Dei. Homo enim pauca noscit possibilia, actualia cuncta non concipit, nec futura, præsertim libera prævidet, nec præterita omnia recordatur.— E contra, necesse est quod Deus sciat infinita — sive per scientiam intelligentiæ, qua Deus scit non solum necessaria quæ sunt actu, sed etiam ea quæ sunt in potentia vel sua, vel creaturæ : hæc autem constat esse infinita ; — sive per scientiam visionis, qua Deus scit etiam cogitationes et affectiones cordium, quæ sunt, fuerunt vel erunt sicque in infinitum multiplicabuntur. Ratio utriusque est quia essentia divina, per quam intelligit, est similitudo sufficiens omnium quæ sunt vel esse possunt[2].

2º Ratione *subjecti*, scientia Dei est *substantialis*, nam intelligere Dei est ejus esse, in nobis autem accidens ; ideo in homine novam, in Deo nullam addit substantiæ entitatem. Hinc in uno mobilis, in altero immobilis ; nam in mente humana status et habitus fiunt et mutantur ; in Deo autem, sicut substantia, ita scientia est et permanet in æternum.

3º Ratione *medii*, scientia Dei *intuitiva, una* et *simplex* est. Videlicet homo discurrit, discurrendo multiplicat actus, in eis errat, paulatim et laboriose ascendit ad verum, parvamque acquirit scientiam. Deus autem est Intelligentia quæ non ratiocinatur, sed uno intuitu suæ essentiæ comprehendit omnia rerum principia, eorumque remotissimas consequentias.

4º Ratione *termini*, *independens*, *efficacissima* et *infallibilis* est scientia Dei. — Independens, quia Deus rebus non indiget, ut eas cognoscat ; res autem, ut sint, Deo indigent. — Efficacissima, nam res contingentes existunt, quia Deus eas cognoscit et vult. Unde scientia Dei est causa rerum, secundum

1. **Renan**, *Les sciences de la nature et les sciences hist.* — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 12.

ea S. Thomæ : « Deus per intellectum suum causat res, cum ejus esse sit ejus intelligere : unde est necesse quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam[1]. » — Hinc est etiam cur sit *infallibilis*, seu nulli errori obnoxia.

ARTICULUS II.

De Voluntate Dei[2].

Eædem fere sunt quæstiones ac de intellectu divino.

§ I. *De Existentia voluntatis divinæ.*

87. **Utrum et quotuplex in Deo sint *voluntas et amor* ?**

A. — Sicut ab intellectu scientia, ita a voluntate procedit amor, qui *tria* pariter requirit : appetitum, bonum amabile et unionem utriusque. Porro

1° *Voluntas* maxime Deo convenit, tum quia quælibet res ad suam perfectionem tendit et in ea quiescit : en imago voluntatis ; tum quia homo voluntate gaudet. Atqui perfectio effectus excellendi modo invenitur in Prima Causa. — *Præterea* « voluntas intellectum consequitur. Unde in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis. Et sic oportet in Deo esse voluntatem[3] », et maximam, nam est summa veritas.

2° Deus est etiam summum *bonum* et summa *pulchritudo*. Si enim Deus spectatur ut causa rerum, ipse est fons bonitatis a quo cuncta bona procedunt ; si spectatur ut finis omnium, est bonum summe appetibile ; si spectatur in se, continet omnem perfectionem, et consequenter summam bonitatem. Ergo Deus est bonus excellentissimo modo seu etiam est ipsa *bonitas*. — Præterea quidquid est pulchrum in rebus, habetur ut vestigium et imago causæ exemplaris seu Archetypi æterni. Ergo forma substantiæ divinæ continet excellentissimo modo omnem perfectionem quæ in formis rerum contingentium invenitur, et est ipsa *pulchritudo* (Ontol., n. 73).

3° Hinc Deus seipsum *velle* et *amare* debet, et amor in eo est. Illud enim amore dignum est et amandum, quod bonum est et pulchrum ; sed Deus est ipsa bonitas et ipsa pulchritudo ; ergo evidenter sequitur Deum esse in se summe et

1. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 8. — 2. *Ibid.*, p. 1, q. 19 ; — **Farges**, *ibid.*, p. 381 et suiv. ; — **Lessius**, *De Perf. div.*, L. IX. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 1.

amabilem super omnia et in omnibus amandum. — *Similiter* amor est unio affectiva voluntatis cum bono cognito ; sed voluntas Dei, cum sit perfecta, in summum bonum affectu ferri debet : ergo in eo est amor sui ipsius affectivus. — *Denique* « omnes alii motus appetitivi supponunt amorem, quasi primam radicem.. ; remoto enim primo, removentur alia.. ; unde necesse est in Eo reponere amorem [1] » : secus enim in Deo nec esset Providentia, nec Beatitudo, nec alia attributa moralia.

B. — Voluntas Divina *una* est, sed quia relative ad nos multos effectus producit, multiplex dici potest in Deo actus voluntatis et quotuplex est *objectum* ejus vel *signum* externum quo Deus voluntatem suam manifestat. Ex. g. : « apud nos irati punire consueverunt: unde ipsa punitio est signum iræ et propter hoc ipsa punitio iræ significatur, cum Deo ira tribuitur [2]. »

§ II. *De Objecto voluntatis divinæ.*

83. Quid et quotuplex sit *objectum* voluntatis divinæ ?

Sunt qui contendunt Deum non esse *liberum* neque *munificum* in creatione rerum ; sic, juxta Cousin, Deus tam necessario creavit quam amat seipsum. Alii autem, horribile dictu ! asserunt Deum esse *mali moralis* auctorem (Bayle). Adversus hos omnes, nonnulla maximi momenti statuenda sunt.

THESIS I

Deus ab æterno vult seipsum primario et necessario.

1. Vult seipsum *primario.* — Nam illud bonum est primario appetibile, propter quod alia amantur et ad quod ordinantur velut ad finem ultimum ; porro talis est bonitas divina ; unde oportet ut Deus in bonitatem suam primario tendat ut ad finem, et in alia ut ad eumdem finem.

2. Vult seipsum *necessario.* — Nam, ex dictis in Psychologia (n. 111), voluntas non est libera in appetendo finem seu bonum undequaque tale ; sed bonitas divina est infinita ; unde bonitatem suam Deus ex necessitate vult, — sicut voluntas nostra necessario vult beatitudinem — sicut etiam visus necessariam habet habitudinem ad proprium et principale objectum, sc. colorem [3].

Hinc Deus amoris sui, sicut scientiæ, *primarium* est objectum. — Quænam vero sint objecta *secundaria*, declarat

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 20, a. 1. — 2. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 19, a. 11. — 3. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 3.

THESIS II

89. *Deus secundario, benevole et libere, alia a se vult, et sincere, saltem antecedenter, amat.*

1. Vult *quidquid extra se bonum est.* — Quod probatur e natura bonitatis : nam, quia bonum, omne ens non solum inclinatur ad quiescendum in proprio bono, sed etiam ad illud in alia diffundendum : unde est sui « communicativum et facit sibi simile ». Ergo a fortiori Deus, quod est summum bonum. — *Nec dicas*, hoc posito, Deum ab aliquo alio moveri. Nam, « cum Deus alia a se non velit, nisi propter bonitatem suam, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus nisi bonitas sua [1] ».

2. Vult *alia secundario, in ordine ad se* [2]. — Nam intellectum sequitur voluntas ; unde, sicut Deus primario seipsum, deinde omnia in seipso cognoscit, ita seipsum primario, deinde omnia in seipso vult et amat. — *Præterea*, quidquid bonum existit in rebus finitis, est participatio quædam bonitatis divinæ ; bonum autem participatum ordinari debet ad summam bonitatem ut ad finem ultimum : ergo Deus alia velle non potest, nisi tantum in ordine ad se, seu ea quæ sunt in finem vult ordinari in finem : secus enim esset deordinatio in voluntate divina.

3. Vult *benevole.* — Nempe voluntati divinæ nullam causam assignare possumus, nisi solam Dei bonitatem ; Deus enim quum sit ditissimus et beatissimus, creaturis non indiget ; quum sit ultimus finis, non ordinatur ad alia, sed alia ordinantur ad Ipsum. Unde Ejus bonitas est causa sola Ejus voluntatis.

4. Vult *libere.* — Nam voluntas (Psych., n. 111), *libertate* gaudet in eligendis mediis quæ sunt bona imperfecta et cum fine ultimo non necessario colligantur : atqui relative ad Deum, qui sine aliis perfectus est et finis omnium, res finitæ non sunt necessariæ ; ergo Deus non vult eas nisi voluntate libera.

5. Amat *sincere*, quia omnibus creaturis suis præsertimque liberis vult et dat multiplex in omni genere bonum : ex quo sinceritas amoris probatur et manifesta fit.

6. Amat, saltem *antecedenter*, sc. ante peccatum, siquidem

1. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 2 ; — *Contra Gentil.*, L. I, c. 75. — 2. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 5.

antecedenter omnes vult salvos beatosque fieri, licet voluntate *consequenti* et absoluta aliquos a fine suo deficere permittat, aliquos autem magis diligat, liberet a peccatis et ad finem certissime perducat.

THESIS III

90. *Deus nonnisi indirecte vult malum physicum, minime vero malum morale.*

1. *Non vult, nisi indirecte, malum physicum.* — Nam omne malum est privatio alicujus boni ; sed voluntas divina bonum essentialiter appetit : ergo non potest ferri *directe* in malum physicum. — Attamen Deus potest illud velle *indirecte* ; nempe, propter bonum aliquod generale vel altioris ordinis, cui conjungitur per accidens : ex. g., non repugnat Deum volendo justitiam, velle pœnam peccatoris, et volendo ordinem naturæ servari, velle quædam naturaliter corrumpi per accidens.

2. *Deus a malo morali essentialiter abhorret.* — Malum enim morale includit aversionem creaturæ rationalis a Deo, ad quem omnia tanquam ad summum bonum ordinari debent. Atqui Deus non potest velle, nequidem indirecte, ea quæ essentiali rerum ordini opponuntur. Ergo, ut dicit S. Thomas, « malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult ». — Quid ergo ? « Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult *permittere* mala fieri. Et hoc est bonum [1] ».

§ III. *De Concordia libertatis et immutabilitatis in Deo.*

91. En sensus *quæstionis* et de ea variæ opiniones.

A. — *Sensus.* Quæritur per quid formaliter constituatur « actus liber Dei », necnon quomodo libertas cum immutabilitate in Deo stare possit. Quod enim est liberum, contingens est : quod autem immutabile, necessarium est. Unde, si Deus est immutabilis, quomodo liber ? si liber, quomodo immutabilis ? — Hic est, ut dicunt, « nodus intricatissimus » et « ænigma sacrum » : « nihil certius in fide, nihil difficilius in Theologia [2] ». Cavendum est enim ne propter immutabilitatem libertas Dei dicatur mera denominatio extrinseca, vel propter libertatem inducatur in Deum modus contingens.

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 22, a. 2, ad 2. — 2. **Gonet**, *Man. Theol.*, IV, 2.

B. — *Opiniones.* Ad solvendam difficultatem, quatuor sunt systemata : primum est vulgare, — secundum a recentibus, — tertium a Scotistis, — quartum a Thomistis propugnatur [1].

1° Nonnulli, inter quos Bossuetius, nihil de ea re agnoscunt nisi *mysterium*. Est nempe mysterium, relatio ab homine non percepta inter duos terminos. Porro certum est multa reperiri mysteriosa in ordine morali, physico et metaphysico ; ergo potissimum in Deo, et conciliatio immutabilitatis et libertatis est unum ex his mysteriis. Quum autem certa non sunt neganda propter obscura, tenendum est Deum esse liberum simul et immutabilem [2].

2° Juxta *recentes*, in perfectione divinæ voluntatis solutio reperitur. Hæc enim duplici gaudet perfectione, sc. necessitate erga seipsam seu ad intra, et libertate erga creaturas seu ad extra, eodem ferme modo ac homo circa finem necessario, circa media libere agit : Ita Suarezius [3].

3° Quidam scotistæ, præter voluntatem necessariam, qua Deus seipsum vult et amat, agnoscunt *determinationes* liberas, quæ distinctione « formali », ab essentia divina distinctæ sunt. Determinationes illæ non perficiunt essentiam divinam, unde possunt esse vel non esse, quin perfectio Dei augeatur vel minuatur. Sicque libertas et immutabilitas conciliari possunt ; sufficit enim ad divinam perfectionem ut voluntas, qua Deus seipsum vult necessario, sit prorsus immutabilis [4].

4° Denique, juxta Thomistas et alios : 1. — Actus liber sub duplici respectu considerari debet : nempe, quatenus est *subjective* in Deo, et in quantum terminatur ad *effectum* extrinsecum, sc. ad creaturam. 2. — Porro actus divinus in se spectatus est simplex, immutabilis, necessarius ; effectus autem ad quos terminatur voluntas Dei, sunt multiplices, mutabiles, non necessarii, sed contingentes. 3. — Hinc servatur immutabilitas : nam, in Deo spectata, determinatio est necessaria et simplicissima. Servatur et libertas : etenim effectus externi potuissent esse vel non esse [5].

92. Utrum et quatenus vera sit *thomistica* sententia ?

Systemata Bossuetii, necnon recentiorum, admitti quidem possunt, sed quia sunt mere negativa, nihil explicant. Aliunde sit contra Scotistas sequens

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19 ; — **Billuart**, *de Deo*, dissert. VII, a. 4 ; — **Suarez**. *Disp. Metaph.*, XXX, sect. IX. — 2. **Bossuet**, *Libre arbitre*, c. IV. — 3. *Metaph.*, Disp. 30, Sect. 9. — 4. *Philos. Lugdun. de Deo*, c. IX ; — Cf. *Compendium Philosophiæ, Theod.*, n. 148 ; — **La Luzerne**, *Dissertation sur l'Exist. de Dieu*, p. II, ch. VIII, n. 9. — 5. **Billuart**, *de Deo*, Disp. VII, a. 4.

THESIS

Unus et idem actus, quatenus Deus amat seipsum, necessarius, quatenus vero libere terminatur ad creaturas, liber esse dicitur.

Prob. — Vel enim actus liber est quid additum essentiæ Dei, vel non.

Porro I[um] dici nequit cum Scotistis ; secus enim evanescerent statim Dei simplicitas et immutabilitas et ideo perfectio. — 1. Simplicitas : tunc enim duplici actu libero et necessario, creato et increato, intrinseco et extrinseco constaret Deus. — 2. Immutabilitas : nam opinio scotistica introducit in Deum *modos* accidentales, qui repugnant Dei immutabilitati. — 3. Igitur et summa perfectio, nam actum liberum non esse in Deo perfectionem affirmant, sed non probant Scotistæ.

Ergo restat II[um], quod sic explicatur et probatur.

A. — *Explicatur* exemplo libertatis in homine quæ tria implicat : facultatem activam eligendi, actum electivum et terminum aliquando extrinsecum. Porro non nuda facultas, sed actus vel terminus dicitur liber seu indifferens ad esse vel non esse. Hinc vera erit libertas : 1. etiamsi facultas sit necessaria, modo sit indifferens ad hunc aut alterum actum ; 2. etiamsi actus internus sit ab æterno, modo sit indifferens ad hunc vel alterum effectum extrinsecum. Porro libertatem Dei esse facultatem totaliter in actu, ab æterno et necessario, sed hunc actum esse necessario liberum seu indifferentem ad hunc vel illum terminum, ac proinde Deum *esse necessario liberum*, asserit sententia thomistica.

B. — *Probatur.* Hæc autem sententia potest et debet admitti.

1° *Potest.* Nam 1. — Respondet *notioni* quam de Deo habemus : in eo enim nulla est potentia, sed actus purus, qui eminenter continet multiplices actus voluntatis nostræ. — 2. Statuit *discrimen* inter voluntatem Dei et hominis : hic in potentia, ille in actu ; hic per actus distinctos, ille per unum actum vult quidquid vult : hic successive vult quod fit successive, ille semel ab æterno. Porro a Deo removere debemus omnes imperfectiones actus humani. 3. — *Attributis* Dei, nempe simplicitati et æternitati perfecte congruit, imprimis vero immutabilitati et libertati, quæ ita mire conciliantur.

2° *Debet,*— tum quia in Deo actus, non nuda facultas, debet esse subjectum libertatis, siquidem Deus est actus purus ; — tum quia vere et intrinsece Deus erit liber, modo terminus, nempe creatura, licet ab actu Dei necessario pendens, revera sit indifferens ad esse vel non esse.

Confirmatur, nam hæc sententia illustrat eminentem perfectionem Actus Puri, qui in sua simplicitate æquivalet actibus innumeris et compositis voluntatis nostræ, necnon se habet ad creaturas exteriores, sicut voluntas nostra ad actus suos internos.

Idcirco, voluntas Dei non mutatur, etiamsi mutationes fiant in rebus externis : nam, dicente S. Thoma, « aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest

enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium[1] » (n. 60).

§ IV. *De Dotibus divini amoris*[2].

93. Quænam sint præcipuæ *dotes* divini amoris ?

Jam ex dictis patet bonitatem et misericordiam, sanctitatem et justitiam esse positiva divinæ voluntatis attributa. Unde compendiose sit

THESIS

Mirabilis et ineffabilis est divinus amor.

Prob. — 1° Est nempe Deus amor *substantialis*. Nam sicut ejus intelligere est ejus esse, ita ejus amare et ejus velle sunt ejus esse. Amor igitur est esse divinum, et merito S. Joannes : « Deus charitas est[3] ».

2° Hinc est *immutabilis*, sicut esse divinum, nec unquam odio vel alii amori cedit locum, ut in homine evenit[4]. Sicut enim idem solis lumen et sanum recreat et ægrum lædit oculum, sic idem amor Dei et pios amplectitur et impios reprehendit : ipsi mutantur, non Ipse, ut ait S. Augustinus.

3° Est *efficacissimus* Dei amor : homo enim amat res, quia bonæ sunt ; Deus, ut eas bonas efficiat. Unde voluntas nostra non est causa bonitatis rerum et ab ea movetur, sicut ab objecto : sed amor Dei est largiens suam bonitatem creaturis[5].

4° Hinc est et *benevolentissimus* ob rationem in thesi allatam (n. 89). Revera Deus *nos* præ cæteris ad existentiam adduxit, res mundanas in ordine ad hominem creavit, nos diligit amore amicitiæ, sed et bonitatem suam diffundit in *omnes* creaturas, et quidquid est bonum, ei placet.

5° Sed *liberrimus* est : non enim omnia æqualiter amat, sed uni magis vult bonum quam alii, et cum ex eo aliqua aliis meliora sint, Deum meliora diligere dicendum est[6].

Hinc gratias ei solvere oportet, — hinc nosmetipsos in ordine ad Deum amare debemus. — hinc diligamus Deum quia ipse prior dilexit nos, — denique nobis placeat omne bonum semper et ubique in qualibet creatura, necnon omnibus bonum impugnantibus audacter resistamus[7].

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 7 ; — **Garrigou-Lagrange**, *Dieu*, p. 671.— 2. Cf. **S. Fransciscus Salesius**, *Traité de l'amour de Dieu*. — 3. *I Epist.*, IV, 16. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 7. — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 20, a. 1. — 6. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 20, a. 3 et 4. — 7. Cf. **S. Thomas**, op. 54 et 55.

ARTICULUS III.

De Omnipotentia Dei[1].

94. Quid et quotuplex sit *potentia* Dei ?

A. — Dei potentia definiri solet : *Principium in Deo activum intellectu et voluntate constans.*

Dicitur 1° *principium* essentialiter *activum* ; nempe, quum Deus sit purus actus et simpliciter et universaliter perfectus, nulla passivitas in Eo inveniri potest. Ideoque metaphorice tantum, dicitur Deus transire de potentia ad actum.

2° Est principium *intellectu et voluntate constans* ; id est principium, quo intellectus et voluntas effectus externos producunt. Hoc autem principium Deo competeret, sicut Artifici scientia artificiatorum, etiamsi nihil ageret ad extra. Unde omnipotentia pertinet ad vitam Dei ad intra, quam perficit.

Hinc potentia Dei non distinguitur, nisi distinctione rationis, ab intellectu et voluntate ; « in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit : quæ tria Deo secundum idem conveniunt[2] ».

B. — Celeberrima est divisio potentiæ divinæ in *absolutam* et *ordinariam*. Una est potentia Dei secundum se considerata seu potestas exequendi quidquid metaphysice non repugnat *soli* potentiæ, abstractione facta a cæteris attributis ; alia vero est potentia considerata secundum ea quæ voluntas absolute decrevit. Hinc prior respicit ea quæ potest Deus, prout omnipotentia fruitur : posterior ea quæ potest, inspectis suis omnibus attributis, speciatim sapientia et bonitate.

95. Utrum et quatenus potentia Dei sit *infinita* ?

A. — Est *infinita*, nam posse in Deo non differt ab intelligere et velle, sicut intelligere et velle non differunt ab esse ; sed essentia Dei est infinita ; ergo necesse est dicere potentiam Dei esse infinitam. — Non in eo sensu quod objectum hujus potentiæ sit ens infinitum, ut, duce Fichteo, pantheistæ recentes asserere non dubitant : videlicet Deus non producit seipsum, vi suæ potentiæ, nec seipsum causat et evolvit. — Sed in

1. **Farges**, *ibid.*, 390-393. — 2. *Sum. Theol.*, q. 25, a. 1, ad 4 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 8 ; — q. 19, a. 4.

eo sensu quod potentia Dei non limitatur ad ea quæ realiter fuerunt, vel sunt, vel erunt ; nam præter illa, Deus posset alia facere et majora ; posset etiam augere perfectionem, non essentialem, sed accidentalum, eorum quæ sunt facta.

B. — Vere ac proprie Dei potentia extenditur ad hæc omnia quæ sunt absolute *possibilia*. Revera posse sequitur esse ; sed esse Dei est illimitatum ; ergo Deus potest facere quidquid habet rationem essendi seu quidquid in se contradictionem non involvit : et in eo sensu dicitur omnipotens : « quia potest omnia absolute possibilia. Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute, ex habitudine (seu convenientia aut discrepantia) terminorum : possibile quidem absolute, quia prædicatum non repugnat subjecto ut Socratem sedere : impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum [1] ».

96. Hinc dupliciter *erraverunt* circa Dei omnipotentiam :

Nam, præter pantheistas, alii limitant, alii exaggerant Dei potentiam.

1° Alii *limitant*. Quidam enim, duce Leibnitzio, docent Deum non posse alia neque meliora ac illa quæ fecit. Alii, post Cousin, putant Deum agere necessario : unde juxta illos, nihil potest facere, nisi ea quæ facit. — Jamvero utraque sententia non solum libertatis verum etiam potentiæ Dei est eversiva ; potentiam enim divinam limitat ad ea quæ realiter existentiam sortiuntur. Porro Dei omnipotentia extenditur ad omnia possibilia, etiam infinita, etsi Deus infinita non faciat.

2° Alii *exaggerant*. Sic enim Ockam et Cartesius ratiocinantur : possibilia sunt ea quæ Deus potest aut vult facere : porro Deus omnia potest et omnia velle potest, cum sit omnipotens ; ergo Deo nihil est impossibile. — Sed contra : Deus non potest quidquid in se involvit contradictionem, nam contradictoria essentialiter sunt non-entia. Porro talibus chimæris Deus dare nequit esse, et hæc est perfectio, quod Deus absurda facere non possit. Unde « convenientius dicitur quod ea non possunt fieri, quam quod ea Deus non possit facere [2] ».

Hinc, inter alia, Deus totalitatem possibilium creare nequit. Potest quidem, ut aiunt, distributive sumpta, non autem collective sumpta illa creare. Revera possibilia sunt numero indefinita : sed absque contradictione nequit existere actu indefinitum, in cujus essentia includitur mera potentia incrementi. « Non ergo oportet quod manifestetur infinita potentia Dei in hoc quod producat effectum infinitum [3]. » Sic ergo, quidquid faciat potentia Dei, semper erit inexhausta.

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 19, a. 3. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 25, a. 3, c. — 3. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 25, a. 2, ad 2 ; — **Aristoteles**, *II Phys.*, c. 6.

Corollarium I^um : de Personalitate Dei.

97. Utrum et quotuplex sit in Deo *persona* ?

Jam, ex hucusque dictis, Deus est spiritus purus et subsistens : unde facilius erit hanc solvere quæstionem [1].

A. — Non desunt inter recentes, v. g. : Vacherot, Renan, Fouillée, qui Deum impersonalem propugnant, ne Deo tribuatur quod homini proprium esse reputant et ideo incurratur crimen anthropomorphismi [2]. Sed contra :

1° « Persona significat id quod est perfectissimum in tota natura [3] » : sc. subsistentiam seu ultimam perfectionem naturæ intelligentis (Ontol., n. 107). Ergo Deo convenit, et quidem excellentiori gradu, quamvis analogico modo, sicut et cæteræ perfectiones humanæ quæ Deo tribuuntur (n. 43).

2° *Fusius* : persona est substantia completa, incommunicabilis et intelligens. Porro Deus est — *substantia*, secus esset modus vel accidens naturæ ; — *completa*, secus non esset independens in esse et in operari ; — *incommunicabilis*, sive quia est infinitus, sive quia est immutabilis ; — denique *intelligens*, cum sit Ipse spiritus et creaturæ intelligentis creator, legislator et judex ; — ideoque non potest non esse conscius suæ personalitatis.

3° *Confirmatur* sensu religioso *populorum*, qui non solum Deo, sed rebus deificatis personalitatem falso tribuerunt : — vel e contra exemplo *philosophorum*, qui, negata personalitate Dei, in promptu sunt ut ad pantheismum idealem deveniant, sicut, v. g., Bergsonistæ qui loquuntur de « realitate impersonali » Dei tanquam de rebus abstractis, de vero, de pulchro, de arte, et de cæteris entibus rationis, et consequenter *sensum religiosum* — qui sine idea Dei personalis stare nequit — multiplicant quidem, sed revera omnio pervertunt.

B. — Utrum autem sit *Trinitas* in personis divinis, lumine rationis cognosci nequit, sed sola revelatione manifestari potest [4].

Corollarium II^um de summa Dei Beatitudine [5].

98. Deus est summe beatus, — imo omnium *beatitudo*.

A. — Est nempe beatitudo « *omnium rerum expetendarum*

1. **Farges**, *ibid.*, 376-404. — 2. Cf. **M. Hébert**, *La Personnalité divine*, in *Revue de Métaphys. et de Morale*, juill. 1902. — cui respondet **Mercier**, in *Revue néo-scolastique*, fév. 1903. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 29, a. 3. — 4. *Sum. Theol.*, p. I, q. 32, a. 1 ; q. 27 ; q. 35, a. 1-2 ; q. 47, a. 7 ; — **S. Augustinus**, *de Trinit.*, L. IV, c. 10 ; L. VII et seq. ; — **Suarez**, *de Trinit.*, L. I; — **Bossuet**, *4° Élévat.*, *11° Sermon.* — 5. **Farges**, *ibid.*, p. 393-395.

plenitudo » in natura intellectuali. — Seu fusius, beatitudo includit perfectionem absolutam, — cognitionem hujus perfectionis, — complacentiam in illius possessione, — exemptionem omnium malorum, sive præsentium, sive futurorum, — et dominium supremum in contingentia[1].

Jamvero patet Deum *esse summe beatum*[2]. Deus enim, quum sit infinitus, *plenitudinem* omnium perfectionum in se complectitur : — quum intelligere in Deo sit ipsum esse divinum, Deus seipsum adæquate comprehendit et omnia in seipso *cognoscit* ; — quum Ejus velle sit Ejus esse, vult seipsum essentialiter et *amat* ; — quum sit immutabilis, æternus, simplex, omnipotens, nihil amittere et *nullum malum* aut præsens, aut imminens formidare potest ; — quum ex dicendis (n. 110, 128), sit Creator et provisor universalis, supremum habet *dominium* in omnes creaturas. Ea vero constituunt summam beatitudinem ; ergo Deus est summe beatus : imo, jure dicitur ipsa Beatitudo.

B. — Deus est *beatitudo* cujuslibet naturæ intellectualis. Hæc enim beatitudo partialis non potest non esse nisi quædam participatio beatitudinis Dei ipsius, cum sit Deus summum bonum[3], et fons totius bonitatis. Et ideo *cor nostrum* inquietum est, donec requiescat in possessione Ejus (Eth., n. 12).

LIBER TERTIUS THEODICEÆ.

DE RELATIONIBUS DEI AD MUNDUM.

Omnes relationes Dei ad mundum possibiles, — quæ quidem sunt reales ex parte creaturarum tantum(Ontol.,n.128), — aut ad principium identitatis,aut ad principium causalitatis, a philosophis reductæ sunt. Pantheistæ identitatem asserunt ; Deistæ autem relationes causalitatis adulterant. Unde duplex erit quæstio : I° *De relatione identitatis*, contra Pantheistas ; II° *De relatione causalitatis*, contra Deistas.

1. **S. Augustinus**, *De Civit. Dei*, c. 1, 21. — 2. *Sum. Theol.*, q. 26, a. 1, 2, 3, — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 26, a. 2, a. 4.

CAPUT PRIMUM.

DE RELATIONE IDENTITATIS.

Falsam identitatem inter Deum et mundum seu errorem pantheisticum, *exponere* et ex dictis *confutare* juvat in duplici articulo [1].

ARTICULUS I.

Expositio Pantheismi [2].

99. Quid dicendum sit de *pantheismo* in universum ?

A. — *Notio.* Deus nihil est, juxta atheos ; e contra, secundum pantheistas, Deus est omnia ; exinde, vox *pantheismus* (θεὸς et πᾶν) usurpata fuit ad designandum systema eorum qui putant *universitatem rerum a Deo realiter non distingui*, id est omnia, etiam opposita, concurrere ad *unicam substantiam* generalem constituendam ; quam ob causam Pantheismus vocatur etiam *monismus.*

B. — *Formæ* pantheismi pene sunt innumeræ : quæ tamen ad quatuor præcipuas revocari possunt [3].

1. Nonnulli enim dogma creationis *e nihilo* impugnantes, dixerunt res finitas e divina substantia emanasse : et hic est pantheismus *emanationis* seu *evolutionis transeuntis.*

2. Alii vero, inter quos Spinoza, contenderunt unam eamdemque esse substantiam, cujus *formæ* seu attributa sunt cogitatio et extensio ; et talis est pantheismus *formalis.*

3. Multi docuerunt omnia esse manifestationem et evolutionem Entis absoluti ; en pantheismus *evolutionis immanentis.*

4. Aliqui tandem dixerunt Deum esse quasi indefinitum et indeterminatum ; at sese determinando et perficiendo rerum universitatem constituere : en pantheismus *progressus infiniti* [4].

C. — *Divisio.* Rursus autem, hæc quatuor pantheismi formæ revocari possunt ad duas *species* generales ; unde duplex est pantheismus : unus absolutus, alter mitigatus.

1. Cf. **Farges**, *ibid.*, p. 405-437 ; — **Balmès**, *Philos. fond.* ; — **Caro**, *L'idée de Dieu* ; — **Lévêque**, *La science de l'Invisible.* — 2. **Farges**, *ibid.*, p. 407-416. — 3. **Card. Pie**, episc. Pictaviensis, *Instruct. synod.*, VII, p. 206 ; — Cf. *Concile d'Agen*, 1859, tom. I, c. 1. — 4. *Conc. Vat.*, Const. *de Fide*, can. I, n. 3 et 4.

Pantheismus *absolutus* est error eorum qui contendunt omnia, sive materialia sive spiritualia, reapse non distingui ab Ente absoluto. Ille pantheismus est duplex : unus *realis* et naturalisticus, alter vero *idealis*, prout realitas divina absorbetur in rebus naturæ, quarum est mera abstractio, vel e contra realitates mundanæ evanescunt in Ente divino, cujus dicuntur esse quasi cogitationes.

Pantheismi *mitigati* seu emanastismi fautores, Deum ab universitate rerum secernere quidem nituntur ; sed frustra, nam, creationis dogmate rejecto, substantia mundana a substantia divina non distinguitur, nisi modaliter.

100. I° Quid de pantheismo mitigato seu *emanatismo* ?

Emanatismi vestigia reperimus apud Indos et Persas [1]. Gnostici vero, et præcipue Valentinus, sæculo II°, pantheismum ejusmodi expresse docuerunt. Juxta eos, in principio, ens unicum erat, cui nomen Abyssus — cætera omnia ex abysso per emanationem prodierunt ; — Abyssus tandem, mediante principio secundario seu Demiurgo, mundum produxit.

Postea autem Scotus Erigena, sæculo IX° [2], Amalricus Carnutensis et David a Dinando, sæculo XII° ; Jordanus Bruno, sæculo XVI°, et quidem alii pantheismum mitigatum professi sunt.

Ætate præsenti, scholam *eclecticam* et recentius fautores *novæ* philosophiæ, a nota pantheismi, saltem mitigati, vix purgare possemus. Imprimis Cousin non semel asseruit Deum esse omnia, finitum et infinitum, unitatem et pluralitatem, tempus et spatium, essentiam et vitam. « Si Dieu n'est pas tout, il n'est rien [3]. » Aliunde, creationem e nihilo aperte rejecit, dicens : « Il faut abandonner la définition que *créer*, c'est tirer du *néant* [4]. » Itemque, Saisset, Jouffroy, Janet, Ravaisson, sed et alii non pauci, v. g., Le Roy qui ambigue saltem loquuntur de creatione *ex nihilo* (Cosmol., n. 19). Attamen præfati auctores pantheismum absolutum enixe respuunt ; sed, rejecto dogmate creationis e nihilo, ab emanatismi labe penitus expurgari logice non possunt.

101. II° Quid de pantheismo absoluto *reali* ?

Hunc pantheismum naturalisticum aperte professus est Heraclitus ; quem postea secuti sunt Zenon et Epictetus apud Græcos ; Seneca, Cato, Marcus Aurelius apud Romanos. Juxta eos :

1. **Gonzalez**, *Hist. de la philos.*, t. I, p. 20 et 70. — 2. Cf. Op. *de Divisione Naturæ.* — 3. **Cousin**, *Frag. Philos.*, t. 1, p. 76. — 4. *Introduc. à l'Hist. de la Phil.*, Leç. v, p. 163.

« Quid aliud est natura, quam Deus ? » ; Deus vero anima est mundi : πνεῦμα seu πῦρ τεχνικόν.

Eumdem errorem, sæculo XVII°, renovavit ac perfecit vir luctuosæ celebritatis, nomine Baruch Spinoza, qui, rejecto judaismo, nullam ultimo religionem est amplexus. Hic enim proficiscitur a definitione cartesiana substantiæ : « Est ens quod alia re non indiget ad existendum » ; exinde, methodo Cartesii imbutus, deducit pantheismum qui materialismum et atheismum redolet. Ejus systema tribus iis propositionibus exprimitur : 1. Unica est substantia ; 2. Duo sunt illius substantiæ attributa, cogitatio sc. et extensio ; 3. Substantia ista, quæ dicitur Deus, est infinita.

Juxta Spinozam, substantia infinita non distinguitur nisi modaliter a *natura* ; quapropter eam vocat « *naturam naturantem* », illiusque modificationes, quæ quidem necessario producuntur, appellat « *naturam naturatam* » ; et sic materialismo, atheismo necnon fatalismo præbet ansam [1].

102. III° Quid de pantheismo absoluto *ideali* ?

Pantheismus *absolutus idealis*, qui « absurditatis culmen attingit », viguit olim et etiam nunc viget apud Indos [2] ; nam in libris quos nominamus *Vedas*, ea legere est : *Brahma* solus existit ; cætera non sunt nisi meræ illusiones ; Brahma autem est æternus, purus et illimitatus.

Item, apud Græcos, nonnulli e schola Eleatensi, præcipue Xenophanes et Parmenides, ea docuerunt : *Ens* existit ab æterno, cæteraque omnia non sunt nisi phænomena sine realitate. Aliunde Ens a cogitatione non differt : *quod enim cogitat* et *quod cogitatur*, *unum et idem est*.

Præterea, Neoplatonici, tria de Ente supremo tenuerunt, scilicet :

1° Nihil existit præter ideas, quin etiam omnes ideæ in idea universalissima Entis, tanquam in *unitate absoluta* resolvuntur.

2° Ab *unitate* absoluta defluit *intelligentia suprema* : ex qua iterum *anima universalis*, cum toto orbe qui non est realis, sed apparens.

3° Quum hæc evolutio (πρόοδος, processio) non sit progressus, sed e contra imminutio entis, omnia, post aliquod tempus, in unitate et perfectione primitiva resorberi debent, per extasim (ἔκστασις) et per absorptionem mysticam (ἕνωσις) [3].

1. **Tenneman**, *Hist. de la Phil.*, t. II, p. 104. — 2. **Lenormant**, *Manuel d'Hist. ancienne de l'Orient* ; — **Gonzalez**, *Hist. de la Philos.*, tom. I, p. 28. — 3. **Vacherot**, *Métaph. et Science*, tom. III, p. 459 ; — Cf. **Brin**, *Hist. gén. de la Philos.*, I, p. 159-160 ; — **Janet et Séailles**, *Hist. de la Philos.*, p. 817 ; — **Gonzalez**, *Hist. de la Philos.*, t. I, p. 498.

103. Quid de pantheismo transcendentali *Germanorum* [1] ?

Apud recentiores, Kantius, licet fortisan invitus, latissimam pantheismo viam aperuit : etenim, ille philosophus *realitatem objectivam* cognitionum rationis puræ in dubium revocavit ; deinde, ut scepticismum fugeret, existentiam Dei petiit a notione *officii*, quam nobis suppeditat ratio practica. Illius vero discipuli argumentum a ratione practica desumptum rejecerunt ; et deinceps, ut gurgitem scepticismi vitarent, aperte docuerunt subjectum cogitans et objectum cogitatum esse *unum* et *idem* : quod cum pantheismo perfecte quadrat.

Tres discipuli Kantii specialem merentur mentionem, scilicet :

A. — *Imprimis* Fichteus asseruit cogitationis *objectum* non esse distinctum a *subjecto*, quod vocatur τὸ ἐγώ *cogitans* ; ideoque, præter ἐγώ, nihil existit, et omnia sive spiritualia, sive materialia, Deus, anima, mundus, non sunt nisi modificationes, formæ, determinationes, vel, ut aiunt, exteriorisationes hujus subjecti. — Τὸ ἐγώ, primo quidem, ope cogitationis, seipsum ponit et producit, hoc judicium ennutians : ἐγώ sum ἐγώ. — Sed in hac evolutione, τὸ ἐγώ quemdam obicem invenit, et esse limitat novum judicium enuntians, id est τὸ ἐγώ non est τὸ *non*-ἐγώ. — Mox autem apprime dignoscit τὸ ἐγώ cogitans cum τὸ *non*-ἐγώ identificari : scilicet τὸ *non*-ἐγώ non est nisi pars illa subjecti quæ adhuc inconscia remanet. Hinc tria evolutionis nomenta : *thèse*, *antithèse*, *synthèse*.

En Idealismus *subjectivus* seu *egoismus* transcendentalis.

B. — E contrario, Schelling, ut identitatem inter subjectum et objectum institueret, asseruit omnia non in τὸ ἐγώ, sed in ipsammet *identitatem absolutam* resolvi : « L'absolu, inquit, n'est ni infini ni fini, ni être ni connaître, ni sujet ni objet : c'est ce en quoi se confondent et disparaissent toute opposition, toute diversité, toute séparation, comme celle de sujet et d'objet, de savoir et d'être, d'esprit et de nature, d'idéal et de réel ; c'est donc indivisiblement l'être et le savoir absolus, ou l'essence collective de tout. C'est l'absolue *identité* de l'idéal et du réel ; l'absolue indifférence du différent, de l'unité et de la pluralité ; c'est l'*un* qui est en même temps tout [2]. »

Ens autem illud absolutum, vi suæ activitatis, seipsum manifestat, extra seipsum egrediendo, *quasi per saltum* (chute), et duplicem ordinem producit, unum realem (mundum) et alterum idealem (cogitationem) : utrumque tamen revocatur ad identitatem perfectam.

Pantheismus ille merito dicitur *objectivismus* idealis, systema *identitatis* absolutæ aut etiam *naturalismus* transcendentalis.

C. — Hegel, alia via procedens, ad eumdem scopum pervenit ;

1. Cf. **Gonzalez**, *ibid.*, t. IV, p. 5 et suiv. — 2. Cf. **Gonzalez**, *ibid.* ; — vel *Archives philos. de Fischhaber.*

nam, juxta illum, subjectum et objectum identificantur non in realitate psychologica, seu in τῷ ἐγώ, ut aiebat Fichteus ; neque in realite ontologica seu in absoluto, ut excogitaverat Schelling, sed in ente mere possibili seu *idea logica*. Ea quæ scripsit ille philosophus de *Deo Idea* reduci possunt ad quatuor principia.

Primum : Ordo logicus et ordo ontologicus sunt unum et idem, seu ordo cognitionis rerum est idem ac ordo productionis rerum. Unde idea entis logica est principium primum naturæ simul et logicæ. Imo logica et natura identificantur : « Quidquid est rationale est reale et quidquid est reale est etiam rationale [1]. »

Secundum : Idea absoluta non est finita nec infinita, non est singularis nec universalis. Imo, Idea non est magis ens quam nihilum ; nam in ea, omnia, etiam verum et falsum, bonum et malum, ens et nihilum identificantur. Unde vocatur « ens-nihilum ».

Tertium : « *Ens-Nihilum* » est etiam « τὸ *Fieri* absolutum » ; « il est le perpétuel *Devenir* ». Propterea, « *Deus est in fieri* » ; quæ formula, a modernistis approbata, compendium est hegeliani delirii.

Quartum : « Ratione *progressus* et vi suæ activitatis, τὸ *Fieri* sese determinat, *extra seipsum egrediens*, suique manifestatione constituit universa, seu triplicem ordinem : *logicum*, *naturalem* et *intellectualem* [2].

104. IV° Quid de pantheismo *evolutionistarum* Gallorum ?

Hegelii pantheismus a nonnulis recoctus est apud Gallos hodiernos. Inter quos eminent Renan, Taine, Vacherot, Bergson, Le Roy, necnon progressistæ et modernistæ. Jamvero ii philosophi late interpretantur Germanorum dogmata, quorum obscuritas Gallorum ingenio satisfacere nequit, et quasi medium tenent inter Hegelium et Spinozam.

Nam, ex una parte, cum Hegelio asserunt Deum esse « la catégorie de l'idéal, c'est-à-dire la forme sous laquelle nous concevons l'idéal [3] » ; ex alia parte, cum Spinoza, Deum vocant « la totale existence ». « L'infini, ait Vacherot, est réel, il est vivant dans l'univers, dans le monde de la nature et de l'esprit [4]. » — Et Renan : « Dieu est immanent non seulement dans l'ensemble de l'univers, mais dans chacun des êtres qui le composent. Seulement il ne se connaît pas également dans tous... Voilà la thèse fondamentale de notre théologie ! » — Verumtamen, nec pantheistæ, nec athei nuncupari volunt. Non athei, quia mundus est realitas Dei ; non pantheistæ, quia Deus est idea mundi, ac proinde cum mundo non identificatur. Juxta eos : « Dieu n'existe pas, il devient, il se fait. Dieu sera peut-être un jour. C'est le Dieu-progrès. »

1. **Tennemann**, *op. cit.*, t. II, p. 348. — 2. *Ibid.*, p. 347. — 3. **Renan**, *Revue des Deux-Mondes*, 1863. — 4. Suam mitigavit opinionem **D. Vacherot**, in ultimo opere, *Le nouveau Spiritualisme* ; — Cf. **d'Hulst**, *Mélanges phil.*, p. 433 ; — **E. Blanc**, *Un Spiritualisme sans Dieu* ; — **Bergson**, *L'évolution créatrice*.

ARTICULUS II.

Confutatio Pantheismi.

105. Quomodo *confutetur* pantheismus ?

Sicut atheismus eo ipso evertitur quod quinque viis seu argumentis Angelici Deum esse probatur, ita pantheismus confutatus manet eo ipso quod Ipsum Deum esse absolute simplicem et immutabilem omnino demonstratur. Quia tamen pantheismus est pessimus et subtilis error, quem solo contemptu, ut quidam volunt, prosequi non sufficit, sit

THESIS

Pantheismus in genere, tum absolutus tum mitigatus, est falsus et perniciosus.

Probatur quadruplici ex parte : — directe ex *conscientia et ratione*, — indirecte ex *lugendis pantheismi* consectariis, — item ex *crisi systematum*, — denique *solutione difficultatum*.

I. — Imprimis pantheismus *conscientiæ* et *rationi* repugnat [1].

A. — Uniuscujusque et omnium hominum *conscientia* pantheismum respuit. — *a*) Ecquis sanæ mentis putaret *se esse Deum*, sc. ens necessarium, æternum, independens, immutabile et summe perfectum ? Nonne e contra seipsum sentit morbis et miseriis obnoxium, nec vitæ suæ nec mortis dominum ? An nescit infinitum esse omnium perfectionum cumulum, nedum boni et mali aggregatio stupenda esse possit ? — *b*) Ecquis putaret se non *distinctum* a rebus naturæ, vel ab aliis hominibus, eamdemque esse personam omnium ? Hoc profecto credere nemo potest, nisi conscientiæ testimonium simul et claritatem evidentiæ rejiciat :

« Suis-je moins intimement, moins nécessairement, moins évidemment convaincu que moi et un autre homme, ou si vous voulez qu'une roche et mon âme ne sont pas la même substance, que je suis convaincu que trois et quatre ne font pas le même nombre [2] ? »

B. — Pantheistæ diruunt duo *principia* fundamentalia.

Imprimis principium *contradictionis* ; nam, si Deus et mundus sunt substantialiter unum et idem, jam unum et idem est simul ens contingens et non contingens, ab alio et non ab alio, finitum et infinitum, perfectum et imperfectum,

1. **Farges**, *ibid.*, p. 416-420. — 2. **Buffier**, *Expos. des Preuves de la rel.*, n. 28.

bonum et malum, relativum et absolutum, etc... ; jamque τό ἐγώ cum τῷ non ἐγώ, spiritus cum materia identificantur.

Sed etiam principium *causalitatis* : hoc enim sibi vult principium causalitatis, non dari effectum sine causa, nihil causare semetipsum, nec dari effectum causa majorem. Porro, si Deus et mundus sunt eadem entitas, habetur effectus sine causa, id est, ens ab alio sine ente a se, item Deus creando causat seipsum, denique fit major seipsum evolvendo per additionem novæ entitatis : « Dieu est en train de se faire. » — Hoc a fortiori, si mera Potentia seu Idea abstracta, qua nihil est imperfectius, causa esset Naturæ, ita ut ex imperfecto perfectum, ex indeterminato determinatum, ex Potentia Actus, ex minori majus hauriretur : tunc enim habetur potentia sine actu qui illam ad actum reducat. Ergo a pantheistis evertitur principium causalitatis, sicut et contradictionis.

106. II. — Quænam sint pantheismi lugenda *consectaria* ?

Duo sunt, unum *ex parte Dei*, alterum *ex parte hominis*.

A. — Pervertit *naturam Dei*, unde ad *atheismum* propellit. Revera pantheismi fautores vel Deum a rerum universitate non distinguunt, vel, ut Germani, fatentur non esse nisi « categoriam idealis ». — Si prius, cum in rerum universitate limites, mutatio, compositio, multiplicitas inveniantur, pantheistæ infinitatem, immutabilitatem, simplicitatem et unitatem Dei, quæ sunt ejus attributa essentialia, negare debent. — Si posterius, Deus fit idealis, extra mentem non existens, et ideo pantheismus est negatio Dei ad minus indirecta seu atheismus mere « fucatus » ; « c'est l'athéisme, plus un mensonge [1]. » — Hoc autem posito, nulla superest religio vera, sed vel idololatria et fetichismus, si Deus cum natura confunditur, vel illuminismus et spiritismus, si res mundanæ in Deo resorberi debent.

B. — Pervertit *naturam hominis*, et sic evertit *principia morum*. Si enim unica sit substantia seu unicum principium operationis, sc. Deus, perit in homine propria activitas ; perit et libertas, quæ est humanæ activitatis modus ; perit et humana

1. Gratry, *Connaissance de Dieu* ; — Cf. Am. de Margerie, *Théodicée*, t. II, c. 5 et 6.

cujusque personalitas. — Hinc notiones *libertatis*, juris et officii, vitii et virtutis, justi et injusti, imputabilitatis, mercedis et pœnæ concipi nequeunt ; et idcirco morum fundamenta diruuntur, ipso Vacherot fatente : « C'est tout diviniser, le mal comme le bien, et tout absoudre » : vincit *amoralismus*.

« Tout ce qu'un être fait d'après les lois de sa nature, il le fait à bon droit, puisqu'il ne peut agir autrement... Donc, quiconque est censé vivre sous le seul empire de sa nature a droit absolu de convoiter tout ce qu'il juge utile, qu'il soit porté à ce désir par la saine raison ou par la violence des passions ; il a le droit de se l'approprier de toute manière, par force ou par ruse : par conséquent de tenir pour ennemi celui qui veut l'empêcher de satisfaire ses désirs [1]. »

Hæc autem non solum *theoretice*, sed etiam *practice*, nam, v. g., pantheistæ Saint-Simon, Fourier et Leroux in Gallia, Gulielmus Marr in Helvetia [2], Ferrari et Franchi in Italia, *socialismum* et *communismum* e pantheismo deduxerunt.

107. III. — Quid de *crisi* singulorum systematum [3] ?

His dictis in universum, si nunc præcipua pantheismi systemata examini subdantur, *methodo aprioristica* construi et inde hypothesibus mere gratuitis inniti facile demonstrantur. Porro quod gratis asseritur, gratis etiam negari potest.

A. — Imprimis et *emanatismus*. — Mundus enim ortus est vel per *divisionem* substantiæ divinæ, vel per *seriem* processionum, vel per *saltum* exteriorem Absoluti.

Primum asserunt antiquiores emanatistæ, juxta quos sicut tela e sinu araneæ, rivulus e fonte, lumen e sole, ita mundus e sinu Dei egressus est. — Sed quomodo substantia divina dividi possit ? Vel cur partes decisæ jam non sint necessariæ, vel necessariæ sint simul et contingentes ?

Secundum dicunt Neoplatonici et Gnostici, qui demiurgos, alii tres, alii triginta, alii trecentos (Plérome des Eons) ponunt inter Deum et mundum, finitum et Infinitum. — Sed cui bono tot intermedia entia ? Hiatus inter terminos, quos identificare vellent, remanet infinitus.

Tertium posuerunt Fichteus et Schelling, juxta quos τὸ ἐγώ exteriorisatur, seu per saltum ex seipso egreditur. — Quibus egregie respondet P. Janet : « Comment comprendre que

1. Spinoza, *Tract. Ethic. Theol. politic.* — 2. Cf. E. Naville, *Le Père céleste*, p. 121. — 3. Farges, *Ibid.*, 423-431.

Dieu se révolte ainsi contre lui-même et qu'une partie de son être aspire à vivre d'une vie indépendante, et à jouer un faux absolu, au lieu de rester uni au véritable dont il est partie essentielle ! Et en quoi ces rêveries sont-elles plus claires que le dogme de la création[1] ? »

B. — Similiter *pantheismus realis.* — Vel enim cum Stoicis mundus dicitur divinum animal, vel cum Spinoza unica substantia duplici attributo prædita. Porro prior hypothesis non solum est gratuita, sed etiam mundum esse necessarium et infinitum gratis asserit ; posterior autem proficiscitur ab arbitraria substantiæ notione, siquidem Spinoza per substantiam nihil intelligere videtur nisi ens a se, non ab alio : sed præterquam quod talis definitio est mera petitio principii (Cf. Ontol., n. 97), satis patet notionem aseitatis a notione substantialitatis omnino distinctam esse. Sic, v. g., filius, quamvis sit substantia, non est a se, sed a alio, sc. a patre.

C. — A fortiori *pantheismus idealis.* — Hæc enim Fichteus gratis asserit : « nihil cognosci potest, nisi idem sit ac subjectum cognoscens, — τὸ non-ἐγώ seu Mundus cum τῷ ἐγώ identificatur, — τὸ ἐγώ seipsum creat, — creat τὸ non-ἐγώ, — conscius est se esse Infinitum simul et finitum. »

Schelling etiam hæc gratis affirmat : « Absolutum solum existit, — est nec finitum nec infinitum, — cujus existentiam sua cuique testatur conscientia...»

Denique Hegel alia gratis asserit : « ordo logicus est idem ac ordo ontologicus » ; seu « ordo cognitionis rerum est idem ac ordo productionis rerum ». Unde « Idea entis abstracta seu logica est causa prima seu est Deus-idea. » — Deus igitur cum sit mera abstractio, mera possibilitas seu merum nihilum entis, causa omnium realitatum esse nequit.

D. — Denique non minus a priori loquuntur *Vacherot* et *Renan.* Hic enim gratis affirmat Deum in omnibus esse et seipsum cognoscere, sed et mentitur, asserendo hominem suæ divinitatis esse conscium. — Ille vero, sicut ipse Taine, cum dicit Deum esse Ideam creatricem seu *axioma æternum,* ex quo procedunt omnia, reapse verbis illuditur[2] (n. 61). — Cum eis consonat D. Bergson cujus *Evolutio creatrix,* cum

1. *Hist. de la phil.*, p. 875. — 2. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 430.

sit motus sine movente et sine re mota, nihil aliud creans nisi seipsam, miræ imaginationis est figmentum [1].

108. IV. Quæ sit difficultas ex *coexistentia* finiti et infiniti [2] ? Sic argumentari solent pantheistæ, duce Parmenide : E nihilo nihil fit ; ergo quidquid existit est evolutio vel emanatio substantiæ Dei.

Resp. Jam semel et iterum (Cosmol., n. 18, 21) ea difficultas hoc modo soluta est : *Dist. ant.* : ex nihilo, tanquam e causa materiali, nihil fit, *conc.* ; ex nihilo, id est, nulla materia præeunte, *subdist.* : nihil fit, virtute causæ *finitæ*, *conc.* ; virtute causæ efficientis *infinitæ*, *nego.*

Inst. 1ª — Ens infinitum est omnia, vel nihil est : Deus igitur omnia complecti debet, vel non existit (Cf. n. 53).

Resp. *Dist. ant.* : Ens infinitum est omnia, scilicet *plenitudinem* perfectionis involvit, *conc.* ; *universalitatem* rerum in se continet, *neg.* Hinc *dist. cons.* : Deus omnia complectitur, eminenter et excellenti modo, *conc.* ; formaliter et numerice, *nego.* Deus enim dicitur intensive infinitus, quia omnes perfectiones sine limite possidet : ea autem infinitas nequaquam designat illud monstrum, quod esset, in sensu pantheistarum, extensiva et numerica complexio finiti et infiniti, spiritus et materiæ, boni et mali, virtutis et vitii.

Inst. 2ª — Infinitum augeri nequit ; sed substantia infinita, quæ differret a rebus mundanis, posset augeri, videlicet additione finiti ; necesse est igitur ut una et eadem substantia sit in omnibus.

Resp. *Nego min.* Substantia enim infinita nullo modo augetur additione entis creati, quia Deus, cum sit causa omnium, jam habet in se quidquid perfectionis creaturis communicavit. Ideo, creatione semel effecta, *plura* sunt *entia*, sed non est *plus entis* (infra, n. 110-B. 2°).

Inst. 3ª — Atqui substantia infinita, immensa, immutabilis, alia entia secum admittere nequit. Ergo remanet difficultas.

Resp. Existentia Entis infiniti simul et entis finiti non potest perfecte explicari, *transeat* ; est contradictoria, *nego* : quod sufficit, nam, ut evidens est, et secundum effatum in scholis pervulgatum, clara non sunt neganda propter obscura, nec obscura mutanda pro absurdis. — Dixi : *transeat*, nam facile concipitur ens participatum nihil addere nec auferre enti primo et infinito, cum non sint ejusdem generis nec additiva ; ac proinde nihil obstat quominus Infinitum et finitum simul existere possint. Sic, v. g., scientia discipulorum a magistro recepta, nec auget nec minuit magistri scientiam.

1. **Farges**, *Theorie fond.*, p. 88-94 ; 192-200 ; — *La Philosophie de M. Bergson*, p. 29 et 261-273. — 2. **Farges**, *Ibid.*, p. 431 et suiv. ; — **Suarez**, *De Deo, loc. cit.*, n. 8 ; — **Am. de Margerie**, *Théodicée*, c. x.

CAPUT SECUNDUM.

DE RELATIONE CAUSALITATIS.

Est Deus causa prima, scilicet dat et servat esse creaturarum : inde *creatio* et *conservatio* ; earumque operationes præmovet et dirigit ad finem : inde *concursus* et *providentia* ; de quibus agetur in quatuor articulis.

ARTICULUS I.

De Creatione[1].

109. Sub *quotuplici ratione* Deus sit creator mundi ?

Deus sub triplici ratione habetur ut Conditor omnium ; nempe, dici potest causa *efficiens*, causa *exemplaris* et causa *finalis* earum rerum, quibus conflatur orbis universus.

1º Deus est *causa efficiens* omnium. — Hinc : *a*) apparet unitas in origine totius universi ; *b*) manifestatur omnipotentia Creantis ; *c*) e qua deducitur absoluta dependentia creaturæ.

2º Deus est *causa exemplaris* omnium. — Hinc : *a*) splendet mirabilis unitas in executione rerum ; *b*) manifestatur sapientia divini Artificis in suo opere ; *c*) cujus contemplatione mens humana ad cognitionem Dei assurgere debet.

3º Deus est *causa finalis* omnium. — Unde : *a*) patet unitas in fine rerum ; *b*) manifestatur Dei infinita bonitas, quæ omnia disponens ad seipsam, sese diffundere vult in omnes creaturas ; *c*) e qua bonitate oritur præceptum redamandi Deum et omnia propter Eum diligendi.

Ideoque in creatione triplicem *causalitatem* (efficientem, exemplarem et finalem) reperimus ; et ideo — triplicem *unitatem* (originis, executionis et finis) ; — triplicem *manifestationem* (potentiæ, sapientiæ et bonitatis divinæ) ; — triplicem denique *consequentiam* moralem (creaturam sc. suo creatori subjici eumque cognoscere et amare debere).

§ I. *De causa Efficiente creationis.*

110. Utrum et quatenus Deus sit *causas efficiens* omnium[2] ?

A. — Deum esse creatorem omnium, jam in Cosmologia

1. **Farges**, *ibid.*, p. 438 et suiv. — 2. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 45, a. 2.

(n. 17-21), ex natura mundi, demonstratum est : nunc ex dictis de natura Dei, adhuc clarius illustratur et confirmatur.

Etenim si mundus ex nihilo non fuit creatus, vel est *improductus*, vel est *emanatio* e substantia divina. Porro neutrum dici potest :

Non Ium, nam si materia esset improducta, jam Deus non esset independens neque in suo esse, neque in suo operari. *a*) In suo *esse* limitaretur ab alio ente necessario et a se ; et inde non esset infinitus, non esset ipsum esse, nec actus purus ; — *b*) In suis *operibus* a materiæ quantitate et qualitate penderet atque limitaretur, tanquam vulgaris opifex, et inde regeret tantum esse hoc, esse tale, non esse simpliciter ; — *c*) In utroque casu vinceret *dualismus* (n. 69).

Non IIum, nam si mundus esset emanatio aut evolutio substantiæ Dei, ens divinum nec omnino simplex, necessarium et immutabile dici posset, vinceretque *pantheismus* (n. 105).

Ergo a Deo procedere potuit nonnisi per creationem [1] : de qua nunc quæritur an sit actio æterna et perficiens Deum, an infinita et incommunicabilis, an libera.

B. — Porro 1º Actio creatrix in Deo spectata est immutabilis et æterna, nam significat actionem divinam, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam ; sed relatio ad creaturam non est in Deo realis, sed secundum *rationem* tantum [2] ; unde creatio non supponit novam entitatem aut aliquam mutationem ex parte Dei. — Ast non ita in creatura, quæ secundum totam entitatem suam accepit esse a Deo et ideo *realem* habet relationem ad Illum (Cf. Ontol., n. 128).

2º Quapropter, Deus non est ditior, neque beatior, post creationem ; non enim habet plus entis, veritatis et bonitatis, etsi plura sint entia vera et bona. Nempe post creationem existunt entia a Deo realiter distincta ; sed perfectiones entium illorum jam erant in Deo eminentissime et absolute, ita ut ex earum additione non aucta fuit perfectio divina.

111. Utrum creatio sit *solius Dei* seu potentiæ infinitæ [3] ?

Creatura esse posset causa *principalis* vel tantum *instrumentalis* creationis (Ontol., n. 161). Porro

A. — Juxta communissimam sententiam, virtus creativa, ut causa *principalis*, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose, ulli creaturæ etiam perfectissimæ, est communicabilis : contra Durandum [4].

Prob. — Virtus infinita communicari nequit : atqui virtus

1. **Thesis Thomistica XXIVa.** — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 45, a. 3, ad 1. — 3. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 5. — 4. **Thesis Thomistica XXIVa.**

creatrix est infinita ; ergo etiam miraculose communicari nequit.

Suadetur minor, quia ad creandum requiritur virtus sine proportione *major* quam ad informandum : nam inter agentem et difficultatem superandam proportio esset debet. — *Probatur* autem, quia ad superandam difficultatem *infinitam* seu distantiam infinitam inter duos terminos, requiritur virtus infinita ; jamvero inter esse, quod per creationem recipitur, et nihilum creationem antecedens, distantia reperitur infinita.

Præterea S. Thomas duas attulit rationes quæ Scoto minime placuerunt, nempe ex eminentia 1° *esse* creati, 2° *vis* creatricis.

Revera effectus universalior ac nobilior a Prima Causa, cujus essentia est, ipsum esse, produci debet. Sed creatio est effectus universalior et nobilior ; universalior quidem, non enim ad hoc vel tale esse in particulari, sed ad *esse* simpliciter et in universum extenditur ; nobilior etiam, nam est productio entis in se, non in alio subsistentis. Ergo creatio a Prima causa produci debet.

Rursus, quando duo sunt extrema inter se sic se habentia, ut, uno decrescente, alterum crescit proportionaliter, si unum ponitur minui usque ad *non gradum* (seu ad gradum *non-entis*), suum compar crescit supra omnem gradum (id est *in infinitum*). Sed, in creatione facienda, diminutio termini est usque ad *nonens* seu nihilum. Ergo vis creatrix augeri debet usque in infinitum seu ad Ens infinitum pertingit [1].

B. — *Communius* docent — contra P. Lombardum et Suarezium[1] — creaturam nec etiam esse posse *instrumentalem* causam creationis. — Cujus enim officium est per actionem propriam agere dispositive ad effectum principalem ; sed in creatione inter nihilum et ens non datur medium ; ergo ad creandum nec dispositio producenda requiritur, nec actio proprie instrumentalis, nec igitur causa instrumentalis utilis est.

112. Utrum creatio fuerit ex *libera* Dei voluntate ?

Qui inter rationalistas creationis nomen retinent, eamdem esse necessariam fere omnes contendunt, Ita, v. g., Em. Saisset et Cousin : « Dieu, s'il est une cause, peut créer, et s'il est une cause absolue, il ne peut pas ne pas créer [2]. » Quibuscum annumerari debet Leibnitzius, in eumdem errorem, principio rationis sufficientis invite prolapsus, et recenter Vacherot, qui creationem a vita Dei non distinguit [3]. Unde sit

1. Cf. **Suarez**, *Disp. Metaphys.*, XX, sect. II ; — **S. Athanasius**, *Serm.* III, contra Arianos. — 2. *Introduct. à l'hist. de la Philos.*, p. 144. — 3. **Vacherot**, *Le nouveau Spiritualisme*, p. 335.

THESIS

Nulla est in Deo creandi necessitas [1].

Prob. — Si qua enim esset creandi necessitas, hæc vel ex parte rerum mundanarum vel ex parte Dei oriretur. Atqui neutrum dici potest. — Non 1um, nam res mundanæ per se sunt possibiles et contingentes ; sed res possibiles sunt indifferentes ad esse vel non esse : id enim quod non est necessarium potuisset non esse, nec ullum jus habet ad existentiam ; ergo res mundanas Deus potuit creare vel non creare, et has vel illas præ cæteris ad existentiam adducere.

Non 2um, nam Ens summe perfectum et beatum non fertur ex necessitate in ea quæ perfectionem et beatitudinem ejus augere nequeunt. Atqui Deus est summe perfectus, ad cujus perfectionem alia non sunt necessaria, et cujus beatitudo nec augeri nec minui potest. Ergo Deo nulla est creandi necessitas.

Confirmatur, nam « causa extrinseca est vel efficiens vel finalis. Deus autem non agit ex aliqua necessitate ad creaturarum productionem, nam primo agenti debetur actio prima et independens. Similiter finis divinæ voluntatis est sua bonitas, quæ quidem a creaturis non dependet, nec quantum ad esse, nec quantum ad bene esse, cum sit secundum se perfecta simpliciter. Non est igitur creaturarum esse absolute necessarium [2] ».

Quare catholici omnes « Deum voluntate ab omni necessitate libera, liberrimo consilio, creasse » confiteri debent [3].

Obj. — Deus agit ex necessitate naturæ : « Dieu étant une force créatrice absolue qui ne peut pas ne point passer en acte, il suit non que la création est possible, mais qu'elle est nécessaire [4].»

Resp. Deus est potentia ab æterno omnino in actu sive necessario, sive libero, *conc.* ; cui transeundum est de potentia in actum, *nego.* Non enim aliquid novi additur Esse divino per creationem, sed in eo creatio idem est ac essentia, quatenus libere agens (Cf. n. 60, 92).

§ II. *De causa Exemplari creationis.*

113. Utrum Deus sit *causa exemplaris* omnium ? — Respondet

THESIS

Deus omnia condidit secundum ideas suas exemplares ; ideoque vestigium sui vel imaginem in rebus impressit.

Constat Ium. Omnis enim opifex secundum exemplar quod-

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 462-466. — 2. *Contra Gent.*, L. II, c. 31, n. 1 ; cf. c. 23, n. 7 ; c. 30-32. — 3. **Conc. Vatic.**, sess. III, cap. 1, can 5. — 4. **Cousin**, *ibid.*

dam agere debet ; sed, cum ante creationem nihil esset præter Deum, necesse est dicere omnia fuisse condita secundum ideas exemplares, quæ sunt in intellectu divini opificis.

Constat II^{um}. Nam omnis effectus præ se fert vestigium aut imaginem exemplaris secundum quod fuit conditus ; ergo res omnis condita præ se fert vestigium vel imaginem Dei.

Dixi : *vestigium aut imaginem* ; nempe vestigium in rebus physicis, et imaginem in mente humana, — prout effectus repræsentat solum causalitatem causæ vel ejus formam [1].

Confirmatur exemplo artificis qui producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, sive illud sit exemplar ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum [2].

114. Quomodo intelligi possit *exemplarismus* divinus [3] ?

Est exemplarismus divinus *doctrina de suprema Causa exemplari et de omnium rerum exemplatarum ordine, juxta divina exemplaria, quæ in Ipsa sunt.*

Jamvero Deus est Forma eaque perfectissima et omnium formarum prototypa. Sic infra Deum existunt angeli, quos appellamus *formas separatas*, quia nullum corpus informant ; infra angelos existunt *animæ humanæ*, quæ natæ sunt ad corpus informandum, sed, corpore soluto, possunt esse et vivere ; infra animas humanas comperiuntur *animæ belluinæ*, *formæ plantarum*, *formæ mineralium*, quæ esse nequeunt sine materia. Et sic quodammodo in singulis et in omnibus creaturis est aliqua repræsentatio Entis perfecti.

Nec dicas Deum esse rerum ad extra causam *æquivocam*, non univocam : ergo res Ipsi non assimilatas esse. — Nam in Ipsa contineantur oportet perfectiones creatæ omnes, sive *virtualiter*, si sint de categoriis et materiales, ut lapis, arbor, animal, sive *formaliter et eminenter*, si sint transcendentales et simplices, ut esse, bonum, intelligere. Nulla quidem perfecte repræsentat primum exemplar, cum in se complectatur perfectionem infinitam ; verumtamen, sicut idem monumentum in multis variisque picturis repræsentatur, ita in tanta et tam mirabili rerum varietate, inveniuntur repræsentationes diversæ ejusdem perfectionis infinitæ (n. 43).

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 45, a. 7. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 44, a. 3. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 6 ; — q. 15, a. 1, 2, 3 ; — q. 16, a. 6 ; — q. 34, a. 3 ; — q. 44, a. 3, 4 ; — q. 47, a. 1, 3, ad 1 ; — q. 93, a. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 ; — Cf. **Liberatore**, *Théorie de la conn. intell.*, c. VIII, de l'exempl. divin ; *Le Composé humain*, p. 507 ; — Cf. **Ern. Dubois**, *De Exemplarismo divino*, 1897.

§ III. *De causa Finali creationis.*

115. Utrum et quatenus Deus sit *causa finalis* omnium ? Juxta quosdam, vanum est inquirere finem rerum et intentiones Creatoris ; juxta Kantium autem omnia sunt propter hominem, homo propter seipsum et ideo homo finis est ultimus creationis (Cosmol., n. 130). Sed contra :

THESIS

Omnia ordinantur ad Dei gloriam ut ad finem ultimum.

Prob. — Gloria Dei est divinarum perfectionum clara notitia cum laude. Atqui certum est, a priori et a posteriori, Deum nihil in creando sibi proponere potuisse, nisi *manifestationem* attributorum suorum :

1° *A priori.* — Deus, quum sit summe intelligens, finem sibi proposuit in creatione rerum : aliter enim egisset sine ratione. Porro, quum sit infinitus, nihil sibi proponere debuit nisi manifestationem perfectionum suarum : secus enim a bono finito moveretur. Ergo creavit ad suam gloriam.

2° *A posteriori.* — Nam — *a*) « in partibus Universi, unaquæque creatura est propter suam perfectionem ; — creaturæ ignobiliores propter nobiliores, sc. propter hominem ; — singulæ autem creaturæ propter perfectionem totius universi. Ulterius ergo totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem [1] ». — *b*) Speciatim vero homo est propter Deum : nam creaturæ irrationales Deum non laudant, nisi indirecte quatenus exprimunt in seipsis aliquid veritatis, pulchritudinis, bonitatis infinitæ ; solæ creaturæ rationales pollent facultate Deum cognoscendi et amandi ; ideoque eas ad hoc teneri ex appetitu naturali, ex natura necnon ex officiis suis, deducetur in Ethica (n. 11, 14).

116. Hinc summa Dei *liberalitas* apparet in creatione.

Prob. — Deus enim in operibus ad extra, vel agit ex necessitate, vel propter utilitatem, vel propter bonitatem suam communicandam. Atqui duo priora dici nequeunt :

Non 1um ; Deus enim libere condidit universa (n. 112).

Nec 2um, siquidem agentia imperfecta suam perfectionem in agendo inquirunt, sed « Primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus ».

Ergo « intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est ejus *bonitas* essentialiter sui communicativa [2] ».

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 65, a. 2 ; — *Contra Gent.*, L. I, c. 93. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 44, a. 4 ; q. 20, a. 2;— Cf. **Gay**, *De la vie et des vertus chrétiennes*, I.

Dices : — Ex dictis in thesi (n. 115), Deus creavit propter gloriam suam, ergo non propter bonitatem suam communicandam.

Resp. *Nego cons.* Nam gloria Dei cedit in utilitatem creaturæ ; quod enim celebretur a creaturis, eisdem pariter proficit, non Ipsi, cum sit sibi sufficientissimus ; ergo Deus, et ipse solus, est maxime liberalis, solusque verus amator [1]. — Cæterum non potest, cum talis sit ordo rerum essentialis, non intendere gloriam suam seu notitiam cum laude : sed in hoc præcise sistit beatitudo creaturarum.

ARTICULUS II.

De Conservatione [2].

117. Quomodo *conservatio* sit creatio continuata ?

A. — Creationem sequitur conservatio, quæ definitur : *actus potentiæ Dei quo res creatæ esse pergunt.* Distinguitur a creatione, in eo quod per creationem res incipiunt esse.

Duplex conservationis notio distingui potest ; una *positiva* et directa, quæ supponit jugem quemdam Dei influxum, quo res in existentia sua « perdurant », ut aiunt ; — altera autem *negativa* et indirecta, quæ significat res ex se in existentia sua perseverare, modo Deus eas non destruat.

B. — Hinc conservatio positiva est « creatio continuata ».

Non in eo sensu quod creationi conservatio nihil adderet positivi : eadem quippe actio, quatenus dat primum esse, creatio ; quatenus dat secundum et tertium seu *perseverans* esse, conservatio dicitur. Porro, sicut in primo, ita et in secundo et in tertio instante, nonnisi per actionem positivam, creatura recipit esse. Ergo conservatio est creatio positive continuata.

Nec tamen in eo sensu quod singulis instantibus creatura ex esse ad nihilum, et ex nihilo ad esse transeat : quod insipienter asseruerunt Bayle et quidam recentes [3] ; sicut enim aer, permanente lumine solis, illuminatur, quin debeat singulis momentis obscurus fieri, ita etiam creatura, permanente virtute divina, in esse perseverat.

118. *Utrum* creaturæ positiva conservatione indigeant ?

Jam adversus Gassendi, Bayle, Crousaz, Gallupium et alios recentes non paucos, statui potest

1. **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, p. 237 et suiv. — 2. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 481-484. — 3. **Bertaud**, *Critique des preuves de l'existence de Dieu*, t. II, p. 239.

THESIS

Creaturæ omnes, ut esse pergant, indigent conservatione, eaque directa et positiva.

Prob. — Vel actus potentiæ Dei, quo res e nihilo educuntur, positive perseverat post creationem vel non. — Si *prius*, Deus res mundanas directe servat : proindeque conservatio non minorem virtutem exigit quam earum creatio. Si *posterius*, fieri nequit quin creaturæ redigantur in nihilum, nam res contingentes nihil sunt e natura sua nisi mere possibiles seu *de se* indifferentes ad esse vel non esse. Idcirco, sicut non possunt actu existere sine influxu primæ causæ, ita nec *durare*[1].

Consequentia dupliciter ex primis principiis *urgetur* :

1º *Ex principio causalitatis.* Nam omnis effectus dependet a sua causa secundum quod est causa ejus. Sed Deus est causa non solum τοῦ fieri, sed τοῦ esse creaturarum : Deus enim est ens per essentiam, omnis autem creatura est ens participative. Ergo præcise secundum τὸ esse a Deo dependent creaturæ[2].

2º *Ex principio rationis sufficientis.* Nam quidquid est, habet rationem sui sufficientem ; ergo et permanentia creaturarum. Hæc autem ratio sufficiens esse nequit nisi — vel ipsamet propria virtus creaturæ, — vel necessaria connexio inter existentiam præteritam et actualem, — vel actio positiva Dei conservantis. Atqui duo priora admitti non possunt :

Non 1um, nam totum esse creaturæ est contingens, i. e. non a se, sed ab alio, non tantum in primo instante suæ existentiæ, sed et in secundo et in tertio, et sine ulla intermissione : proinde non potest permanere nisi ab alio.

Non 2um, nam inter primum instans contingens A et secundum instans contingens B, nulla adest relatio causalitatis, sed meræ successionis ; et ideo existentia præterita non est ratio sufficiens existentiæ præsentis, neque præsens ratio futuræ, alioquin quælibet creatura perseveraret in æternum.

Ergo restat 3um, sc. res creatas ab actione divina conservari oportet « mediantibus aliquibus causis[3] », ut in existentia permaneant.

Dices : creatura est indifferens ad esse vel ad non esse : ergo,

1. *Sum. Theol.*, p. I. q. 104, a. 1. — 2. *Ibid.* — 3. *Ibid.* a. 2.

sicut v. g., statua non existens per se solam non transit ad esse, ita etiam, si semel existat, ex sese non annihilatur.

Resp. Nego paritatem et consequentiam : nam in primo instante creatura non vi propria, sed virtute divina habet esse ; ergo et in secundo. Nec quidquam facit exemplum artefactorum hominis : hæc enim sine illo perseverant in esse, quia causa secunda, non esse substantiale, sed accidentale producere tantum potest in materia.

ARTICULUS III.

De Concursu divino [1].

119. *Quid* et *quotuplex* sit concursus divinus ?

A. — Concursus divinus definitur : *actus potentiæ divinæ realiter influens in actiones naturales creaturæ.*

1° Est *actus potentiæ divinæ*, et idcirco intellectus et voluntatis ; nam, ut vidimus (n. 94), omnipotentia, intellectus et voluntas Dei agunt *per modum unius* in operibus ad extra.

2° *Influit realiter* quidem, juxta omnes ; an vero physice juxta Thomistas, vel moraliter tantum juxta Molinistas, infra dicetur.

3° Influit in *actiones* creaturæ ; et sic distinguitur distinctione rationis a creatione et conservatione ; per creationem enim res accipiunt *esse*, et per conservationem in esse suo *pergunt* ; per concursum autem in actionibus suis *adjuvantur*.

4° Influit in actiones *naturales* ; nam concursus, de quo philosophi disserunt, essentialiter discrepat ab auxilio *gratiæ*, cujus ope Deus influit in actiones vitæ *supernaturalis* [2].

Exinde apparet absoluta dependentia creaturarum a Deo, sine quo nec *esse*, nec *pergere* in esse, nec *operari* possunt.

B. — Multiplex distingui potest modus concursus divini.

1° *In se* sumptus, dividi solet in *mediatum* et *immediatum* : mediatus ille est, quo Deus directe largitur creaturis vires naturales, quibus deinde agere possint a se ipsis ; immediatus autem ille est, quo Deus directe operatur cum causa secunda, et ad eumdem effectum realiter concurrit.

2° Ratione *modi* quo in actionem influit, concursus divinus potest esse *physicus* vel *moralis* : concursus physicus est actio qua Deus, ut prima causa, ab intus movet aut adjuvat vires physicas causæ secundæ ; concursus moralis in eo consisteret quod Deus, præsentando objectum et extrinsecus suadendo, causam secundam determinaret ad aliquid faciendum.

1. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 484-494. — 2. **Goudin**, *Phil.*, t. IV, p. 3, q. IV, a. 2 ; — **Sanseverino**, *Theol. natur.*, c. IV, a. 3.

3º Relative ad *agentem* qui operatur, concursus physicus dividitur in *prævium* et *simultaneum* : prævius seu *præmotio physica*, ut aiunt, determinationem causæ secundæ præcedit, eamque applicat ad agendum ; simultaneus autem est, quo Deus creaturam adjuvando comitatur, sed ejus actionem non prævenit, sicut, v. g., duo equi simul trahunt currum.

4º Relative ad *terminum* circa quem fertur, concursus dividi potest in *specialem* et *generalem* : specialis est, si Deus pro qualibet actione auxilium *determinatum* creaturæ largitur ; generalis, si auxilium illud est *indeterminatum*, et proinde ad talem aut talem effectum indifferens.

5º Tandem secundum *efficaciam* suam, concursus divinus vocari potest *efficax ab intrinseco*, vel *efficax ab extrinseco* ; si prius, independenter ab omni prævia determinatione causæ secundæ effectum suum sortitur ; si posterius, effectum suum attingit ex determinatione prævia causæ secundæ. Prior *e natura sua*, posterior vero *e determinatione causarum secundarum* efficacitatem suam desumit.

120. Quænam sit Thomistarum et Molinistarum *controversia* ?

I. — *Sensus quæstionis.* — A. — Jam fere omnes philosophi, si quosdam veteres, v. g., Durandum, et recentiores excipias, necessitatem concursus *immediati* asserunt. Et merito

1º Ex parte *creaturæ* : — tum quia causa secunda per se solam de potentia ad actum transire nequit sine impulsu alicujus motoris, — tum quia sibi dare nequit quam non habet operationem, quæ profecto nova est entitas, cujus ope melioratur, — tum quia creatura fieret primum agens, si semel producta, nullo indigeret concursu Dei ad agendum (Psych., n. 101).

2º Ex parte *Dei* : secus enim magis extenderetur causalitas exemplaris divina quam actio Dei efficiens ; nec posset Deus impedire actionem creaturarum, v. g., ignis, per simplicem concursus suspensionem [1].

Cæterum concursus Dei immediatus non excludit operationem naturæ et voluntatis : secus enim actio divina dici non posset simplex concursus, sed causa unica : quod vergeret in occasionalismum et pantheismum. Unde « sic intel-

1. Cf. Salmanticenses, *De gratia*, disp. V, n. 109.

ligendum est Deum operari in rebus, quod tamen ipsæ res habeant propriam operationem[1] » (n. 122, A).

B. — De *natura* autem hujus concursus minime consentiunt philosophi. Alii enim, post S. Thomam, præmotionem physicam[2], et alii, duce Molina, concursum simultaneum enixe propugnant[3]. Ad thomismum[4] et molinismum revocantur omnes aliæ sententiæ, etiam theologorum, nam « vere quæstio ista per prius et per se quæstio est metaphysicæ generalis, quam pro posse suo declarare habet philosophus[5]. »

II. — *Opiniones*. — 1° Ecce præcipua Molinistarum placita : Molinistæ, ut vidimus (n. 82), scientiam mediam excogitarunt ad tuendam libertatem humanam ; item, ad concordiam ejusdem libertatis cum concursu divino, docuerunt auxilium, quo Deus concurrit in actiones nostras liberas, *esse* præsertim *morale*, aut, si physicum, *simultaneum*, *indeterminatum*, et suam efficaciam desumens *ab extrinseco*, sc. a voluntate libera. Cujus exemplum, jam allatum, præbent duo equi, qui simul trahunt currum.

2° *Thomistæ* vero ea tenent et docent de concursu : Quemadmodum Deus omnia præterita, præsentia et futura cognoscit a priori in seipso, ita omnes actiones creaturarum naturales determinat a priori in decretis suis ; unde, concursus per quem influit in actiones nostras sive necessarias, sive liberas, *est immediatus*, *physicus*, *prævius*, *specialis*, *et e natura sua seu ab intrinseco efficax*, scilicet *præmotio physica*. Habes exemplum valde imperfectum in manu magistri, qui actione prævia et physica manum discipuli, sine violentia sed efficaciter, applicat ad specialem scripturam exequendam.

121. Quænam sint thesis et argumenta *Thomistarum* ?

Juxta illos, « nullum creatum agens in esse cujuscumque effectus influere valet nisi motione accepta a Prima Causa[6] ».

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 105, a. 5. — 2. Inter recentiores : **P. Gayraud**, *Thomisme et Molinisme* ; *Providence et libre arbitre* ; — *Réplique au P. de Régnon* ; — **P. Dummermuth**, *S. Thomas et doctrina præmotionis* ; — **P. Guillermin**, *Revue thomiste*, an. 1895. — 3. Inter recentiores : Card. **Mazzella** ; — **P. Schneemann**, *Controversarium de divinæ gratiæ... concordia* ; — **P. de Régnon**, *Bannez et Molina* ; — **P. Baudier**, *Revue des sciences eccl.*, 1887 ; — **Lesserteur**, *S. Thomas et le Thomisme* ; *S. Thomas et la Prédestination*, etc. — 4. Historice falsum est thomismum a Bannezio († 1604) derivari, quum jam a Cajetano et Ferrariensi — imo a Capreolo († 1444), Principe thomistarum, integre propugnabatur, cf. **Ude**, *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanæ*. — 5. **Card. Billot**, *Tract. de Gratia*, p. 34. — 6. **Thesis Thomistica XXIVa**.

THESIS

Ad actiones creaturarum naturales, sive necessarias, *sive* liberas, *requiritur* præmotio physica.

I. — Probatur *indirecte* ex vitiis concursus simultanei. Nam

1. Quidquid est ens, a Deo *procedit* tanquam a prima causa : sed, in systemate concursus simultanei, esset ens quod a Deo non procederet, nempe determinatio causæ secundæ.

2. Aliunde, Deus habet supremum *dominium* in omnes creaturas ; sed, in hypothesi concursus simultanei, determinationes libertatis humanæ non penderent a Dei dominio.

3. Præterea, concursus simultaneus est influxus tantum moralis, aut, si physicus, vagus, indifferens, indeterminatus et abstractus ; est autem de *natura concursus* divini ut sit aptatus actibus nostris in particulari nec ab eis determinandus.

4. Tandem concursus simultaneus efficaciam obtinet a *prævisione* determinationis causarum secundarum per scientiam mediam ; Deus autem, in hac hypothesi, suam scientiam — aliunde vanam aut eversivam libertatis (n. 81), — acciperet a creaturis.

Ergo quadruplici causa vitiatur concursus simultaneus.

II. — Probatur *directe* ex parte tum Dei, tum hominis.

122. A. — Ex *dignitate causæ primæ.* Ea est dignitas Primæ Causæ, ut exigat præmotionem physicam. Ergo requiritur hæc præmotio non tantum immediata cum Molinistis, sed et physica, prævia, specialis et efficax cum Thomistis.

Imprimis *immediata* : nam quidquid rationem entis habet, a Deo efficitur tanquam a causa principali : porro « virtus superioris causæ est immediatior effectui quam virtus inferioris, virtus enim inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris[1] » ; ergo « patet quod, cum Deus sit prima causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus[2] ».

Unde etiam effectus totus tribuitur simul causæ primæ et causæ secundæ, licet sub diverso respectu.

Sed et 1° *Physica* : nihil enim potest existentiam accipere, nullum agens potest transire ad actum sine influxu activo primi agentis : porro ille influxus est motio physica. « Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat vir-

1. *Quæst. disp., de Pot.*, q. 3, a. 7. — 2. *1 Sent.*, Dist. xxxv, q. 1, a. 1 ; — *Contra Gent.*, L. III, c. 70.

tutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum *applicat actioni*, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit[1] » : en influxus quadruplex, utique physicus.

2° *Prævia* : nam causa in genere, a fortiori causa prima prior est suo effectu, prioritate saltem naturæ : « dès qu'on nomme la cause première, il faut la faire aller partout devant[2]. » Quo sensu, hæc motio *præmotio* non immerito vocatur.

3° *Specialis* : nam intellectus Dei, adjuncta voluntate, est causa rerum ; sed Deus tales producit res, quales cognoscit et vult, nempe omnia modo non generali, nam v. g. impossibile est creari animal non specificatum, sed modo determinato et speciali seu *individuum* animal ; ergo influxus divinus in actiones nostras non est generalis, sed omnino specialis.

4° Denique *efficax ab intrinseco* : nam omnis efficacia causarum secundarum procedit a Deo, tanquam a causa prima, non vero efficacia causæ primæ ab efficacia causarum secundarum : secus enim aliquid esset in effectu, quod deficeret in causa. Ergo, stante præmotione physica, « repugnat quod non fiant ea quæ Deus vult fieri et eo modo quo vult ea fieri [3] ».

123. B. — *Ex indeterminatione causæ secundæ.* — Potentialitas voluntatis humanæ exigit interventum primi motoris. Ergo requiritur præmotio physica.

Probatur *antecedens.* — Quidquid est in potentia ad agendum, per se solum non transit ad actum. Porro voluntas est primo in potentia et transit ad actum : ergo præmovetur a Causa prima ; — transit ad actum physicum : ergo hæc præmotio et ipsa physica est ; — transit ad actum specialem et distinctum : ergo indiget auxilio speciali ; — transit ad actum quem de facto assequitur : ergo auxilium Dei est efficax,... secus vel motio, vel determinatio, vel directio, vel efficacitas voluntatis humanæ deficerent.

Confirmatur exemplo neo-molinistarum, qui relicto Molina, præmotionem physicam aperte propugnant, licet *indeterminatam* ! Cujus exemplum haberes in navi quæ eodem vento, vel ad mare magnum vel ad portum pellitur. — Restat ut, sicut primam motionem, ita et directionem et determinationem motus, causalitati divinæ non subtrahant[4].

1. *Quæst. disp., de Pot.*, q. 3, a. 7. — 2. **Bossuet**, *Traité du libre arbitre*, c. VIII. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 8 ; — *Opusc. II*, c. 140. — 4. **Farges**, *ibid.*, 493-495.

124. Quænam sint objectiones *Molinistarum* ?

Molinistæ sic arguunt : Concursus prævius tollit libertatem hominis, et peccatum Deo tribuit ; ergo est rejiciendus.

Obj. 1ª. — Quod necessario sequitur præmotionem præviam et alienam non est liberum. Porro talem præmotionem sequitur actio voluntatis prædeterminatæ. Ergo libera non est.

Resp. *Dist. maj.* : 1º Quod *necessario* sequitur, non est liberum, *conc.* : quod *infallibiliter* tantum sequitur, *nego.* — 2º Quod sequitur motionem *creaturæ, conc.* : motionem *causæ primæ, nego.* — 3º Si necessarium est necessitate *antecedenti*, conc. : si ex necessitate *consequenti, nego.* — 4º Si necessarium est in sensu *diviso, conc.* ; in sensu *composito, nego* [1].

Contradistinguo minorem, et præfatas sic explico distinctiones.

1. Actus hominis concursum Dei ab intrinseco efficacem, semper et *infallibiliter*, non autem *necessario* consequitur. Porro nemo unquam probare poterit infaillibilitatem effectus et libertatem agentis una secum componi non posse : imo non desunt exempla utriusque, non tantum in Deo et J. C. qui peccare non potuit, sed et in humanis.

2. Alia est *præmotio Creatoris*, alia *creaturæ* : una naturalis et intrinseca, alia innaturalis et extrinseca dicitur ; prior adjumentum, posterior coactionem infert ; hæc tollit, dum illa confert homini libertatem : « Cum igitur voluntas Dei sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem Deus quædam fieri necessario, quædam contingenter [2]. » « Comme donc l'homme est, dès là que Dieu veut qu'il soit ; il est libre, dès là que Dieu veut qu'il soit libre [3]. » — Procedit autem objectio ex eo quod præmotionis divinæ natura pensatur ad modum præmotionis humanæ, « cum multo dissimiliter se habeant [4] », nam liberum arbitrium « Deus potest quidem immutare, sed *non cogere* eo modo quo dicitur non posse facere ut duo contradictoria sint simul [5] ».

3. Actus liber hominis necessarius est consequenter seu ex parte *termini*, non antecedenter ex parte *principii* efficientis. — Consequenter, nam infaillibiliter exercetur hic aut ille actus, circa hoc aut illud objectum : non antecedenter, nam libera sua voluntate hunc actum elicit homo, sic, v. g., S. Paulus, stante præmotione efficaci, certo sed libere convertitur ad Deum.

4. Denique homini liberum est omittere vel ponere actum, in sensu *diviso*, non in sensu *composito* ; id est : « Cum volumus, infallibiliter volumus : unde, licet nostrum velle non posset simul componi cum nostro non-velle, est tamen in nostra potestate ponere potius velle quam non-velle : quocirca in sensu diviso velle et non velle in nostra potestate sunt [6]. »

1. Cf. **S. Thomas**, circa distinctionem sensus compositi et sensus divisi : *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 13, ad 3 ; — q. 23, a. 6, ad 3 ; — 1a 2æ, q. 10, a. 4, ad 3 ; — *de Pot.*, q. 1, a. 5 ; — *de Verit.*, q. 6, a. 4, ad 8 ; q. 2, a. 12, ad 4. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 8. — 3. **Bossuet**, *Traité du libre arbitre*, c. VIII. — 4. *In Perih.*, I, lect. 14. — 5. II **Sent.**, dist. 25, q. 1, a. 2, ad 3. — 6. Cf. **Zigliara**, *Theol. nat.*, L. III, c. IV, a. 3 ; — Cf. **Salmant.**, *de Gratia*, Disp. VII, n. 215.

Obj. 2ª. — Juxta Thomistas, quidquid procedit a voluntate humana, Deo tribuendum est ; sed peccatum procedit a voluntate hominis ; ergo.

Resp. *Dist. maj.* : Deo tribuendum est quidquid procedit a voluntate humana tanquam *entitas* realis, *conc.* ; tanquam *defectus* perfectionis debitæ, *nego.* — *Dist.* quoque *min.* : sed peccatum procedit a voluntate humana, tanquam *defectus* perfectionis debitæ, *conc.* ; tanquam *entitas* realis, *nego.* Ad rem argute scripsit S. Thomas : « Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id quod habet *entitatis* et perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de *defectu* : sicut quidquid est motus in claudicatione causatur a virtute motiva, sed quod est obliquitatis in eo non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris [1]. »

Hinc « cordatiores philosophi jam desistunt a criminandis Thomistis de læsione libertatis [2] » : licet *quomodo* Deus nos faciat libere agentes, non clare, ut in multis, videatur.

125. Notandum de thomismi et molinismi *conciliatione* ?

In re tam difficili non mirum si prodierint varia conciliatonis tentamina. En recentior congruismi forma : Card. Jos. Pecci [3], Satolli, Paquet, Lorenzelli, Janssens nec præmotionem physicam nec scientiam mediam, admittunt — licet quoad transitum voluntatis humanæ *de mera potentia ad actum*, v. g., in initio vitæ, aut in unaquaque serie volitionum pro prima volitione non libera finis, concursus prævius Thomistarum seu præmotio physica necessario admittenda videatur. Ast :

1° Quoad transitum voluntatis *jam in actu ad alterum actum*, v. g., de volitione finis ad electionem mediorum, non requireretur alia præmotio : secus periret libertas ; unde sufficeret motio Dei cooperativa intrinsece, propria uniuscujusque actioni. Nec talis electio mediorum effugeret primam Dei causalitatem, nam, ex una parte, « causa causæ est causa causati » ; ex altera vero, nunquam evenisset, Deo recusante concursum.

2° Hinc futura libera prævideret Deus non tantum in supercomprehensione causæ liberæ, ut voluit Molina, sed et in suis liberis decretis, quibus Deo placuit præbere aut non præbere concursum cooperativum.

Nec dissonaret S. Thomas : « Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum ; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle ; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud [4]. » — « Licet causa prima maxime influat in effec-

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 49, a. 2, ad 2 ; — Cf. **Billuart**, *De Deo*, dissert. VIII, a. 2 ; — **Salmanticenses**, *De Voluntate Dei*, disp. X, dub. 7. — 2. **Zigliara**, *ibid.* — 3. Card. **Pecci**, *La prédétermination physique et la science moyenne* (trad. Deshayes) ; — **Satolli**, *De operationibus divinis*, disp. II ; — **Lorenzelli**, *L'Acad. rom.*, vol. 8, p. 59-69 ; — **Paquet**, *De Deo uno et trino*, p. 356, etc. — 4. *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 9, a. 6, ad 3.

tum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur et specificatur, et ideo ejus similitudinem imitatur effectus [1]. »

Contradicunt autem maxime Thomistæ veteres et recentiores : juxta quos non datur medium inter thomismum et molinismum [2].

ARTICULUS IV.

De Providentia Dei[3].

Superest ut dicamus de Providentia, quæ secundum Boetii verba, « omnium quæsitu maxima est ». De illa quatuor sint paragraphi : 1º *De Natura* ; 2º *De Existentia* ; 3º *De Œconomia* Providentiæ Dei ; 4º *De Objectionibus* contra Providentiam.

§ I. *De Natura Providentiæ.*

126. ***Quid*** **et** ***quotuplex*** **sit Providentia** ?

A. — Providentia in genere definiri potest : *Ratio ordinis rerum in finem, et hujus ordinis executio.* Nempe, providentia sub duplici respectu considerari potest : relative ad Deum et relative ad creaturam.

1º In Deo spectata, nihil est nisi *ordinatio rerum in finem ab intellectu divina concepta* ; in eoque sensu definitur a Boetio : « Ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit [4]. »

2º Respectu creaturæ, providentia est exsecutio in tempore hujus ordinationis, quam intellectus ab æterno concepit ; et ut talis dicitur *gubernatio rerum in finem.* — Unde « ad providentiæ curam duo pertinent... quorum primum est æternum, secundum temporale [5] ».

Propterea, — *a*) *ex parte Dei*, providentia supponit actum intellectus ordinem rerum concipientis, actum voluntatis hujus ordinis exsecutionem mandantis, et actum potentiæ voluntatis mandatum exsequentis. Et tria hæc unum sunt.

b) *In se vero et formaliter*, providentia dicitur actus intellectus ; gubernare enim pertinet ad prudentiam et sapientiam, quæ reponuntur in intellectu tanquam in subjecto.

1. *De Pot.*, q. 1, a. 4, ad 3. — 2. Cf. **Fr. del Prado**, *de Gratia et libero arbitrio*, p. 3ª, p. 338-520. — 3. **Farges**, *ibid.*, 495-518 ; — **R. P. Monsabré**, *Conf.*, 1876 ; — **R. P. Etourneau**, *Conf. de N.-D.*, 1899 ; — *Sum. Theol.*, p. I, q. 22 ; — **Billuart**, *De Deo*, dissert. IX, a. 1 ; — *Revue thomiste*, an. 1896, p. 569. — 4. *De Consolatione*, L. IV, pros. 6. — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 1, 4.

c) *Ex parte creaturarum*, providentia implicat absolutam a Deo dependentiam, finem cuilibet rei specialem, et finem unicum ad quem omnia disponuntur.

d) *Ex parte mediorum* quibus efficitur rerum gubernatio, necessariæ sunt leges stabiles, per quas omnia finem suum infallibiliter assequi possint.

B. — Providentiam, in quantum designat rationem ordinis in mente Dei existentem, vocari solet *providentia* proprie dicta ; in quantum significat exsecutionem hujus ordinis, dicitur divina *gubernatio*. — Quatenus extenditur ad omnes creaturas, etiam vilissimas, nuncupari solet *communis* ; quatenus autem speciali modo respicit ad creaturas rationales, vocatur *peculiaris*. — Quando finis et media ad finem superant vires naturæ creatæ, providentia est *supernaturalis* ; secus vero dicitur *naturalis*. De providentia supernaturali Theologia disserit : hic autem agitur de providentia naturali.

§ II. *De Existentia divinæ Providentiæ.*

127. Quinam sint *adversarii* divinæ Providentiæ ?

Apud *recentiores* pullulant, sicut olim[1], ea de re errores.

A. — Alii indirecte Providentiam rejiciunt, præsertim Pessimistæ et Fatalistæ.

1° *Pessimistæ*, inter quos eminent Neo-Boudhistæ, Schopenhauer et Hartmann. — Juxta Schopenhauer, mundus est evolutio *voluntatis* cæcæ et malæ, absurde cuncta moventis. Juxta Hartmann, principium universalis evolutionis est *ens inconscium*, cujus voluntas mala temperatur alio principio, sc. desiderio annihilationis, ac proinde mundus iste non esset absolute pessimus, quamvis essentialiter malus et nihilo pejor. — Juxta hos omnes, vita ærumnis plena intolerabilis est, et homines beati esse non possunt nisi in *Nirwana*, i. e., in nihilum absolutum redigantur[2].

2° *Fatalistæ* propugnant omnia subjici *fato* cuidam ineluctabili et « indeclinabili ». Sic loquitur Taine, fatalismi hodierni patronus : « Une puissante *formule* enfonce et serre au cœur de toute chose vivante les tenailles de la nécessité[3]. »

1. Quos confutat **Tullius**, *De natura Deor.*, L. I, n. 2 ; — Cf. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 22, a. 3 ; — **Diogenes Laertius**, L. V. — 2. Card. **Gonzalez**, *Hist. de la Philos.*, t. IV, p. 152. — 3. *Hist. de la litt. anglaise* ; — Ita **Viardot**, *Libre Examen*, p. 73.

B. — Alii directe Providentiam negant, et vocantur *deistæ*. Quapropter, deismus est *systema eorum, qui Dei existentiam profitentur, sed illius gubernationem omnino vel partim respuunt.* Unde duplex est, *absolutus* et *mitigatus*.

1° Deistæ proprie dicti seu absoluti collegerunt apud veteres objectionum congeriem ; exinde intulerunt Dei Providentiam in sensu theistarum conciliari minime posse cum justitia, bonitate et sanctitate divina. Ex his sunt præcipue Bayle, Voltaire, Rousseau, Diderot et d'Alembert[1].

2° Juxta quosdam recentiores, Deus statuit leges universales, quibus omnia gubernantur ; sed nunquam providet immediate et directe quibuslibet et singulis entibus : quod immutabilitati divinæ et libertati humanæ contradiceret ; unde omnis religio revelata est impossibilis, et oratio, in quantum est deprecativa, fit inutilis et Deo injuriosa.

Hujus erroris indicia passim inveniuntur apud Thiers, Cousin, J. Simon, Saisset, Damiron, G. Séailles[2]. Sit exemplum ex operibus J. Simon depromptum : « L'intervention directe et immédiate de Dieu dans les affaires humaines selon des vues particulières compromet la liberté humaine et nuit même à l'idée que nous devons avoir de Dieu[3]. »

128. Adversus deistas omnesque Providentiæ hostes sit

THESIS

Deus est providus[4].

Sic stabilitur sive *existentia*, sive *universalitas* Providentiæ.

1ª Pars. — Imprimis constat Deum *esse providum*, si creaturas ordinat et gubernat. Porro Deus

1° *Ordinat*. Nam Providentia proprie dicta est ratio ordinis rerum in finem ; atqui ea ordinis ratio existit in mente Dei, et nihil est nisi intellectus divinus cuncta disponens ; ergo Deus est maxime providus, imo dicitur ipsa Providentia.

Prob. *minor*. — Omne agens intellectu præditum semper agit propter finem, et opus suum ad hunc finem ordinat. Porro Deus est summe intelligens. Ergo non potest agere, quin omnia in intellectu suo disponat et ordinet.

2° *Gubernat*. — Nam ordo mirabilis in hoc mundo instau-

1. **Bayle**, *Diction. histor. et crit.* :ˆ Art. Pyrrhon. — 2. Cf. *Revue de philos.* (sept. et oct. 1904). — 3. *Introduction aux œuvres phil. de Bossuet.* — 4. **Farges**, *ibid.*, p. 495 et seq.

ratus, decursu sæculorum, permanet *constantissimus* et *progressivus*. Ergo Deus gubernat.

Prob. ant. Nam — 1° sunt *leges* quæ motus terræ et astrorum regunt, quæ evolutioni animalium præsunt, quibus homines et societates subjiciuntur ; et sic res quælibet disponitur ad finem sibi specialem, deinde omnia ordinantur ad finem unicum. — 2° Paulatim et cum frequenti regressu sed certo datur *progressus* rerum mundanarum, sive materiæ quæ ex forma chaotica ascendit in materiam viventem et sensitivam, et animæ spirituali unitam ; sive artium, industriæ et scientiarum, seu, ut aiunt, « civilisationis » ; sive tandem ordinis moralis et religiosi qui ad christianismum usque pervenit.

Prob. cons. — Nam ratio hujus ordinis constantiæ et progressus reponenda est in voluntate singulis rebus superiori : secus aliquid esset in effectu, quod non procederet a prima causa omnium. Voluntas igitur divina ordinem præconceptum exequitur et dirigit in finem seu gubernat, in quo sistit altera functio divinæ Providentiæ[1].

129. II^a Pars. — Providentia Dei *complectitur universa* ; nempe *singula, nobiliora* quidem, sed etiam *vilissima*.

A. — Quod infertur ex tribus Dei attributis *absolutis*. Nam vel Deus *non potest*, vel *potest* et *non vult*, vel *potest et vult sed nescit* de omnibus curam habere ; sed hæc tria repugnant attributis divinis : ergo de omnibus curam habet.

Constat *minor*, nam — 1. *omnipotentiæ* repugnat Deum non posse de omnibus curam agere. — 2. Si Deus *nollet* gubernare omnes creaturas, assignanda esset ratio hujus incuriæ ; sed nulla ratio ejusmodi assignari potest : nam, ex parte rerum, cura etiam de minimis non est Deo indigna, cuncta enim quæ fecit Deus sunt valde bona ; ex parte vero Conditoris, ea sollicitudo universalis non implicat laborem arduum et ingratum, quia Deus uno et eodem actu simplicissimo regit universa. — 3. Denique repugnat ut Deus *sapientissimus* res semel creatas, velut artifex inconstans, ignoret et deserat.

B. — Ex tribus aliis attributis *relativis*. Nihil enim potest esse, nec in esse perseverare, nec ad actum transire, nisi per creationem, conservationem et concursum divinum ; sed

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 22, a. 1.

qui dominatur in esse et in operari creaturarum, earumdem habet directionem in finem ; ergo Deus sit qui singulis suum finem specialem assignet necesse est, cunctaque, etiam minima et vilissima, ordinet et regat ad finem ultimum.

Nisi dicas curam de vilissimis Deo indignam esse : « numquid enim de bobus cura est Deo [1] ? » Sed advertas velim multo magis a Deo distare maximas res, quam ab ipsis distant vilissimæ. Ergo, si de prioribus cura Deum non dedecet, nec de posterioribus. *Nobiliora* tamen singulari Providentia prosequitur : hæc enim uniuscujusque naturæ proportionari debet, et ideo entia diversa diversis mediis reguntur. — Hinc Deus speciali modo curam habet de homine, tum quia creaturæ rationales libertate gaudent, tum quia nobiliores sunt creaturis irrationalibus, tum denique quia iis utitur Deus tanquam mediis et administris in gubernatione rerum.

Confirmatur ratione consueta agendi creaturarum. « Nam et homines et bestiæ propriorum fœtorum providentiam habent, naturali quodam instinctu [2]. » Ergo a pari probatur « omnia geri providentia divina », ut ait ipse Tullius [3].

130. Quid speciatim de *pessimismi* confutatione [4]?

Cum hodie inveniantur non pauci viri docti, qui deliramenta Neo-Boudhismi aut Pessimistarum Schopenhauer et Hartmann, tanquam sapientiæ culmen prædicant, non inutilis erit specialis ejus confutatio. Unde

THESIS

Pessimismus, quicumque sit, est falsus et rejiciendus.

Prob. — Etenim illud systema falsis principiis innititur, sensui communi et naturæ contradicit, denique ad absurdas nefandasque consequentias inducit.

A. — *Falsis principiis innititur*, sc. 1° in *errore* pantheismi idealis. Sive enim unica substantia sit τὸ ἐγώ (Fichteus), sive ens absolutum (Schelling), sive idea logica (Hegel), sive voluntas una et cæca (Schopenhauer), sive tandem ens-inconscium (Hartmann), idem remanet error pantheisticus, quo contradictoria, bonum sc. et malum, identificantur (n. 105).

2° Innititur etiam in falsa *theoria* gaudii et doloris. Juxta

1. S. Paulus. *I Cor.*, IX, 9. — 2. S. Jo. Damascenus, *De Fide orthod.*, L. II, c. 29. — 3. *De natura deor.*, I, 31. — 4. Farges, *Idée de Dieu*, p. 513-516.

enim Pessimistas, esse est velle, velle est conari, conari autem est pati ; ergo, ut aiunt, esse est pati. « La vie ne vaut donc pas la peine d'être vécue. » — Sed e contra, ut jam probavimus (Psych., n. 105), delectatio est « epiphenomenon » cujuslibet activitatis, quoties exercetur secundum leges naturæ, fitque incitamentum ad novam actionem. Ergo activitas naturalis per se non est mala, sed bona.

B. — *Sensui communi et naturæ contradicit.* Nam — *a*) omnes vivere appetunt, mori timent, et communiter, saltem ab hominibus sanis, vita etiam misera, ut nihilo pejor non habetur[1] ; — *b*) adversatur pessimismus innato desiderio quo homines, dolore oppressi, beatitudinem futuram appetunt.

C. — *Ad absurdas et perniciosas consequentias inducit*, sc. ad negationem virtutis, officii et totius moralitatis. Dum enim pœnæ et dolores hujus vitæ, viros justos erga divinam Providentiam devotos, disponunt ad meritum et ad beatitudinem æternam, nedum eorum felicitati noceant, e contra pessimistas ad universalem desperationem et ad suicidii ignaviam impellere debent. Nihil enim melius esset ad hanc vitam intolerabilem fugiendam, quam procurare generis humani, sublato matrimonio, exstinctionem ; nihil sanctius quam nihilum, seu famosum Nirwana, appetere. Nec ab his consectariis abhorrent Pessimistæ, cum ea palam profiteantur[2].

Confirmatur inconcussum dogma Providentiæ variis modis, — nam consensus generis humani, historia populorum, scientiarum naturalium cultores, consensio philosophorum, atque S. Scripturæ testimonia, — existentiam providentiæ comprobant [3].

§ III. *De Œconomia Providentiæ.*

131. Quænam sit mirabilis *œconomia* Providentiæ ?

Per œconomiam Providentiæ intelligere debemus leges quibus innituntur sapientissima ordinatio et gubernatio Dei. Hac in re, mysteriis plena, quædam statuere licet, ex dictis in decursu tractatus, quæ totidem erunt principia ad solutionem difficultatum.

1. **La Fontaine**, *La M··t et le Bûcheron.* — 2. **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, p. 437-461 ; — cf. **Bourdeau**, *Pensées et fragments de Schopenhauer.* — 3. Cf. *Sum. Theol.*, q. 103, a. 1 ; — **Tullius**, *De natur. deor.*, 1, 2. — **S. Gregorius Magnus**, *Moral.*, c. xi ; — **Boetius**, *De Consolatione*, L. III ; — **Bossuet**, *Sermon pour le 4e dim. de Car.* ; — **Monsabré**, 17e *Conf.*, 1876.

PRINCIPIUM I

Deus in ordinatione rerum est summe independens.

Revera Providentia est ratio ordinis a summo omnium Principe et Domino constituta ; unde ejus gubernatio a nonnullis merito dicitur « Monarchia absoluta[1] ». Deus igitur summa libertate gaudet in *distributione bonorum* ; ea quæ vult, bona sua et materialia et spiritualia largitur creaturis ; de amicis quos eligit, specialissimo modo curam habet, et illos ad æternam beatitudinem prædestinat[2] (n. 93). Nunquam tamen *justitiæ* regulas offendit.

PRINCIPIUM II

132. *Nec absolute optimum, nec pessimum Deus creavit mundum, sed per se bonum in quo malum non est nisi per accidens*[3].

I^{um} constat ex Cosmologia (n. 11-14) adversus Leibnitzium ; — II^{um} ex dictis supra (n. 130) adversus Schopenhauer et Hartmann. — Unde Deo crimini vertendum non est quod sint defectus in mundo, nam sine defectibus ens finitum creari non potuisset. Aliunde Deum non velle directe malum physicum sed tantum indirecte, propter bonum cui per accidens conjungitur, malum autem morale nullo modo velle, jam probatum est (n. 90).

PRINCIPIUM III

133. *Leges Providentiæ sunt simplicissimæ et altissimæ.*

Deus, cum sit simplex, secundum leges simplices in sua altissima synthesi, omnes creaturas disponit et ordinat : at pro nobis intricatissimam habent complexionem. « Quis enim cognovit sensum Domini[4] » nempe universalitatem legum et unitatem ad quam tendunt ? Quapropter nobis scire non licet utrum, *in hoc aut altero casu*, unus aut alter eventus, felix aut lugendus, fuerit a Deo directe vel indirecte volitus. A fortiori, cavendum est ne in singulis temerarium feratur judicium de divinis consiliis : « Il n'y a que le tout qui soit intelligible ; et le tout est trop vaste pour être vu de si près[5]. »

1. **Boetius**, *De Consolatione*, c. IV, pros. 6 ; — Cf. **P. Monsabré**, *ibid.* ; — **S. Thomas**, *Opusc.* XVI, *de rege et regno*, lib. III, c. 1. — 2. *Sum. Theol.*, p. I, q. 23, a. 1-7. — 3. **Farges**, *ibid.*, 512-516. — 4. **S. Paulus**, *I Cor.*, 11, 16. — 5. **Fénelon**, *Exposition des princip. vérités de la foi.*

PRINCIPIUM IV

134. *Deus in executione ordinis utitur causis secundis.*

Inferiora sc. gubernat per superiora, et hoc « non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet[1] ».

Dixi : in *executione* ordinis, nam *ratio* ordinis extenditur immediate ad omnia etiam vilissima, ita ut nihil absolute conceptum divinum præterfugiat.— In exsecutione vero ordinis, Deus adhuc immediate agit (n. 120), sed, si excipias casum miraculi, semper per causas secundas quæ libere deficere possunt ; et hoc est maximi momenti adversus recentes, qui Providentiam arguunt, cum potius exsecutores Providentiæ divinæ arguere deberent.

PRINCIPIUM V

135. *Providentia nec curam vitæ tollit, nec deprecationem.*

Nam 1 — Deus sane, solus et sine nobis, nostras non facit actiones, sed præmovet ad actum, et facientem quod in se est adjuvat, et petentibus erogat auxilia quibus indigent ad *finem* exsequendum. Non ergo probandum sophisma pigri, qui Providentiæ se committit, ut pigritiæ suæ facilius indulgeat.

Ex quo infertur 2 — deprecationem esse necessariam (Eth., n. 70) : nam « sicut Providentiæ immobilitas necessitatem rebus prævisis non imponit, ita etiam nec *orationis* utilitatem excludit. Non enim ad hoc oratio ad Deum funditur, ut æterna Providentiæ dispositio immutetur : hoc enim impossibile est ; sed ut aliquis illud quod desiderat, assequatur a Deo [2] ».

PRINCIPIUM VI

136. *Nec paradisum in initio et fine mundi oblivisci licet.*

Licet enim homo in statu naturæ puræ et cum hujus vitæ miseriis creari potuisset, de facto tamen in peroptimo statu seu Paradiso voluptatis positus est ; quare peccato originali imprimis tribuenda sunt mala quæ *de facto* sunt in mundo.

Aliunde e summa Dei potestate et ex immutabilitate legum Providentiæ, necessario sequitur Deum esse infallibilem in exsecutione finis, quem sibi proposuit in gubernatione rerum Eapropter, si Deus in vita præsenti munia Remuneratoris ve

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 3. — 2. *Contra Gent.*, L. III, c. 95.

Ultoris non obeat, concludendum est vitium in altera vita pœnis debitis esse luendum, et virtutem mercede remunerandam, út alibi dictum est (Psych., n. 229).

His omnibus pensatis, immutabilitas, justitia, libertas, misericordia, sanctitas et alia Dei attributa cum Illius Providentia sapientissime et perfectissime conciliantur.

§ IV. *De Objectionibus Deistarum.*

Omnia sophismatum genera, quibus impugnantur Providentia Dei et rerum gubernatio, ad tria puncta, fere classica, quorum 1um justitiam, 2um bonitatem, 3um sanctitatem Dei impugnant, revocari possunt [1].

137. Obj. 1a. — Inæqualis est bonorum distributio ; sed Deus tenetur ad æqualem bonorum distributionem etiam in vita præsenti : ergo, vel Deus non providet omnibus, vel non est *justus* [2].

Resp. *Conc. maj.* ; *nego min.* : unde *nego consequens.* « Mirum est, ut ait Liberatore, in quantis difficultas hæc deficiat » ; nam

1° Deus bonitatem quamdam in omnes creaturas etiam infimas et vilissimas infundit ; quum autem summa libertate et independentia gaudeat, cui vult, quomodo vult, quando vult et quantum vult, bona sua largitur (n. 131) : ergo omnibus bonum et nemini facit injuriam.

2. Concedimus nonnullos impios conscientiæ stimulis non torqueri, nec angi cupiditatibus, et prosperam ducere vitam ; concedimus justos quandoque multis calamitatibus affici et cum adversa sorte colluctari ; ea vero inæqualitas, fatente ipso Kantio, Providentiæ necessitatem demonstrat, quæ mercedem copiosissimam justis persolvat in vita futura [3] (n. 136), sicque restituat æqualitatem.

138. Obj. 2a. — Est boni provisoris avertere mala physica : « la souveraine bonté ne peut pas produire une créature malheureuse [4] » ; ergo, vel Deus non est providus, vel non est *bonus.*

Resp. *Dist. ant.* : est boni provisoris avertere mala physica, quando nullam habet *rationem* sufficientem ea permittendi, *conc.* secus, *nego* ; sed Deus multas habet rationes, easque sufficientes, mala physica permittendi : unde *nego cons.* Nempe hæ sunt Dei rationes :

1. Mala physica, ut alibi dictum est (n. 90), non per se intenduntur a Deo, sed resultant e natura et dispositione legum physicarum. « Non enim agens naturale intendit privationem vel corruptionem, sed formam cui conjungitur privatio alterius formæ... Leo enim occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis [5]. »

1. **P. Monsabré**, *Conf. de N.-D.*, 1876 ; — **J. de Maistre**, *Soirées de St-Pétersbourg.* — 2. Ita **Bayle** et alii. — 3. **Lacordaire**, *Confér.*, 68 et 72. — 4. Ita **Bayle** ; — Cf. **X. Moisant**, in *Revue de Philos.*, an. 1914. — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 9.

2. Deus nihil agit nisi optimum et sapientissimum statuendo leges illas : quibus etiam, juxta adversarios, derogare non oporteret.

3. Deus permittit malum physicum particulare, ut bonum generale inde exsurgat ; sic individua pereunt, sed servantur et species [1].

4. Tandem, malum physicum in homine conjungitur bono altioris ordinis ; ex. g., dolor virtutem animæ roborat, purgat peccata, et fit in justis occasio meritorum [2].

139. Obj. 3ª. — Deus saltem tenetur impedire malum morale : « il est évident qu'on doit empêcher le mal si on le peut, et qu'on pèche, si on le permet, lorsqu'on peut l'empêcher [3] » : ergo, vel Deus creaturis non providet, vel non est *sanctus*.

Resp. *Nego ant.*, et pariter *nego cons.* — 1° Non solum Deus non tenetur impedire malum morale, ut patet ex dictis de malo physico ; verum etiam *permittens* malum istud sapientissimi gubernatoris munere fungitur : malum enim morale provenit ex *abusu* libertatis humanæ ; sed, propter abusum hujusmodi, nullo modo Deus ordinem a se constitutum mutare vel evertere tenetur.

2° Libertas hominis, licet imperfecta, est donum munificentiæ Dei : « Quoi ! pour empêcher l'homme d'être méchant, fallait-il donc le borner à l'instinct et le faire bête ? Non, Dieu de mon âme, je ne te reprocherai jamais de m'avoir fait à ton image [4]. »

3° Ope libertatis, merita in vita præsenti, et mercedem in vita futura comparare possumus, secundum ea Scripturæ : « Erit illi gloria æterna qui potuit transgredi et non est trangressus, facere mala et non fecit [5]. »

Corruit igitur ea congeries objectionum quibus impii seipsos gubernationi divinæ subtrahere volunt.

Corollarium totius Theodiceæ.

140. Quid ex dictis de definitione et nomine Dei ?

Quomodo Dei notionem adipisci valeamus, methodo sc. circulari et triplici itinerario (n. 3), jam ex omnibus dictis patet [6].

A. — *An autem Deus definiri possit ?* Deus est incomprehensibilis, nempe contineri nequit sub definitione logica quæ constet genere et differentia [7]. Verumtamen quærenti quid sit Deus, respondent Aristoteles et S. Thomas :

Deus est actus purus. — Revera voces illæ designant quidquid de Deo cognoscimus per viam *causalitatis*, *remotionis* et *excellentiæ*. — 1° Per viam *causalitatis*, scimus de Deo quod

1. *Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 2 ; — **Leibnitz**, *Théodicée*. — 2. Cf. **Gay**, *De la vie et des vertus chrétiennes* ; de la douleur ; et **A. de Margerie**, *Théod.*, c. XI. — 3. Ita **Bayle**, *Diction.*, art. Pyrrhon, n. B. ; — **Viardot**, *Libre examen*, p. 48. — 4. **Rousseau**, *Emile*, L. IV, ch. 61. — 5. *Eccl.*, XXXI, 10. — 6. *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 2. — 7. *Sum. Theol.*, q. 3, a. 5.

est a seipso, non autem ab alio : sed, quum dicimus, Deus est *actus purus*, asserimus Eum esse essentialiter et a seipso. — 2° Per viam *remotionis*, cognoscimus Deum esse infinitum, simplicem, immutabilem, æternum, immensum et unum ; sed ille qui dicitur *actus purus*, est immunis ab omni limite penitusque excludit mutationem quamlibet, compoistionem, divisionem et alia similia. — 3° Per viam *excellentiæ*, comperimus Deum vivere vita intellectuali eaque perfectissima ; voces autem *actus purus* maxime designant Ens summe perfectum, quod proinde vita rationali excellentissime fruitur.

B. — *Quomodo tandem Deus vocari possit ?* Ens infinitum est ineffabile ; nihil enim nomen exprimit, nisi solum id quod de re concipimus : Deus autem a nobis inadæquate cognoscitur.

Nomina vero quæ adhiberi solent a designandum ea quæ de Deo concipimus, vel referuntur ad *essentiam* divinam, ut *Qui est*[1], *Actus Purus*[2] ; — vel ad *attributa*, ut Immensus, Æternus, et alia similia. Communius vero nomen *Deus*, θεός, usurpatur, quia designat provisorem omnium[3].

Quidquid autem his vocabulis designatur, mirum in modum exprimit Conc. Vatic. : « *Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cæli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum*[4]. »

1. *Exod.*, III, 14. — 2. **Aristoteles**, *Metaph.*, L. XI, c. 6 et 7 ; — Cf. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 569. — 3. *Sum. Theol.*, p. I, q. 43, a. 8. — 4. Cf. **Denzinger**, n. 1804.

EXPLICIT THEODICEA

III

ETHICA

SEU

PHILOSOPHIA MORALIS

PRÆNOTIONES.

Jam dictum est de philosophia *rationali* et *reali* ; nunc et ultimo de philosophia *morali*, quæ voluntatem dirigit ad bonum seu de Ethica disserendum restat[1].

1. Quid sit *Ethica*, quoad nomen et quoad rem ?

A. — Nomen illud Ethica eruitur e vocabulo ἦθος quod latine *mos* dicitur : de moribus enim qui « proprie dicuntur humani[2] » tractat.

B. — Quoad rem igitur, Ethica definiri potest : *Scientia practica morum seu actuum humanorum ad honestatem naturalem directiva, per supremas regulas moralitatis.*

1. Est *scientia* : unde distinguitur tum ab arte morali, quippe non est mera præceptorum collectio, tum ab historia naturali, quæ simpliciter describit mores hominum.

2. Est scientia maxime *practica* ; non enim, sicut Metaphysica, sistit in contemplatione sui objecti, sed insuper regulas tradit ad operandum ; nec quidem regulas ad verum cognoscendum, sicut Logica, sed ad bonum agendum.

3. Est scientia *morum* seu *actuum humanorum*. Unde ratione materiæ, quæ « est operatio humana ordinata ad finem[3] » et a voluntate libera procedens, ab aliis philosophiæ partibus differt : sed etiam a sociologia recentiorum, quæ omnes actus et eventus humanos determinismo regulari supponit.

4. Quatenus ad *honestatem naturalem* directiva, differt ab Œconomia politica, necnon a Theologia morali : quarum prior maxime tendit ad bonum utile non ad bonum honestum ; posterior vero fidei lumine ad finem supernaturalem.

5. Dirigit per *supremas regulas* : unde differt a scientiis moralibus subalternis, quales sunt Œconomia socialis, Juris-

1. Cf. *Sum. Theol.*, Ia 2æ ; — In *X Ethic.* ; — **Farges**, *La Liberté et le Devoir* ; — **Castelein**, *Principes de Philosophie morale*. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 1, a. 3 ; — q. 58, a. 1 ; — 3. **S. Thomas**, *Eth.*, L. II.

prudentia, Pædagogia, etc. [1]; sed ipsa subordinatur Psychologiæ et Theodiceæ, quarum supponit principia et ex quibus conclusiones methodice deducit.

2. Quodnam sit Ethicæ *momentum* [2] ?

Ex fine ad quem ducit, præcipue elucescit momentum scientiæ practicæ, qualis est Ethica. Porro Ethica :

A. — *Finis est* omnium scientiarum, quæcumque sint.

Si enim *speculativæ* habentur, tanquam coronidem et complementum Ethicam,saltem remote,desiderant, nam verum ad bonum ordinatur. — Hinc vana proxime philosophia est, quæ media suppeditat ad verum consequendum, præcepta autem non tradit quibus voluntas dirigatur in appetitione boni.

Si vero sint *practicæ*, qualis Jurisprudentia, Politica, Œconomia politica, principiis generalibus Ethicæ regi debent. Necesse est enim ut secundum supremas Ethicæ regulas, Jurisprudentia leges positivas interpretetur et applicet, Politica cives gubernet et dirigat, Œconomia divitias producat et distribuat, et ita de aliis scientiis et artibus. Unde non mirandum si, non solum apud christianos, sed etiam apud gentiles, hæc scientia quasi culmen philosophiæ habita fuerit[3].

B. — Hominem *ducit ad finem* suum ultimum. Revera obtentio finis ultimi maxime pendet a rectitudine conscientiæ et voluntatis. Sed Ethica 1. — *conscientiam* illuminat circa multa quæ sine studio non cognoscuntur ; — 2. *voluntatem* dirigit et roborat : — dirigit, suppeditando regulas quibus multo magis quam intellectus eget, sive quia libertate gaudet, sive quia per se ad malum proclivis est ; — roborat autem, motiva declarando quæ officii adimpletionem requirunt.

3. Quænam fuerit et erit Ethicæ *partitio* [4] ?

A. — *Non consentiunt* et in triplicem abeunt divisionem :

Prima est *veterum* qui, post Aristotelem et S. Thomam, moralem Philosophiam dividunt in tres partes. « Quarum prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quæ vocatur *monastica*. Secunda autem considerat operationes multitudinis domesticæ, quæ vocatur *œconomica*. Tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quæ vocatur *politica* [5]. »

Secunda divisio est *recentiorum*, qui, post Grotium, Thomasium

1. **Cousin**, *Cours d'hist. de la Phil. mor.*, lec. 1 ; — **Aug. Comte**, *Religion de l'Avenir* ; — **Damiron**, *Cours de Philosophie morale*, p. LVII. — 2. **Castelein**, *Principes de Philos. morale*, Avant-propos. — 3. Cf. **Roselli**, *Sum. Phil.*, tom. III, *Ethica*. — 4. Cf. **Meyer**, *Inst. Juris natur.*, p. XIX-XXVII-XXX ; — Cf. **Liberatore**, *Eth.*, p. 9. — 5. In *X Eth.*, Lect. I.

et Kantium, jus naturale ab Ethica secernunt. Nam, juxta eos, *Ethica* solummodo tradit regulas, quibus mores individuorum reguntur : *Jus* vero complectitur officia quæ defluunt ex mutuis hominum relationibus.

Tertia denique est aliorum recentiorum, qui Ethicam dividunt in *generalem* et *specialem* : unam quæ universalia tum Ethicæ, tum Juris principia exponit ; — alteram vero, quæ eadem applicat singulis activitatis humanæ materiis.

B. — Hanc *ultimam* divisionem mutuamur a Theologia morali. *Prima* enim divisio aliquid prius se supponit, nempe theoriam generalem actus humani, quæ lumine suo cæteras et particulares Ethicæ partes, sc. monasticam, œconomicam et politicam illustret : hæ igitur nonnisi in 2ª parte convenienter tractantur. Similiter *secunda* divisio Jus ab Ethica, forum externum a foro interno, justum ab honesto immerito sejungit. Unde Ethica et Jus naturæ non sunt duæ scientiæ coordinatæ vel compartes alterius scientiæ, sed Ethica est scientia generalis quæ suprema Juris principia complecti debet, et ideo Jus naturæ stricte subordinatur Ethicæ.

Restat ergo *tertia* divisio, quam etiam secutus est Angelicus in *secunda Summæ Theologicæ*, et qua melius apparebit nostram Ethicam, jam a Psychologia et Theodicea dependentem, a Theologia non separatam esse sed ipsi famulam et *late* subalternatam (Log. n. 264).

4. En porro totius Ethicæ *synopsis*.

I ETHICA GENERALIS	I De principiis *extrinsecis* actuum humanorum.	1. De fine ultimo (causa finali remota).	De ejus existentia. De » natura. De » consecutione.
		2. De legibus (causa exemplari).	De lege in universum. De lege æterna. De lege naturali. De lege positiva.
	II De principiis *intrinsecis* actuum humanorum.	1. De voluntario actuum humanorum, (causa efficiente). 2. De moralitate materiali actuum humanorum, (causa materiali). 3. De moralitate formali actuum humanorum, (causa formali). 4. De consectariis actuum humanorum, (causa finali proxima).	
II ETHICA SPECIALIS	I De jure *individuali*.	1. De jure et officio in genere. 2. De officiis erga Deum. 3. De officiis erga seipsum. 4. De officiis erga alios.	
	II De jure *sociali*.	1. De societate domestica. 2. De societate civili. 3. De societate internationali 4. De societate religiosa.	

Nota. — Inter illas autem quæstiones, breviter agemus de his quas fusius Theologia moralis tractare solet, ne *bis in idem*.

ETHICÆ PARS PRIOR

SEU

ETHICA GENERALIS[1].

Tractat Ethica generalis de *actibus humanis* in universum. Porro Philosophiæ munus est in lucem edere principia, sive extrinseca, sive intrinseca objecti sui. Unde prima pars Ethicæ sponte dividitur in duos libros : I^us^ *de Principiis Extrinsecis*, II^us^ *de Principiis Intrinsecis* actuum humanorum.

LIBER PRIMUS.

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM.

Hæc principia duo sunt : nempe *finis ultimus ad quem*, et *lex* seu *causa exemplaris secundum quam* homo per actus suos dirigitur. Unde Primus Ethicæ liber duo includit capita, quibus cum celeberrimis auctoribus inscribere licet : 1° *de Fine ultimo*, 2° *de Legibus*.

CAPUT PRIMUM.

DE FINE ULTIMO[2].

Dicemus *de existentia*, *de natura*, et *de consecutione* finis ultimi.

ARTICULUS I.

De Existentia finis ultimi.

5. Utrum semper aliquem finem ultimum *intendat* homo [3] ?

Naturam agere propter finem, vel simpliciter executive, si est omnino cæca, vel apprehensive, si aliquatenus est cognoscitiva, jam in Ontologia (n. 178) et Cosmologia (n. 129) probatum est. Nunc autem quæritur an homo, non ex instinctu, sed libere agens, propter finem et quidem ultimum agere possit et debeat. Ad rem sit

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ. — 2. **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 221-251 ; — **Tullius**, *De Finibus* ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 1-5. — 3. Cf. **Castelein**, *Principes de Phil. mor.*, th. III ; — **Ferretti**, *Inst. phil. mor.*, n. 4-5.

THESIS

Homo, in omnibus actionibus suis liberis, propter finem et quidem ultimum agit.

I. — Propter *finem.* — Nullus ab aliqua potentia elicitur actus, nisi circa proprium objectum, quod est terminus hujusce potentiæ. Atqui voluntatis liberæ proprium objectum est bonum. Ergo et ipsa ad bonum, sicut ad finem suum, semper agit.

II. — Propter *finem ultimum.* — Id nomine finis ultimi venit, quod propter se appetitur, cætera propter ipsum. Sed voluntas cætera velle nequit, nisi prius aliquid propter se appetat. Ergo, saltem in intentione agentis, semper aliquid ut finis ultimus appatitur. — Stat *minor* : secus enim A appeteretur propter B ; B propter C ; C propter D... et sic in infinitum. Hoc autem posito, nihil omnino appeteretur, nam in moralibus, quod propter se intenditur, est causa volendi ea quæ propter aliud appetuntur [1].

Hinc apparet quomodo Bergsonistæ et fautores progressus infiniti, — juxta quos « l'évolution est le but suprême [2] » — e medio tollant omne bonum ; nam nihil est bonum, nisi relative ad finem absolutum : « s'il n'y a que des fins provisoires, il ne peut y avoir de bien absolu. »

6. *Quomodo* finem simpliciter ultimum intendat homo [3] ?

Est intentio finis *modus volendi finem.* Triplex præsertim esse potest ; *Actualis* est, si hic et nunc, expresso actu voluntatis, finis intenditur ; — *Virtualis* est, si prius habita, nec revocata, adhuc influit in præsentem volitionem ; — *Interpretativa*, si non fuit habita, nec ullo modo influit, sed haberetur, si de ea nunc cogitaret agens.

Porro juxta Thomistas : *Homo, in singulis actibus liberis, finem simpliciter ultimum, non tantum interpretative, sed saltem virtualiter intendit. Probatur* exemplo hominis qui bonum agit ex honesto fine : hic enim eo ipso egit conformiter ad rectam rationem — consequenter juxta ipsam rationem divinam, — ulterius, licet implicite, propter Deum.

ARTICULUS II.

De Natura finis ultimi [4].

7. Quomodo finis ultimus hominis sit sua *beatitudo* ?

Notiones. — Est *beatitudo*, juxta Boetium : « *Status om-*

1. *Sum. Theol.*, *ibid.*, q. 1, a. 4 ; — **Castelein**, *ibid.*, p. 57. — 2. *L'évolution créatrice.* — 3. **Vander Aa**, *Eth.*, prop. 2, 3, 4 ; — **Castelein**, *ibid.*, th. IV. — 4. Cf. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 5, a. 1, a. 3 ; — **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, p. 225-240.

nium bonorum aggregatione perfectus » ; id est bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum. — Duplex est beatitudo ; *objectiva*, vel *subjectiva* (formalis), prout agitur de ipso objecto, vel de actu quo objectum beatitudinis apprehenditur. — Hoc autem verum est in ordine, tum naturali, tum supernaturali : unde beatitudo est etiam *naturalis* et *supernaturalis*. — His dictis, sit

THESIS

Finis hominis ultimus in naturali ejus beatitudine consistit.

Prob. — Illud est finis hominis ultimus ad quod invincibiliter trahitur : talis enim attractio ab Auctore mundi oritur, et signum est finis ab Eo intenti. Porro ab beatitudinem sive subjectivam, sive objectivam, homo invincibiliter trahitur.

Ad I^{am} quidem : etenim, ut patet *sensu communi*, felicitatem perfectam homo naturaliter concipit ; conceptam invincibiliter appetit ; etiamsi vellet, respuere non posset. — Nec dissentiunt homines nisi circa objectum in specie beatitudinis, non autem circa beatitudinem in suo genere perfectam : sic et circa formam linguarum et vestium dissentiunt, omnes tamen et lingua et vestibus utuntur.

Ad II^{am} etiam, nam de facto, bonum quoddam summum, cujus possessio insatiatum non relinquat appetitum naturalem, homo necessario desiderat.

Ergo tandem finis hominis ultimus a beatitudine sua, sive subjectiva, sive objectiva, minime distinguitur. In quonam vero utraque consistat inquirendum est.

§ I. *De beatitudine Objectiva.*

8. Utrum bona *finita* sint hominis beatitudo sufficiens ?

Philosophi veteres, teste S. Augustino [1], falsa docuerunt de objecto summæ felicitatis. Alii enim, post Epicurum, in bonis ipsius corporis, id est, in divitiis, voluptatibus ; — alii vero, cum Zenone, in bonis animæ, vel intrinsecis, ut in scientia, vel extrinsecis, ut in fama et gloria ; — alii tandem, in bonis utriusque simul beatitudinem reposuerunt. — Hinc, tria systemata : I^{um} sequuntur materialistæ, utilitaristæ et sensualistæ ævi recentis, ut sunt Bentham, Stendhal, Taine et Littré ; — II^{um} rationa-

1. *De Civil. Dei*, L. X, et Tract. *de Epicureis et Stoicis*.

listæ hodierni cum Kantio ; — ad IIIum accedunt Krausistæ [1] et Pantheistæ, qui in completa hominis vel generis humani evolutione, beatitudinem reponunt. Sit igitur

THESIS

Nec in bonis corporis, nec in bonis animæ, nec in horum omnium complexu aut progressu evolutio, sed in solo Deo, beatitudo consistit.

Prob. — Beatitudo objectiva debet esse bonum non relativum, sed *absolutum* : secus non esset ultimus hominis finis ; — per se *sufficiens* : secus enim hominem beare non posset ; — cujuslibet *mali exclusivum* : malum enim cum beatitudine componi nequit ; — *firmum* et *stabile* : timor enim de futuro beatitudinem impedit ; — denique *obvium omnibus* : idem enim finis omnibus offerri debet. — Porro, in nullis bonis allatis in thesi, reperiuntur hæ quinque conditiones [2].

1° *Non in bonis corporis.* Revera, bona corporalia, sive naturalia, ut robur, valetudo, voluptas corporis, sive artificiata, ut pecunia, cibus, vestimenta — *a*) non sunt finis ultimus hominis : nam facultates altioris ordinis, ratio scilicet et voluntas, ordinari non possunt ad bona inferioris ordinis ; — *b*) per se non sufficiunt ; sunt enim bona brutorum quibus ratio et voluntas perfici et impleri nequeunt ; — *c*) non excludunt omne malum, ut, v. g., ignorantiam mentis, vitia voluntatis, quibus e contra sæpissime favent ; — *d*) non sunt stabilia, sed variis ex causis amitti possunt ; — *e*) nec tandem æqualiter sunt omnibus obvia, cum e contra pluribus semper desint. Ergo in bonis corporis non consistit beatitudo.

9. 2° **Nec in *bonis animæ* extrinsecis aut intrinsecis.**

A. — Bona animæ *externa* sunt potestas, fama, honor et gloria. Hæc autem — *a*) non sunt finis ultimus hominis ; nam ad bona interna ordinari debent ; — *b*) per se sola non sufficiunt : cum eis enim potest quis, v. g., valetudine infirma laborare, aut in ignorantia versari ; — *c*) miseriis non sunt vacua ; imo, multis ærumnis multisque curis angi solet qui talia bona desiderat [3] ; — *d*) caduca sunt et fallacia : honor enim et gloria pendent ab hominibus, nec sunt in dominio honorati, sed honorantis ; — *e*) denique non sunt omnibus communia, ut evidens est, imo nec esse possunt.

1. **Ahrens**, *Cours de droit nat.*, c. 1, § 17. — 2. **Castelein**, *ibid.*, p. 64-65 ; **Ferretti**, *ibid.*, n. 23. — 3. **Boetius**, *De Consolatione phil.*, L. III.

B. — Bona animæ *interna* sunt duo, sc. scientia et virtus[1]. *Jamvero scientia* hujus mundi — *a*) per se non satiat animam, cum obscuritatibus plena sit et tædio fiat etiam sapientissimis, ut de Newtonio narratur ; — *b*) non excludit malum morale, sed e contra, vento vanitatis inflat, et tam in bonis quam in malis reperitur ; — *c*) non est bonum stabile : quippe quotidiano defectu laborat, et adventu alicujus infirmitatis omnino evanescit, ut de Alberto Magno refertur ; — *d*) denique defectu temporis aut ingenii paucissimis obvia est.

Similiter virtus, qualis in hoc mundo acquiritur, — perfecte non satiat, cum difficultatibus plena sit, et rebelliones concupiscentiæ non impediat ; — non excludit omne malum : nam justi esse possunt rudes, et ægri, et pauperes ; — non est omnino certa et stabilis, sed peccato mortali amissibilis : hæc porro sufficiunt, ut virtus, licet in cujusque potestate sit, beatitudo objectiva hominis esse nequeat.

10. 3° Nec est beatitudo in *complexu bonorum* finitorum [1].

Revera, hujusmodi complexus, nec possibilis est, nec beare potest hominem, quocumque modo intelligatur.

A. — Juxta *veteres*, esset complexio *actualis* bonorum animæ, corporis et fortunæ. Porro moraliter impossibile est ut hæc collectio firma et stabilis in uno et eodem homine inveniatur, et sit illa perpetua felicitas quam homines desiderant. — Cæterum, collectio non mutat naturam partium : ergo pariter et ipsa sit relativa, insufficiens...

B. — *Pantheistæ* in progressu *indefinito* finem ultimum hominis reponunt : quod est impossibile, — tum quia finis ultimus est motus appetitivi ultimus terminus, qui profecto non invenitur in progressu indefinito, — tum quia, ex datis hodiernæ scientiæ, planeta nostra ad certum finitumque terminum properat (Theod., n. 19). — Præterea, hic progressus in singulis hominibus adhuc remaneret finitus, sicque singuli homines suum ultimum finem non haberent.

Ergo tandem objectum sufficiens beatitudinis humanæ nullum bonum creatum esse potest.

11. 4° Sed objectum beatitudinis nostræ *Deus* solus est.

Patet ex dictis : secus non existeret beatitudo objectiva.

Probatur directe ex parte, tum hominis, tum Dei ; nam

1° Objectum voluntatis humanæ est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum, et ita nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi bonum universale. Atqui

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 2, a. 7 ; — **Castelein**, *ibid.*, p. 69.

illud non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo. Ergo solus Deus voluntatem hominis implere et beare potest, secundum illud : « Qui replet in bonis desiderium tuum[1]. »

2° Aliunde, ex dictis in Theodica (n. 115), patet omnia creata fuisse ad gloriam Dei, tanquam ad finem ultimum. Sed gloria Dei in eo est ut a creaturis noscatur et celebretur. Ergo suum finem ultimum suamque beatitudinem inveniet homo in solius Dei notitia cum laude et amore, juxta illud S. Augustini : « Fecisti nos ad te, Deus, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te[2]. »

Quapropter gloria Dei et beatitudo hominis mire sociantur[3].

12. Corollarium de vero eudemonismo. — Hinc qui suum finem in Deo ponit et prosequitur, æquiparari non debet mercenario, qui egoismum et privatum amorem omnibus anteponit. Nam e duobus unum ; vel recta est Ethica nostra seu eudemonismi, qui hominem ordinat ad suam beatitudinem cum gloria Dei inquirendam, vel sequenda est Ethica quæ « officium pro officio » præcipit, et absolute prohibet inquisitionem propriæ beatitudinis. Ast posterior non tantum est chimerica, sed ordinem essentialem rerum evertit, siquidem officium medium est et non finis. Ergo vincit prior, quæ finem hominis ponit non in morte, sed in vita superiori, quæ sit gloria Dei sicuti est perfectio et beatitudo hominis. Talis enim dilectio sui hominem non dedecet, cum sit nobilis ambitio nec minus nobilis amor[4] (n. 13 et 57).

§ II. *De Beatitudine Formali.*

13. In quo consistat beatitudo *subjectiva* seu formalis ?

Beatitudo objectiva est quid infinitum : beatitudo autem subjectiva, cum sit actus hominis, est quid creatum et finitum, unde sit

THESIS

Beatitudo hominis subjectiva in Dei contemplatione per intellectum, cum pari amore voluntatis, essentialiter consistit.

I. Est *contemplatio et amor.* Revera beatitudo hominis subjectiva est ultima perfectio hominis simul et possessio summi boni seu Dei. Porro — 1° ultima perfectio hominis nonnisi est in operatione quæ perficiat nobilissimas ejus facultates, intellectum scilicet et voluntatem ; — 2° aliunde Deus ab ho-

1. Ps. CII, 5 ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 2, a. 8. — 2. *Confess.*, L. 1. c. 1 ; — Cf. **Boetius**, *De Consol. phil.*, L. III. — 3. **Farges**, *L'idée de Dieu*, p. 536-548. — 4. **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, p. 246 et suiv.

mine possideri nequit physice, sed intentionaliter tantum et per solas facultates spirituales. Ergo in contemplatione intellectus et amore voluntatis consistere debet beatitudo.

II. Est contemplatio cum *pari* amore : cognitioni enim proportionatur amor. — Jamvero Theologi, qui historice hominem considerant, qualem nunc esse certo constat in ordine supernaturali, visionem intuitivam essentiæ divinæ statuunt esse finem hominis. Philosophi vero, qui hypothetice hominem considerant, qualis esse potuisset in ordine naturali, cognitionem abstractivam et relative perfectissimam demonstrant esse finem ejusdem hominis. Porro visio intuitiva differt ab abstractiva (Log., n. 23) : ergo et amor correspondens[1].

III. *Essentialiter est in contemplatione.* Utrum enim essentia beatitudinis in actu intellectus vel voluntatis sita sit, controvertitur inter auctores [2]. Juxta Thomistas, habetur per actum intellectus ; juxta Scotistas, per actum voluntatis ; juxta alios, v. g., S. Bonaventuram, Albertum Magnum, Suarezium, per utrumque simul. — Porro, juxta nos, si nomine beatitudinis intelligitur quidquid plene et complete lætificat, indubium est ad beatitudinem utrumque actum requiri. Sed si radix consideratur et causa hujus status, actus intellectionis esse videtur [3].

ARTICULUS III.

De Consecutione finis ultimi.

Quæritur *an*, *quandonam* et *quomodo* obtineri possit.

14. Utrum consecutio beatitudinis sit homini *possibilis*?

Gratia non destruit, sed perficit naturam. Unde homo, licet ad finem supernaturalem vocatus, non potest non esse capax beatitudinis quam haberet in statu naturæ puræ [4]. Unde sit

THESIS

Consecutio beatitudinis omnibus possibilis est et obligatoria ; conditionate etiam pro omnibus omnino certa, imo, in aliquibus saltem, effectiva.

I. *Possibilis est* [5]. — Inest omnibus naturalis appetitus beatitudinis (n. 7), revera « beati certo omnes esse volumus [6] ».

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 5, a. 4 ; — *Contra Gent.*, Lib. III, c. 22 ; — **Ferretti**, *Inst. phil. moral.*, th. I-XX. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 2 et 3, a. 4. — 3. **Scotus**, *IV Dist.*, dist. XLIX, q. 5 ; — **Suarez**, *De Ult. fine hom.*, disp. IX. — 4. **Suarez**, *De Ultimo fine*, disp. IV, sect. III, n. 4. — 5. Cf. **Ferretti**, *Inst. Phil. mor.*, n. 17. — 6. **S. Augustinus**, *De Trinit.*, L. XIII, n. 4.

Porro repugnat appetitum naturalem suum finem assequi non posse. Ergo beatitudinem consequi possibile est.

Prob. minor. Appetitus ille naturalis est ; nempe non est actus liber, sed ipsius naturæ pondus ; — necessarius est, non enim libere, sed invicte erumpit in actum ; — denique primordialis est ; est enim ultima ratio omnium motuum voluntatis (n. 5, 6). Porro repugnat talem appetitum suum non assequi finem : secus 1. natura humana tenderet ad aliquid impossibile et esset frusta ; 2. Deus etiam impelleret inaniter suam creaturam ad finem impossibilem ; 3. sicque hominem, absque ejus culpa, crudeliter illuderet. Ergo possibilis est.

II. *Obligatoria est.* — Patet ex hominis *inclinationibus* et *officiis* (n. 11). — *Ex primis* quidem ; homo enim invincibiliter trahitur ad beatitudinem, quæ solus Deus est : ergo sequatur oportet hanc inclinationem naturæ, cujus Deus est auctor. — *Ex secundis* etiam : homo enim ad gloriam Dei creatus est, eamque procurare tenetur ; porro hæc gloria est celebratio divinorum attributorum per cognitionem et amorem, et ideo cum fine hominis mire concordat.

III. *Conditionate certa.* — Requidemvera, talis inclinatio æquivalet locutioni per quam Deus beatitudinem promisisset : ergo certa est, ex parte Dei, consecutio beatitudinis. — Non autem ex parte nostra, nam Deus potest promittere aliquid absolute, vel conditionate : porro homini, utpote libero, Deus non potuit absolute et necessario conferre beatitudinem, sed conditionate et mediante recto usu libertatis (Theod., n. 139).

IV. Saltem in *aliquibus effectiva*, juxta illud Suarezii : « Id quod nunquam accidit in omnibus individuis alicujus speciei, etiamsi quamplurima multiplicentur, merito dici potest impossibile, si non omnino physice seu metaphysice, saltem moraliter et humano modo loquendi [1]. » Ergo, etiam in ordine naturali, debuisset humana species saltem in aliquibus beatificari.

15. *Quandonam* beatitudo perfecta obtineri poterit ?

THESIS

Beatitudo inchoatur in vita præsenti : — perfecta tamen in hac vita non est, — sed solum in vita futura.

I. *Inchoatur in hac vita*[2] : — contra pessimismi fautores.

1. **Suarez,** *De Ultimo fine*, disp. IV, sect. II, n. 6 et 7 ; — Cf. **Mazzella,** *De Deo creante*, disp. VI, a. 1. — 2. *Sum. Theol.*, Ia 2æ, q. 3, a. 6 ; — q. 4, a. 6 7 ; — q. 5 a. 8 ; — Cf. **Aristoteles,** L. X, c. VIII ; — **S. Thomas,** VIII *Eth.*, lect. I.

Nam — 1° beatitudo perfecta in possessione Deiper cogni-
ionem et amorem consistit. Sed hanc Dei fruitionem, *quoad ubstantiam*, habere incipit his in terris homo, qui primario :t principaliter, in quantum valet et debet, Deum cognoscit :t amat. — 2° Vita præsens hominis tendentia est ad suum inem ultimum. Ergo vita præsens est quædam felicitas in spe. — Hinc est cur in terra nemo miserior illo qui, spreta Dei cognitione, non tendit ad suum finem.

II. *Perfecta tamen non in hac vita.* In hac enim vita — 1. non potest omne malum excludi ; sunt ignorantiæ ex parte intellectus, et inordinatæ affectiones ex parte appetitus, et multiplices pœnalitates ex parte corporis ; — 2. Similiter etiam desiderium boni in hac vita satiari non potest. Naturaliter enim homo desiderat permanentiam ejus boni quod habet. Bona autem præsentis vitæ transitoria sunt, cum et ipsa vita transeat. Unde impossibile est quod in hac vita vera beatitudo habeatur[1].

III. *Sed in altera vita.* Patet consequentia, nam consecutio beatitudinis est possibilis et certa ; sed ex una parte, non obtinetur in vita præsenti ; ex altera autem, datur alia vita immortalis tum animæ, tum etiam probabilius corporis (Psych., n. 227) ; ergo in vita futura obtinebitur perfecta beatitudo.

16. Quisnam ergo sit *modus promerendæ* beatitudinis [2] ?

THESIS

Vita præsens est status viæ et certaminis, cujus finis est per ordinis moralis observationem beatitudinem promereri.

I. Est *status viæ ad terminum et certaminis ad triumphum.* Constat 1um : secus enim esset status termini ultimi ; sed imperfecta beatitudo hujus vitæ satis demonstrat hominem his in terris non habere suum ultimum terminum. — Constat 2um ; secus enim esset locus pœnalitatis, in quem, propter scelus in anteriori vita perpetratum, homo detrusus fuisset. Quod est falsum, ut in Psychologia probatur (n. 208).

II. *Finis vitæ præsentis* est promereri beatitudinem *per ordinis moralis observationem.* Hæc enim observatio requiritur et sufficit : — 1. *Requiritur*, sive ex eo quod homo per actus

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 5, a. 3. — 2. Cf. **Castelein**, *ibid.*, p. 77-81.

ordini contrarios finem hujus ordinis consequi non potest, sive ex eo quod Deus beatitudinem suam non potest concedere inimicis qui conditiones ab eo positas non observant. — 2. *Sufficit,* tum quia homo per actus ordini conformes, quantum in sua potestate est, gradatim accedit ad finem hujus ordinis ; tum quia per actus Deo acceptabiles, dignus efficitur præmii futuri (n. 56). Ergo observetur ordo moralis.

Hinc apparet vitæ nostræ mortalis pretium et dignitas [1].

CAPUT SECUNDUM.

DE LEGIBUS ACTUUM HUMANORUM [2].

De legibus quatuor ex ordine dicemus : I° De lege *in genere* ; II° De lege *æterna* ; III° De lege *naturali* ; IV° De lege *positiva,* quarum notiones aliæ ab aliis defluunt et explicantur.

ARTICULUS I.

De Lege in universum.

Tria de lege in communi investigat S. Thomas : nempe *naturam* legis, *species* legum et *effectus* legum.

17. *Quid sit* lex in universum, et speciatim lex moralis ?

A. — « *Dicitur* lex a *ligando* (juxta alios a *legendo* [3]) quia obligat ad agendum [4]. » Est nempe norma seu causa exemplaris, cui res debent esse conformes, sive physicæ, sive artificiales, sive morales : ex quo, juxta Platonem [5], dantur leges physicæ, leges artium et leges morum.

B. — Lex *moralis,* duce S. Thoma, communiter definitur : « *Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata* [6]. » Hinc quatuor importat :

1° Est *ordinatio rationis* : en legis elementum *formale.* Lex enim designat regulam præceptivam, non arbitrariam, sed rationabilem, quæ actus humanos ad finem debitum ordinat.

2° Ordinat *ad bonum commune* : en causa *finalis* legis. —

1. **Ollé-Laprune**, *Le prix de la vie*, Paris, 1894. — 2. Cf. **Plato, Tullius, Varro**; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 90-97 ; — **Suarez**, *De Legibus* ; — **Domat**, *Traité des lois* ; — **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, p. 252-283. — 3. **Tullius**, *De Legibus*, I, 6. — 4. *Sum., Theol.*, 1a 2æ, q. 90, a. 1. — 5. *Dialog. Minos.* — 6. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 90, a. 1 et 2.

Est ad bonum : lex enim dirigit ad finem ; porro « ultimus finis humanæ vitæ est felicitas, vel beatitudo ». — Est ad bonum commune : nam homo est tantum pars communitatis ; porro pars ordinatur ad totum sicut ad perfectum.

3º *Conditur ab eo qui curam* communitatis habet : en causa *efficiens* seu legislator. Nemo enim communitati præcipere potest, nisi sit illius præses et rector : « non est ergo cujuslibet facere legem ».

4º Tandem conditio legis est ut *sit promulgata*[1] ; secus non obligaret *subjectum* seu causam *materialem* legis. Requidem vera, subditi non tenentur actus suos secundum legem regulare, quamdiu eam cognoscere non possunt.

Hinc conscientia individua non potest facere legem, imo nec eam promulgare nisi in nomine superioris.

18. Quænam ex definitione defluant legis *proprietates*?

Quatuor sunt : *possibilitas*, *justitia*, *utilitas* et *stabilitas*.

Sit lex *possibilis*, non enim ad impossibile ordinari nec teneri potest homo. — Sed etiam *justa*, quia est ordinatio rationis : secus non esset moralis, sed mera legalitas ; et ideo procedat ab habente auctoritatem : secus violaretur justitia *commutativa* ; necnon subditis imponat onera secundum æqualitatem : secus violaretur justitia *distributiva*. Hoc in sensu tantum, verum est : « Quidquid placuit Cæsari, legis habet vigorem », sed falsum omnino illud poetæ :

« Hoc volo, sic jubeo ; sit pro ratione voluntas[2]. »

Insuper *utilis* : patet ex fine legum, quæ ab bonum communitatis tendere debent. — Denique per se *stabilis* ; pendet enim a legislatore et obligat, donec ab eo revocetur.

Hinc differunt *lex*, *edictum*, *præceptum* : nam præceptum uni, edictum etiam communitati, sed ad tempus ; lex vero toti communitati et in futuro stabilem imponit obligationem[3].

19. Quænam esse possint variæ *species* legum[4].

Ex dictis, leges sunt ordinationes rationis : sed non omnes feruntur eodem *tempore*, nec manifestantur eodem *medio*, nec immediate imponuntur eadem *auctoritate*, nec directe tendunt ad eumdem *finem*. En ergo legum genesis :

1. *Ibid.*, a. 4. — 2. **Juvenalis**, *Sat.*, VI, 223. — 3. **Ferretti**, tom. I, n. 90-92. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 91 ; — **Suarez**, *De Legibus*, L. II, q. 4, n. 6 et 8.

Lex fertur

vel ab æterno,	vel in tempore,
et dicitur lex *æterna* ;	et vocatur lex *temporalis.*

Lex temporalis manifestatur

vel per evolutionem rationis,	vel per signum sensibile,
et tunc est lex *naturalis* ;	et tunc est lex *positiva.*

Lex positiva imponitur

vel immediate a Deo,	vel mediante auctoritate hominum,
et appellatur *divina* ;	et nuncupatur *humana.*

Lex humana respicit finem

vel societatis civilis,	vel societatis religiosæ,
et nominatur lex *civilis* ;	et ut talis dicitur lex *ecclesiastica.*

20. Quisnam sit *finis* remotus et proximus legis ?

A. — *Finis* legis *remotus* est *facere homines bonos.* Constat ex eo quod subditos dirigit : « cujuslibet autem subditi virtus — quæ facit bonum habentem — est ut bene subdatur gubernanti [1] ».

B. — *Finis* autem *proximus est officium seu obligatio.*

Est autem obligatio *necessitas non physica, sed moralis, ad aliquem actum seu omissionem a superiore in subdito causata.* — Est *necessitas* et quidem absoluta, communiter enim obligatio intelligitur id quod ligat voluntatem, etiamsi ligari nolit. — Non *physica* ; secus enim tolleret libertatem, sive a determinatione intrinseca naturæ, sive a violentia extrinseca procederet. — Sed *moralis*, ea sc. quæ ratione apprehenditur et voluntati libere proponitur.

Dixi : a superioris *auctoritate* causata : en *origo* obligationis, sc. auctoritas seu jus imperandi voluntati, in eaque causandi pro singulis officium obedientiæ [2]. Hinc jus latius patet quam auctoritas ; siquidem omnis auctoritas jus est, non vicissim.

ARTICULUS II.

De lege Æterna [3].

21. *Quid sit* et *utrum sit* lex æterna in Deo vel non ?

A. — Ex dictis, lex æterna recte definitur ab Angelico : « *Ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum* [4]. » Consonat S. Augustinus : « Ratio est

1. *Sum. Theol.*, q. 92, a. 1. — 2. **Castelein**, *ibid.*, p. 289. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 93 ; — **Farges**, *ibid.*, p. 262. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 93, a. 1.

vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans. » Ratio est *directiva*, nempe ratio quatenus habet voluntatem annexam : — directiva *omnium*, sc. irrationabilium modo necessario et rationabilium moraliter et libere.

Hinc lex æterna non est *necessaria simpliciter*, sed secundum quid ; nempe, statuta creatione, necesse est ut Deus aliquam ordinationem concipiat et velit in rebus.

B. — Sit ergo

THESIS

Existit lex Dei æterna [1].

Prob. — Ratio legis *quatuor* importat (n. 17). Porro hæc quatuor in Deo sunt : nempe *ordinatio* rationis omnium rerum, — in *bonum commune*, — a Deo tanquam a *principe* supremo, — denique *promulgata* ; hæc quatuor nunquam defecerunt in hypothesi creationis efficiendæ. Ergo tota communitas orbis universi ratione divina ab æterno gubernatur, et « hoc habet rationem legis ». — Secus Deus non esset sapiens, si nesciret ordinem ; non esset sanctus, si nollet ordinem cognitum ; non esset providus gubernator, si hunc ordinem prosequendum non imponeret creaturis.

C. — *Objiciunt* plures : hæc rerum ordinatio nomen legis non meretur, nam ipsi deest triplex necessaria legis conditio :

1° *Subjectum* deest, nam ab æterno creaturæ non existunt. Ergo.

Resp. Ergo lex *passive* non est in subditis, *conc.* ; non est *active* a Deo, ut lex Dei, *nego*, nam creaturæ actu præexistunt in ratione divina, a qua ab æterno præcognosci et præordinari potuerunt.

2° *Finis* deest, nam ab æterno nullus est finis ad quem ordinem haberet hujusmodi lex. Ergo.

Resp. Nullus est finis Deo extrinsecus, *conc.* ; finis Deo intrinsecus, *nego* ; hinc enim omnia ad seipsum ab æterno ordinat.

3° *Promulgatio* deest ; non enim erat ab æterno cui promulgaretur [2].

Resp. Ergo lex æterna non habet promulgationem ex parte audientis, *conc.* ; ex parte Dei imperantis, *nego*. Hoc autem sufficit ut jam non sit simplex propositum ferendi legem, sed, ex parte Dei, lex firma et completa, ita ut quælibet creatura, simul atque existit, ab ea ligetur.

ARTICULUS III.

De lege Naturali [3].

Quæritur *quid sit, an sit*, et *qualis sit* lex naturalis.

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 91, a. 1. — 2. *Ibid.*, ad 2 ; — q. 93, a. 1, ad 2. — 3. *Ibid.*, q. 94 ; — **Farges**, *ibid.*, p. 265.

22. *Quid sit* lex naturalis ?

A. — Hoc nomine venit lex quæ per lumen *naturale* rationis innotescit, quia ab essentiis seu *naturis* rerum deducitur, — quæ a *natura* seu a Deo, tanquam auctore naturæ procedit, — necnon ducit hominem ad suum finem *naturalem*.

Unde, quoad rem, lex naturalis recte definitur : « *participatio legis æternæ in rationali creatura*[1] ». Porro lex æterna est ratio divina quatenus est directiva omnium actuum et motionum ; ergo lex naturalis erit « impressio luminis divini in nobis, quo discernimus quid sit bonum et quid malum[2] ». — Mira quidem participatio ! siquidem « omnia participant aliquatenus legem æternam » etiam res physicæ, homo autem « excellentiori quodam modo », in quantum ipse, ope ra- « tionis, Providentiæ fit particeps, sibi ipsi et aliis providens ».

B. — Sed quæritur in quo consistat illud lumen participatum ?

Resp.: — 1° vel in ipsa vi discernendi bona et mala moraliter (Alex. Halensis) ; — 2° vel in ipsa natura rationali, prout ipsi, ratione suæ essentiæ, aliqui actus conveniunt, aliqui disconveniunt (Vasquez) ; — 3° vel in dictamine rationis præcise ostendentis quid naturæ rationali conveniat aut disconveniat (Gabriel) ; — 4° vel in lumine naturali ut impresso et a lege æterna participato (Billuart et Thomistæ). Quæ quidem quatuor non sibi pugnant.

23. *Utrum sit* in homine lex naturalis ?

Existentiam hujus legis indirecte rejiciunt aut directe impugnant athei, pantheistæ, materialistæ, et positivistæ[3]. Adversus hos sit

THESIS

Existit lex naturalis, mentibus hominum a Deo impressa.

Prob. 1. — *Conscientia.* Nam cuilibet homini evidentissisme constat nobis esse lumen seu « dictamen » quoddam naturale, seu etiam, ut aiunt, *imperativum categoricum*, cujus ope dignoscimus quid sit bonum et quid malum, quid sit faciendum et quid fugiendum : quoties enim huic interno lumini obtemperamus, animæ gaudio reficimur ; quoties autem ei reluctamus, conscientiæ stimulis angimur.

2. *Ratione.* Nam omnibus entibus naturaliter insunt quædam principia, quibus non solum operationes proprias efficere

1. *Sum. Theol.*, *ibid.* et Supp., q. 65, a. 1 ; — IV *Sent.*, dist. XXXIII, q. 1, a. 1. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 99, a. 2. — 3. Cf. **Mandeville**, *La Fable des Abeilles* ; — **Taine**, *Hist. de la littér. en Angleterre* ; — **Guyau**, *Esquisse d'une morale sans obligation, ni sanction.*

possunt, sed quibus eas convenientes suo fini reddant[1]. Sed homo non est pejoris conditionis quam animalia. Ergo lumen habet quo rationem finis cognoscat et proportionem debitam sui operis ad finem, quod est lex naturalis. — Secus natura deficeret in necessariis et Deus in causa esset, si, cognito Deo seu Domino omnium supremo, lex ejus non cognosceretur.

3. *Indirecte* seu e pravis consectariis sententiæ oppositæ. — Rejecta enim legis naturalis existentia, vel nullum superest moralitatis fundamentum vel illud fundamentum ab hominum arbitrio pendet, et ideo non est stabile, nec immutabile, sed mutari potest ab ipsis hominibus. Exinde furtum, rapina, homicidium et alia hujusmodi, modo illicita, modo licita fieri possent ; hæc autem omnia rationi contradicunt.

Confirmatur auctoritate populorum et philosophorum, nam

a) Apud omnes *gentes*, tum excultas, tum sylvestres, omnibusque temporibus, constat unanimem esse consensionem in admittenda legis naturalis existentia ; sic apud omnes viguerunt et vigent illa præcepta : alteri ne feceris quod tibi fieri non vis, bonum est faciendum, malum est vitandum, et alia hujusmodi. Sed hac in re consensio omnium est motivum infallibile certitudinis (Log. n. 240) ; agitur enim de veritate gravissimi momenti, quæ ad praxim maxime attinet et cupiditatibus adversa est.

b) Qui jure habentur ut *parentes philosophiæ* moralis, nempe apud Græcos : Socrates, Plato, Aristoteles, aperte docuerunt unicuique hominum inditam esse legem naturalem. — Inter eos vero qui, prisca ætate, apud Romanos floruerunt, sic loquitur Tullius : « Est enim hæc non scripta, sed *nata* lex, quam non didicimus, accepimus, legimus ; verum ex natura ipsa arripuimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus[2]. » — Denique apud recentiores, maxima pars philosophorum palam asserunt hanc legem esse hominibus insitam ; ne exceptis quidem scepticis, qui de cæteris dubitant[3]. Sic Kantius : « Deux objets emplissent l'âme d'une admiration et d'un respect toujours renaissants : au-dessus de nous le ciel étoilé, au-dedans la loi éternelle[4]. »

24. Hinc fit satis *objectionibus* contra legem naturalem.

Obj. 1°. — Sola virium naturalium evolutio sufficit, ut homo finem suum assequatur : ergo lex naturalis non existit[5].

Resp. *Dist. ant.* : sufficit in ordine materiali et ad finem materialem, *conc.* ; in ordine spirituali et ad finem homini debitum, ***nego***. — Actus enim qui procedunt a voluntate libera, non a

1. IV *Sent.*, dist. XXXIII, q. 1, a. 1 ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 91, a. 2. — 2. *Oratio pro Milone.* — 3. **Voltaire**, *Loi natur.* ; — Cf. **Hume**, *Recherches*, § 1.— 4. *Critique de la raison pratique* (Barni). — 5. **Spinoza**, *Tract. Theol. politic.*, c. 4 ; — **Taine**, *Les philosophes classiques au* XIXe *siècle* ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 91, a. 2, obj. 2.

cæco naturæ instinctu sed a lumine rationis » regulari et mensurari debent ».

Obj. II°. — Lege naturali tollitur libertas ; ergo illa lex non existit.

Resp. *Dist. ant.* Lege naturali libertas sapientissime regitur, *conc.* ; tollitur, *subd.* ; moraliter, *conc.* ; physice, *nego* : — lege enim perficitur tantum et dirigitur ad suum finem naturalem.

Inst. I. — Tunc autem hominis conditio fit pejor conditione cæterorum animalium ; hæc enim legi naturali non subduntur. Ergo nec homo.

Resp. *Nego ant.*, nam melius et nobilius est se ipsum ad finem dirigere, ducente lumine rationis, et libere agere, quam necessario et cæco impulsu regi tanquam bruta.

Inst. II. — Sed « quanto aliquis est liberior, eo minus est sub lege » ; ergo homo, minus quam animal, legi subdatur oportet.

Resp. *Dist. ant.* : minus est sub lege physica, *conc.*, sub lege rationis, *nego prorsus.*

25. Utrum et quatenus lex naturalis sit *immutabilis*[1] ?

A. — Est *immutabilis*, tum *ab intrinseco*, tum *ab extrinseco* ; ita contra Puffendorff et rationalistas hodiernos.

Et verum lex æterna fundatur in essentiis rerum ; atqui lex naturalis est expressio legis æternæ ; ergo mutari nequit *ab intrinseco*, ut evenit in legibus positivis per cessationem ipsius finis legis ; sic, mendacium nunquam potest non esse malum.

Sed *nec ab extrinseco* mutatur seu per mutationem factam virtute superioris. Nec enim Deus (nec a fortiori legislator humanus) efficere potest, ut quod intrinsece malum est, jam amplius non sit malum. Ideo legem naturalem *abrogare* seu tollere, illi *derogare*, partem scilicet illius infringere, super eam *dispensare*, id est, ab obligatione illius relaxare, si vocabula ista *stricte* sumantur, nunquam est licitum.[2] « Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus[3]. »

B. — *Dixi* : si vocabula *abrogare, dispensare* et *derogare* stricto sumantur sensu, quatenus dicunt mutationem formalem ex parte ipsius legis, sed lato sensu quædam apparens mutatio fingi potest per subtractionem materiæ legis. V. g., Deus, qui non potest permittere furtum aut homicidium, permisit tamen Ægyptios spoliari, jussitque Isaac immolari, quia virtute supremi ejus dominii in creaturas, res acceptæ jam non erant alienæ, occisioque

1. **Ferretti,** *loc. cit.*, n. 107-109. — 2. Cf. **Lactantius,** *De vero cultu* ; — **S. Bernardus,** *De præcept. et dispensat.* — 3. **Tullius,** *De Rep.*, L. III.

jam non erat ex auctoritate privata. — Sed de his fusius in Theologia [1].

ARTICULUS IV.

De Lege Positiva [2].

En natura, *existentia*, et *conditiones* legis positivæ.

26. Quid et quotuplex sit lex *positiva* ?

A. — Definitur : *ordinatio rationis, quæ dimanat a libera voluntate legislatoris, et legi naturali superadditur.*

Hinc quintuplici ex parte differt a lege naturali. — 1º *Ratione auctoris*, non enim necessario, sed per liberam voluntatem legislatoris ponitur. — 2º Ratione *materiæ*, quia saltem *directe* non versatur circa res ex natura sua seu intrinsece bonas aut malas. — 3º Ratione *subjecti* : nam lex naturalis necessario imponitur omnibus hominibus, positiva autem membris tantum communitatis pro qua lex fertur. — 4º Ratione *finis* ; respicit enim aliquem finem specialem, sive temporalem, sive supernaturalem, ut lex divina. — 5º Ratione *promulgationis* ; non enim imprimitur in cordibus nostris, sed viva voce, melius scriptura, id est, aliquo signo sensibili fertur [3].

B. — Duplex est : *divina* et *humana* ; hæc autem totuplex, quotuplex dari potest societas sub auctoritate legitime constituta ; imprimis vero ecclesiastica et civilis.

27. Utrum lex positiva *pendeat* a lege æterna et naturali ?

I. *Lex* positiva *divina* aliquid habet legis æternæ et naturalis. Si nempe active consideratur in Deo, est sicut lex æterna, ordinatio rationis æternæ, licet ex voluntate libera. — Si passive consideratur in subditis, sicut lex naturalis in tempore participatur in hominibus, licet secundum alium modum promulgationis.

II. Lex autem *humana* ab utraque lege prædicta pendet.

Primo quidem a *lege æterna* : ab ea enim accipit suam rectitudinem et vim obligatoriam. Nam, ex una parte, ratio legislatoris humani non est recta, nisi quatenus conformiter ad Rationem æternam operatur : ex alia vero legislator non a seipso,

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 94, a. 5 ; — **Farges**, *ibid.*, p. 277. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 95-97 ; — **Ferretti**, *loc. cit.*, n. 136-145 ; — **Mendive**, *Jus naturale*, 366-387. — 3. **Suarez**, *De Legibus*, L. III, c. 15, n. 6.

sed a Deo dimanantem habet auctoritatem ad subditos regendos. Ergo duplici ex parte pendet a lege æterna.

Secundo etiam a lege *naturali* : — 1. Quandoque enim non est nisi *declaratio* et sanctio præceptorum quæ continentur in lege naturali, v. g., non occides. — 2. Quandoque autem est *determinatio* quædam specialis eorum quæ sunt indeterminata in lege naturali, sicut, v. g., dies colendi Deum. Porro lex positiva — in primo casu, obligationem ex novo titulo, — in secundo, novam obligationem addit legi naturali, sed ei contradicere non potest, — in utroque tandem casu, præsupponit legem naturalem, suamque vim accipit ab hoc legis naturalis præcepto : ministris Dei obediendum est. Ergo ab ea pendet.

28. Utrum inter homines *dentur* vere leges positivæ ?

Ad hoc requiritur et sufficit ex una parte communitas, ex altera *legislator humanus qui ei possit et debeat imponere legem.* Porro

1° Non deest *communitas*, quæ sit subjectum legis : a Deo enim, tanquam auctore naturæ, procedit multiplex societas civilis ; a Christo tanquam auctore ordinis supernaturalis, dimanat societas ecclesiastica.

2° Nec ei deest *legislator*[1], qui *possit* imponere legem, — tum quia societas, quæcumque sit, indiget rectore qui curam illius habeat, — tum quia ad œconomiam Providentiæ pertinet ut res inferiores per causas superiores gubernet : proindeque largiatur principibus potestatem legislativam, quæ a Deo solo habet originem (n. 117).

3° Ideo autem princeps potest condere legem, quia etiam *debet* : siquidem ex officiis jura habent originem (n. 67). Debet autem duplicem ob causam : — *Primo* quidem ad promovendam legis naturalis observantiam ; hæc enim non est satis determinata relative ad personas, locum, tempus et circumstantias particulares ; nec est satis nota saltem quoad conclusiones remotas ; nec perfecte sancita, cum indiget sanctione temporali. — *Secundo* ad quietam et tranquillam vitam temporalem, unde S. Isidorus : « Factæ sunt leges ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia et in ipsis improbis, formidato supplicio, refrenetur nocendi facultas[2]. »

29. Quænam sint essentiales legis positivæ *conditiones* ?

Lex *divina* a justitia deficere nequit : sed non ita lex humana. Discant ergo statulatriæ sectatores conditiones, quibus deficientibus, lex mera est iniquitas, violentia, abususque potestatis. Hæ vero quinque sunt : nam injustæ sunt leges uno modo « *per contrarietatem ad bonum divinum* », et quadruplici modo per contrarietatem ad bonum humanum, nempe ex parte finis, auctoris, materiæ et formæ legis. — Fusius :

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 96, a. 4. — 2. V. *Etymol.*, c. xx-1 ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 95, a. 1 et 3.

1. Lex *humana* non *adversetur legi naturali aut divinæ*, non enim inferior potest prævalere contra superiorem. Hinc injustæ sunt omnino leges quæ cives avertunt a cultu veræ religionis et virtutis.

2. Idonea sit ad conducendam *communitatem ad finem suum*. Si quæ vero, bono communi neglecto, tendit in bonum privatum, sive individui, sive cujusdam oligarchiæ, non est vera lex ; a fortiori quæ ad aliquam populi partem vexandam et opprimendam ordinatur.

3. Non *excedat potestatem legislatoris*. Nam, si lex fertur ab eo qui non habet potestatem in materia quam præcipit, est injusta : ut si potestas civilis obliviscatur effatum : « de internis non judicat prætor » vel in forum Ecclesiæ usurpet.

4. Sit *possibilis*, non tantum physice, sed moraliter. Ergo lex humana non omnes virtutum actus præcipere potest, sed eos duntaxat qui « ordinabiles sunt ad bonum commune vel immediate vel mediate » ; — item « graviora » tantum vitia prohibere debet, « sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset [1] ».

5. Denique onera subditis imponat *secundum æqualitatem proportionis*, id est, habita ratione facultatum uniuscujusque : alioquin violaretur justitia distributiva.

LIBER SECUNDUS.

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM.

Absolutis quæstionibus de principiis extrinsecis, sc. de causa *finali* et de causa *exemplari* actuum humanorum, disserendum superest de principiis intrinsecis, sc. de causa *efficiente*, *materiali* et *formali*. Unde tria capita : I. *De Voluntario* ; II. *De moralitate Materiali* ; III. *De moralitate Formali* ; — quibus addemus IV. *De Consectariis* actuum humanorum intrinsecis, quæ sunt eorumdem causa finalis *proxima*.

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 96, a. 2, 3 et 4.

CAPUT PRIMUM.

DE VOLUNTARIO ACTUUM HUMANORUM [1].

Iis quæ jam in Psychologia (n. 103) dicta sunt, pauca de voluntarii liberi *natura, genesi et variis impedimentis* addere libet.

30. Quid sit voluntarium liberum seu *actus humanus* ?

A. — Est voluntarium *id quod procedit ab intrinseco principio cum prævia cognitione finis* [2]. Hoc principium est voluntas seu appetitus rationalis ; — hæc prævia cognitio est actus intellectus per quem solum regitur voluntas et hic finis est res quælibet sub ratione finis apprehensa.

Quapropter ad actus voluntarietatem duo requiruntur : spontaneitas ex parte principii efficientis et cognitio finis. Unde : — 1ª deficiente, non erit voluntarium, sed *coactum* quod procedit ab extrinseco, contra voluntatem, v. g., incarceratio ; — 2ª deficiente, voluntarium non est sed *naturale* quod procedit a principio intrinseco, non quidem cognoscitivo : v. g., motus cordis. Similiter involuntarium erit : — 3. *Violentum*, quod procedit a violentia vel motu extrinseco ; — 4. *Ignotum*, quod accidit agenti ex concupiscentia vel ignorantia, v. g., motus primo-primus, vel si quis occidit amicum credens esse belluam.

B. — Jamvero *voluntarium* duplex est : *necessarium* et *liberum*. Valetque divisio, quamvis, ex usu loquendi omnium, voluntarium et liberum sæpius identificentur. Non enim omne voluntarium est liberum ; nam, si omnes voluntatis actiones sunt voluntariæ, non omnes sunt actus liberæ electionis inter plura (Psych., n. 111) ; tale est, v. g., desiderium beatitudinis quam non velle non possumus.

C. — *Actus* autem *humanus* idem sonat ac voluntarium liberum : est nempe actus qui *sub influxu voluntatis deliberatæ procedit*. Hinc humani dicuntur et sunt, tum actus *eliciti* a voluntate deliberata, tum actus alterius facultatis *imperati* a voluntate deliberata.

Actus autem *hominis* dicuntur qui, vel ab ipsa voluntate indeliberate, vel non ex ejus imperio fiunt [3].

1. **Ferretti**, *Inst. Phil. mor.*, t. I, c. II, p. 107-136 ; — **Mendive**, *Eth. Gen.*, cap. I, n. 5-73. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 6, a. 2, 4, 5, 12. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 1, a. 1 ; — **Billuart**, *De Ultimo fine*, dissert. 1, a. 2.

Hinc patet non dari medium inter necessarium et liberum. In liberis autem gradus adsunt, sicuti major aut minor gradus cognitionis, atque major aut minor consensus voluntatis.

31. **Quisnam sit *processus psychologicus* actus moralis ?**

Duodecim sunt motus intellectus et voluntatis ad integritatem actus humani concurrentes (Psych., n. 84), quos ob rei momentum et ad intelligentiam dicendorum ordinare juvat in schemate sequenti [1] :

Actus

Intellectus	**Voluntatis**	
I. — Respicientes finem.		
Ordo intentionis.		
1. *Apprehensio simplex* et speculativa nostri boni perfecti seu finis.	2. *Simplex volitio* seu appetitus inefficax boni jam apprehensi.	*Velle.*
3. *Judicium synderesis* proponens finem ut bonum honestum et assequibile.	4. *Intentio efficax* seu appetitus absolutus circa finem propositum.	*Intendere.*
II. — Respicientes media ad finem.		
A. — **Ordo electionis.**		
5. *Consilium circa media* ad obtinendum finem intentum.	6. *Consensus approbans* sine prælatione omnia media apta ad finem.	*Consentire.*
7. *Judicium praticum* quo præfertur hic et nunc medium inter cætera aptius.	8. *Electio libera* consequens judicium ultimum practicum.	*Eligere.*
B. — **Ordo executionis.**		
9. *Imperium rationis practicæ* præcipiens executionem medii et dictans : *fac hoc.*	10. *Usus activus* applicans potentias ad executionem medii.	*Uti.*
11. *Usus passivus* seu actus imperati potentiarum executivarum.		*Uti.*
12. *Fruitio* consequens in voluntate actum consummatum.		*Frui.*

Jam, uti vides et quia voluntas sequitur intellectum, unicuique actui intellectus speculativi aut practici respondet, juxta ordinem numerorum 1 et 2, 3 et 4, 5 et 6, actus voluntatis, usquedum, post judicium intellectus practicum... ultimum, nempe 7, eliciatur actus liber ; — nisi quod, undecimo loco, actus jam imperati a quibuscumque potentiis et etiam ab ipsa voluntate elici possunt.

1. Cf. *Sum. Theol.*, 1a 2a, q. VIII-XVII ; — **Gardeil**, in *Diction. de Théol. cath.*, mot *Election* ; — **Beaudouin**, *de Conscientia*, p. 6.

32. Utrum et quænam sint *impedimenta* voluntarii liberi [1] ?

A. — Voluntarium liberum duo supponit, nempe quod actus sit juxta inclinationem principii intrinseci, et quod fiat cum deliberatione seu cognitione finis. Hinc quæcumque tollunt, minuunt vel augent unam vel alteram conditionem, libertatem actus similiter tollunt, minuunt vel augent, et in primo et secundo casu vocantur *impedimenta*.

B. — Hæc autem impedimenta duplicis sunt generis : sc. remota et proxima.

1° *Proxima* et fere classica quatuor sunt [2] : duo enim contra voluntatis inclinationem agunt, sc. *violentia* et *metus* ; duo autem impediunt finis cognitionem, sc. *concupiscentia* et *ignorantia* : quibus additur ex utraque parte *habitus*, qui etiam per *educationem* firmantur.

a) *Violentia* est *vis externa illata renitenti*. Porro violentia non proprie cogit voluntatem : nam actus elicitus fit interne et sub vi exteriori cadere nequit : solummodo afficit actum a voluntate imperatum, cujus libertatem violentia absoluta tollit. Indirecte tamen et per actum externum quem agens omnino efficere cogitur, violentia consensum voluntatis sollicitat in eamque influit.

c) *Metus* est *trepidatio mentis ob aliquod periculum imminens*. Duplex est : *levis* et *gravis*. Si prius, non tollit, nec vere minuit liberum. Si posterius, minuit, sed non tollit, nisi quando ita *vehemens* est, ut tollatur ipse rationis usus.

c) *Concupiscentia* est motus appetitus bonum *sensibile* prosequens. Duplex est, *antecedens* et *consequens* consensum voluntatis : antecedens auget quidem voluntarium, sed liberum minuit aut etiam tollit eodem gradu quo minuit aut tollit rationis usum ; consequens autem passio, quæ libere nutritur in corde, adauget liberum, nedum illud tollat.

d) *Ignorantia* est *carentia scientiæ debitæ* et duplex est : *vincibilis* et *invincibilis* prout, adhibita morali diligentia, expelli potuit vel non. Jamvero ignorantia moraliter invincibilis tollit, actualiter autem vincibilis minuit tantum, sed si fuerit affectata, auget liberum et imputabilitatem [3].

1. Castelein, *ibid.*, p. 20. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 6, a. 5. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2a, q. 76, a. 4.

e) *Habitus* operationem hominis uniformem et faciliorem reddunt (Psych., n. 26). Quapropter, si libere fuerint acquisiti et libere conserventur, augent libertatem sive ad bonum sive ad malum : si vero fuerint involuntarie acquisiti aut efficaciter retractati, voluntatis inclinationem augere quidem pergunt, sed tollunt rationis indifferentiam proindeque plus minusve minuunt liberum[1].

f) Porro *educatio* ipsa est quæ format aut confirmat habitus. Quare, nutriendo circa multa ignorantiam etiam invincibilem vel passiones variis modis excitando, educatio magnum in libertatem habet influxum[2].

2º *Remota* sunt impedimenta quæ directum in corpus et functiones organicas, indirectum ergo et magis remotum in intellectum et voluntatem exercent influxum. Unde

33. Quænam sint *remota* impedimenta voluntarii liberi ?

Hæc duo sunt : *temperamentum* in omnibus, et in quibusdam *status pathologici.* De quibus pauca :

A. — *Propensiones temperamenti* quatuor aut tres sunt præcipuæ ex dictis in Psychologia (n. 205). Porro, sive sint hereditariæ, sive nativæ, sive propria voluntate immutatæ, *ordinarie* non tollunt, minuunt tamen liberum[3].

1º *Non tollunt* — contra deterministas, juxta quos dantur individua, imo familiæ naturaliter aut lege hæreditatis vitiosæ. — Sed contra : tum experientia, tum historia constat quod in eodem homine actus boni et mali, quod in eadem familia filii virtuosi et vitiosi, quod cum omnibus temperamentis sancti et scelerati inveniuntur. Unde Angelicus : « Anima regit corpus et repugnat passionibus quæ *complexionem* sequuntur : ex complexione enim aliqui sunt magis aliis ad concupiscentias vel iras apti, qui tamen magis ab eis abstinent propter aliquid refrenans, ut patet in continentibus[4]. »

2º *Minuunt* tamen, quatenus hisce propensionibus obnubilatur ratio et enervatur potentia voluntatis. — Dixi : *ordinarie* : quandoque enim ex temperamento oriri potest quædam amentiæ species, quæ etiam a parentibus in filios traducitur et penitus tollit liberum.

B. — Status autem pathologici triplicis generis habentur[5] :

a) Sunt imprimis quibus *aboulia* vel in contrarium *impulsio vehemens* dominatur[6]. Si aboulici, hæsitant suosque actus et motus exsequi non valent ; si impulsivi, non valent non exsequi. Utrisque igitur saltem in actu, si non in causa, tollitur

1. *Ibid.*, q. 49-54. — 2. **Dupanloup**, *de l'Education* ; — **Guibert**, *le Caractère.* — 3. **Ribot**, *L'Hérédité psychologique* ; — **Fouillée**, *Tempérament et caractère.* — 4. *Contra Gentiles*, L. II, c. 63. — 5. Cf. *Revue Thomiste*, XIII, 622-XIX, 174. — 6. **Ribot**, *Les Maladies de la volonté.*

liberum aut valde minuitur : patiuntur enim facultates executivæ quamdam necessitatem ab intrinseco, quæ indirecte influit in voluntatem.

b) Sunt alii qui *neurasthenia* aut etiam *hysteria* laborant. *Prior* est status in quo nervi apparent ita debilitati et exhausti ut agens mentaliter et physice valde deprimatur : quo in casu voluntas non cogitur quidem, sed admodum inconstans et infirma est, et ideo minuitur, quin tollatur liberum [1]. — *Posterior* hodie definitur status in quo, propter anesthesiam unius partis organismi et hyperesthesiam alterius, maximam vim obtinet suggestibilitas, sive sit spontanea, sive sub actione suggestoris acquisita et inveterata : quo in statu valde minuitur aut etiam tollitur liberum, quin possit in praxi determinari aliter ac perpensis omnibus circumstantiis [2].

c) Sunt tandem qui *in sommo hypnotico suggestionis ope* versantur. Porro quæ tunc fiunt, quamdiu perdurat sommus, libera non sunt. Utrum etiam quæ postea in statu vigiliæ, vi anterioris suggestionis adimplentur ? affirmat schola Nanceiensis, negat autem Parisiensis. Utraque tamen, ex dictis in Psychologia (n. 206), *in causa* imputari suo subjecto possunt [3].

Corol. — *Uti vides*, hæc impedimenta remota non sunt proprie *morbi voluntatis*, quæ est spiritualis, sed tantum et directe saltem, organismi nervosi cujus læditur æquilibrium.

CAPUT SECUNDUM.

DE MORALITATE MATERIALI ACTUUM HUMANORUM.

34. Quid et quotuplex sit *moralitas* ?

A. — Moralitas in universum *quædam est proprietas actuum humanorum, vi cujus alii dicuntur recti, honesti, boni* ; *alii* vero *pravi, inhonesti, mali*. Porro « de bono et malo in actionibus oportet loqui sicut de bono et malo in rebus [4] ». In rebus autem quamdam plenitudinem aut aliquem defectum entis important. Ergo bonum *morale* seu actionum quædam erit

1. **Dubois**, *Les Psycho-névroses et leur traitement moral.* — 2. **D'Alès**, *Diction. apologét.*, mot *Hystérie.* — 3. **Mercier**, *Psychologie*, n. 203. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 18, a. 1.

plenitudo, et malum morale quædam privatio, actibus voluntariis competens, et inferius (n. 37) determinanda.

B. — Duplex est moralitas : materialis seu *objectiva*, et formalis seu *subjectiva*. — Prior inest objectis moralibus cum omnibus suis circumstantiis, in quæ voluntas libere ferri potest et quæ regulis morum conveniunt vel dissonant : hæc autem moralitas redundat in actibus quibus objectum morale prosequimur. Posterior spectatur in solis actibus subjectivis, et prout a voluntate deliberata procedunt. Una ergo conditiones objectivas boni et mali moralis : alia autem conditiones actuum moralium subjectivas seu ex parte agentis determinat. De posteriori dicendum est in capite sequenti. — De priori nunc quæritur an sit, quid sit et unde sit. Unde tres articuli : I^us^ de *Existentia*, II^us^ de *Natura*, III^us^ de *Fontibus* boni et mali materiali seu moralitatis objectivæ.

ARTICULUS I.

De Existentia moralitatis objectivæ.

35. Utrum *existant* bonum et malum morale [1] ?

Negant imprimis *sceptici*, qui verum a falso, bonum a malo non secernunt, — necnon Fatalistæ, Athei, Pantheistæ, Materialistæ, nam, quæcumque sit moralitas, sine Deo et libertate stare nequit, — denique hodierni positivistæ, v. g., Taine [2]. — Quibus duo concedimus, sc. — plura objecta per se nec bona nec mala esse, — plura honesta vel inhonesta tantum fieri, *quia* præcipiuntur vel prohibentur. Sed præterea sit

THESIS

Sunt actionum objecta, quæ per se intrinsecus bona vel mala, honesta vel inhonesta sunt.

Prob. — 1. Ex *sensu communi*. Nam, in ordine practico non aliter ac in ordine speculativo, quædam sunt propositiones ex se evidentes : v. g., bonum est faciendum, malum est vitandum, Deum colere et patrem honorare oportet... De quibus Stagyrita : « Dubitantes, utrum dii sint colendi et parentes diligendi, necne, pœna indigent [3] », non argumentis.

2º Ex *conscientia*. Nam ea quæ semper et in omnibus gignunt effectus essentialiter oppositos in conscientia, inter se

1. **Farges**, *ibid.*, p. 284 ; — *Contra Gent.*, L. III, c. 129. — 2. *Hist. de la Lit. angl.* — 3. *Top.*, I, 9.

etiam essentialiter differunt ; sed gaudium suscipimus de bono patrato, de malo autem angoribus pungimur, itemque pios amore, odio malefactores prosequimur. Ergo bonum et malum, pietas et impietas... inter se intrinsecus differunt.

3° Ex *consensu populorum.* Nullus enim populus est, — cujus idioma voces bonum, malum, justum et injustum non referat, — cujus instituta moralitati non faveant et inhonestatem non reprobent, — cujus leges quædam ut bona non præcipiant, quædam ut mala non prohibeant. Sed « veritatis argumentum est aliquid omnibus videri[1] », præsertim cum passionibus repugnet. Ergo quædam bona, alia mala sunt.

Confirmatur ex objectis ab *osoribus* moralitatis :

Dicunt : — Apud gentes excultiores, magna viget dissensio de bonis malisve actibus, v. g. : de malitia divortii et aliis plurimis. Ergo.

Resp. Hæc dissensio versatur circa leges *positivas, conc.* ; circa leges *naturales, subd.* : secundarias, *conc.*, primarias, *nego.* — Porro non mirum si de remotissimis consectariis cuncti non consentiant.

Inst. — Atqui sunt gentes quæ etiam circa prima principia legis naturalis erraverunt : sic Anthropophagi homicidium, Indi parricidium, Spartiatæ furtum probavere... « Sic apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, ut refert Julius Cæsar[2]. » Ergo.

Resp. *Dist. ant.* Erraverunt et hic fuit error voluntatis, *conc.* ; error solius intellectus, *subd.* : qui versatur circa determinationes particulares boni et mali, *trans.*, circa ipsam distinctionem boni et mali moralis, *nego.* Nam, v. g., Indi qui parentes, cum senes sint, occidunt ut in « nirwana » abeant et a miseriis vitæ liberentur, actionem moraliter piam elicere putant.

Hinc bonum et malum essentialiter et *specifice* differunt : quomodo autem « omnis actus *speciem* habeat ex suo objecto[3] », quatenus sub tali talive respectu refertur ad rationem, sc. prout ei conformis est, annon, statim dicetur (n. 37).

ARTICULUS II.

De Natura boni et mali moralis.

36. Quot sint *opiniones* de natura boni et mali moralis ?

I. *Prior opinio* moralitatem objectis *extrinsecam* esse ponit, eamque desumit a voluntate mere arbitraria Dei vel hominis :

1. Seneca, Epist. 117. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 94, a. 4. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 18, a. 5.

videlicet, illud est bonum vel malum quod tale decretum fuit vel ab opinione publica et a legibus quibuslibet hominum, vel a voluntate arbitraria Dei : quod vergit in *despotismum*.

II. *Posterior sententia* concedit moralitatem objectis *intrinsecam* esse, duplici tamen sensu valde diverso.

A. — Alii enim sunt *subjectivistæ*, et moralitatem ponunt esse quid relativum seu proportionatum sensibus aut rationi hominis : quorum sententia triplicem induit formam, nam revera triplex est bonum : *delectabile*, *utile* et *honestum* (Ontol., n. 62). Hinc juxta *sensualismun*, illud est bonum quod sensum corporeum delectat, malum quod ei affert dolorem : en epicureismus ; vel bonum aut malum est quod tale reputatur a sensu morali, quod sympathiam aut antipathiam excitat : en sentimentalismus. — Juxta *utilitarismum*, ratio boni et mali moralis ab ipsa utilitate, sive privata, sive publica, sumenda est, illudque ut bonum habetur, quod utile dici potest. — Juxta *rationalismum*, illud est honestum, quod rationi nostræ videtur tale.

Unde tria hujusmodi systemata subjectiva tanquam fundamento nituntur principio illo : homo est mensura moralitatis, sicut est mensura veritatis rerum.

B. — Alii vero sunt *objectivistæ*, et moralitatem quid in rebus absolutum, quid ab homine independens, quid apud omnes et omni tempore identicum esse contendunt[1]. Hanc sententiam primo stabilire, falsas deinde confutare juvat.

37. Quænam sit *vera ratio* boni et mali moralis ?

Quæ de essentia veri et possibilium dicta sunt in Ontologia, eadem de essentia boni moralis vera sunt. Unde, præsupposita thesi de fundamento seu ratione essentiarum (Ontol., n. 42), similis statui potest regula moralitatis, nempe

THESIS

Ratio boni et mali moralis proxima *consistit in convenientia vel disconvenientia objectorum moralium cum humana ratione, — universali quidem et objectiva ; — Norma vero* ultima *formaliter in Ratione divina, — fundamentaliter in essentia Dei reponenda est.*

I. *Arg. posit.* — Probatur per partes ex analysi boni et mali.

A. — Cum humana *ratione*. — Bonum est convenientia,

1. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 82-87 ; — **Levesque**, *Morale*, ch. III.

malum autem disconvenientia rei cum natura, de qua agitur [1]. Porro propria et specifica hominis natura est rationalis. Ergo bonum morale pro homine erit quid conveniens, malum autem quid disconveniens radicaliter cum natura rationali, at proxime cum dictamine rationis humanæ [2].

B. — Cum ratione *universali et objectiva.* — Nam ratio duplex est : subjectiva, quatenus in individuis concrete spectatur, sicque variabilis est et per accidens errori obnoxia ; objectiva, quatenus, abstracte et generatim, consideratur ut quid omnibus commune et constans. Patet autem moralitatem non esse convenientiam objectorum cum tali vel tali rationi individuæ, nam uniuscujusque ratio errori obnoxia est, sed cum ratione universali et objectiva seu cum natura rationali.

C. — Cum *Ratione divina.* — Tum quia ratio humana et ipsa — secus sibimetipsi regula foret — ad rationem divinam refertur tanquam causa secunda ad Causam Primam, tanquam imago ad suum Prototypum : ergo non est nisi norma moralitatis secundaria et relativa, quæ nullius rei exhibet absolutam rationabilitatem vel irrationabilitatem, nisi sit conformis cum Ratione divina. — Tum quia convenientia vel disconvenientia actionum cum natura rationali, quibus objective constituitur bonum et malum morale fundantur in rerum essentiis, quæ cunctæ sunt formaliter in Ratione divina. Ergo in Ipsa pariter et directe est bonum morale, et indirecte saltem malum morale, quatenus est negatio boni.

D. — Cum *essentia Dei.* — Nam essentiæ rerum fundamentaliter sunt in essentia divina ; ergo pariter conformitas et difformitas objectorum moralium cum natura rationali. — Advertas tantum velim quod in Deo voluntas cum intellectu semper consonat ; et ideo quod bonum Rationi divinæ placuit, certe voluit et divina Voluntas.

Consonat autem de utraque norma moralitatis S. Thomas : « Regula voluntatis humanæ est duplex : una propinqua et homogenea, sc. ipsa humana ratio, alia vero est prima regula, sc. lex æterna, quæ est quasi Ratio Dei [3] ».

Hinc moralitas, sicut Dei essentia, æterna, necessaria et immutabilis est. Quin etiam aliquo vero sensu *independens* est, non

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 18, a. 1. — 2. **Ferretti**, *loc. cit.*, n. 62. — 3. *Sum Theol.*, 1a 2æ, q. 71, a. 6 ; q. 19, a. 4 ; *de Malo*, q. 2, a. 4 ; *de Virtutibus*, q. 5, a. 2.

absolute a Deo sed a Dei arbitrario, — quod etiam suspicari in Deo absit ! — necnon a fortiori ab hominis dispositionibus subjectivis.

38. *Arg. negativ.* — Secus enim moralitas objectiva, cum quibusdam, diceretur convenientia aut disconvenientia objectorum, — vel cum voluntate Dei sanctissima, — vel cum ultimo hominis fine. Porro hæc omnia, etsi vera sint, non exhibent ultimam nec ideo adæquatam boni et mali moralis rationem :

Non I^{um}. Equidem *voluntas divina* est absolute sancta, et sæpius dicitur regula boni et mali : nihil tamen vult nisi conforme sit Rationi divinæ [1] et ab ea obligatorium aut saltem bonum declaretur. Unde sic : ratio divina est norma ultima rectitudinis pro voluntate divina : ergo et pro voluntate humana.

Non II^{um}. Non enim bonus est actus vel malus, quia nos ad *finem ultimum* perducit vel ab eo avertit, sed e contra ideo ad finem perducit vel ab eo avertit, quia bonus in se vel malus est. — Ergo, rejecta alia qualibet hypothesi, stat thesis.

Brevius : bonum morale idem est ac bonum rationale seu bonum naturæ rationalis *ut sic spectatæ.* — *Dico* ut sic spectatæ : quoniam enim homo triplici vita præditus est, bonum hominis est non tam quod congruit corpori aut sensibilitati quam quod parti superiori et specificæ convenit.

Hinc, regula moralitatis : « Age secundum rationem » (n. 47).

39. Corol. I. — Falsus est *despotismus*, quicumque sit [2].

A. — *Quicumque sit* : hic autem *triplicem* præsertim induit *formam.*

Imprimis enim St Lambert honestum vel inhonestum reputat quod tale habetur ab *opinione* publica : unde optimæ semper consuetudines populorum [3]. — Similiter Hobbes et Rousseau bonum dicunt quidquid lege principum vel *pacto civili* statutum fuit [4]. — Denique juxta Puffendorf, res bonæ vel malæ sunt, quia Voluntati divinæ undequaque independenti etiam a divina Ratione sic placuit [5] ; cui consentiunt Cartesius [6], Scotus quoad « quæcumque præcepta secundæ tabulæ [7] » et Ockam.

B. — *Falsus* est in se, suis consectariis suisque principiis.

Nam 1. Despotismus *evertit moralitatem.* Datur enim, ex dictis, moralitas objectis intrinseca, necessaria et immutabilis,

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 19, a. 4. — 2. **Castelein**, *ibid.*, p. 113-122. — 3. **S. Lambert**, *Principes des mœurs* ; — **Cousin**, *Cours d'hist. de la phil. morale*, V ; — Cf. **Lactantius**, *in Inst.*, L. V, c. 16. — 4. **Hobbes**, *De Cive*, c. XII, § 1. — 5. *De jure naturæ et gentium*, L. I, c. 2. — 6. *Lettre* 48, éd. Garnier. — 7. *In Mag. Sent.*, l. III, dist. 37, q. V, n. 3-6 ; — I, dist. 39, q. I.

quæ in essentialibus rationalis naturæ convenientiis aut disconvenientiis fundatur, nec potest concipi aliter ac est. Porro non ita moralitas quæ penderet ab arbitrio Dei aut hominum. Ergo despotismus veram moralitatem evertit.

2. Aliunde ducit ad *absurda*, ut dicit Tullius : « Si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur : jus esset latrocinari, jus adulterare... etc., si hæc suffragiis aut multitudinis scitis probarentur [1]. »

3. Amplius et *involvit* quemdam *atheismum* : nam sententia quæ instituit Opinionem publicam aut Statum, boni et mali conditorem, quædam est utriusque divinizatio ; — quæ vero Deum dicit ex arbitraria voluntate decrevisse moralitatem, Ipsi modum agendi tribuit, qui divinitatem dedecet.

Hinc, quædam esse mala quia prohibentur, juristis concedendum est : sunt autem quæ prohibentur, quia mala sunt.

40. Corol. II. — Falsus est *sensualismus*, quicumque sit [2].

A. — Hic etiam *triplex* est ; *epicureus*, *moralis* et *sentimentalis*.

1. Imprimis enim Epicurus, teste Boetio [3], docet bonum esse voluptatem et gaudium, malum vero dolorem, tristitiam et alia similia. Lucretius, Plinius et alii sectatores, Helvetius cum recentioribus non paucis, epicureismum seu hedonismum enixe propugnaverunt [4].

2. Crassissimum Epicuri sensualismum rejiciunt Shaftesbury, Hutcheson, Hume, Reid, Th. Jouffroy, et alii nonnulli, saltem apud Anglos ; sed boni et mali moralis essentiale discrimen repetunt a sensu speciali, qui ab aliis sensibus et ab intellectu differt, dicique solet *sensus moralis*. Unde, juxta Reidium, id habet rationem boni, quod sensui morali consonat ; quod autem huic sensui dissonat, est malum.

3. Smith vero bonum nominat id quod *sympathiam* jucunde afficit, quod autem *antipathiam* movet, malum appellat. Huic adstipulatur Jacobi, qui in affectibus sensibilitatis, præsertim in remorsu et gaudiis conscientiæ, reponit normam moralitatis.

B. — Jamvero sensualismus triplici etiam vitio laborat :

1° *Evertit moralitatem.* Revera bonum morale, ut vidimus (n. 37), est quid objectivum, quid absolutum, quid immutabile, quid universalissimum ; — sensibilitas autem, est quid mere subjectivum, quid relativum ; nec eadem est in omnibus, nec eadem remanet in eodem homine.

1. *De Leg.*, L. I, c. 43.— 2. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 88-93. — 3. L. III, *De Consol. phil.* ; — **Epicurus**, περὶ φύσεως. — 4. **Lucretius**, *De rerum natura* ; — **Plinius**, *Hist. nat.*

Ad rem Royer-Collard : « Que la morale soit toute dans le sentiment, rien n'est bien, rien n'est mal en soi : le bien et le mal sont relatifs. Changez le sentiment, vous changez tout : la même action est, à la fois, bonne, indifférente et mauvaise, selon l'affection du spectateur[1]. »

2º Quod etiam ducit *ad absurda*, nam sensus sæpissime nos allicit ad ea quæ sunt ordini naturali contraria : unde si sensatio haberetur ut norma boni moralis, jam licitum foret etiam id quod ordini naturali est oppositum.

3º Error ille inde procedit quod sumit *effectum pro causa*. Nam aliquid sæpe sympathiam et antipathiam excitat, quia bonum est aut malum ; sed non est bonum aut malum, eo solo quod sympathiam et antipathiam excitat, nam, ùtraque deficiente aut etiam contradicente, remanet in se bonum aut malum ; ergo bonum et malum ab utraque independens est.

41. Corol. III. — Falsus est *utilitarismus*, quicumque sit[2].
Hic duplex est : quum enim res possit esse utilis vel cuipiam individuo, vel communitati, alii post Bentham[3] et Stendhal[4], proprium commodum (gallice, l'intérêt personnel), ut elementum constitutivum boni moralis admittunt : alii vero, præsertim positivistæ Comte, Littré, Taine, Stuart Mill, Herbert Spencer et Alex. Bain, bonum reputant quod prodest societati, et præsertim generi humano. — Sed e contra :

Arg. gen. — *a*) Bonum honestum est quid fixum et necessarium ; e contra bonum utile est essentialiter variabile. — *b*) Bonum honestum propter se intenditur tanquam finis ; e contra bonum utile non intenditur nisi propter aliud, nec proprie « terminat motum appetitus », quum sit « medium per quod tenditur in aliud[5] ». Ergo honestum et utile non identificantur. — *c*) Imo separari possunt : sunt enim quædam utilia quæ inhonesta sunt et vice versa.

Arg. spec. — 1º *Utilitas privata non est bonum morale.* Secus enim : — *a*) egoismus esset optimus ; — *b*) ad hominem non ad Deum reduceretur ordo moralis ; — *c*) culpandus esset qui mortem pro patria sua subire non dubitat ; — *d*) eo pejor esset actio quo magis ab utilitate abstraheret.

Dicit Bentham : homo semper agit amore sui ; ergo proprium

1. *Œuvres de Th. Reid*, t. III, p. 410. — 2. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 94-113. — 3. **Caro**, *Etud. mor.*, p. 6. — 4. *Rouge et noir.* — 5. *Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 6.

commodum est finis actionum humanarum, et consequenter ratio boni et mali moralis.

Resp. 1° *Nego ant.* Homo enim potest agere vel amore sui, vel amore boni, vel, ut fit sæpenumero, amore sui simul et principaliter amore boni ; quod experientia et consensione hominum luculenter ostenditur.

2° *Nego cons.* Etiamsi homo semper ageret amore sui, concludendum esset proprium commodum esse unum ex motivis, sed non finem ultimum actionum humanarum.

2° *Nec magis utilitas publica constituit bonum morale.*

Secus enim : — *a*) inhonestæ essent actiones, quæ privato, non publico bono inservirent ; — *b*) honestæ leges tyrannorum pessimæ, sub prætextu boni publici ; — *c*) laude digna scelera quæcumque, modo communitati inserviant.

Porro hæc omnia repugnant sensui communi. Ergo.

42. Corol. IV. — Falsus est *autonomismus* rationalistarum [1] ?

Rationalistæ contendunt rationem esse autonomam, seu a Ratione divina independentem. Hic error duplicem induit formam.

Prior est positivistarum (Comte, Littré, Taine), qui contendunt Ethicæ principia fundari in factis contingentibus ope experientiæ inventis, et præsertim in facto quod voluntas rationi subordinatur.

Posterior est Kantistarum, qui speciatim essentiam boni moralis in conscientiæ « *imperativo categorico* », i. e. absoluto, reponunt. Quærenti vero cur hoc dictamen conscientiæ sit independens a ratione divina, respondent : quia, si esset dependens, jam non esset absolutum, sed conditionatum : fac hoc aut illud, *si* Deus existit. — Sed contra :

I. *Autonomismus rationalistarum destruit notiones boni et mali, vim obligationis atque totum ordinem moralem* [2].

1. *Notiones* enim boni et mali absoluti non possunt fundari in experientia mere contingenti et variabili, sed tantum in ratione absoluta Dei ; diruto autem hoc fundamento, jam non esset absoluta moralitas, sed contingens et relativa.

2. Rueret simul tota *vis obligatoria* præcepti [3] ; nam

a) Ratio individua non est homini *superior*, sed pars ejusdem personæ. Ergo non potest hominem obligare. — Nec dicas aliquem posse erga seipsum se obligare, nam nemo potest esse inferior sibi simul et superior.

b) Nullum est *imperium* absque voluntate : ergo ratio sola

1. Cf. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 125-133. — 2. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 371. — 3. **Ferretti**, *loc. cit.*, p. 340 ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 1.

non potest imperare voluntati. — Constat antecedens : nam, etsi imperium sit formaliter actus rationis (n. 31), non tamen sine prævio voluntatis actu fit [1]. — Constat consequens : secus ratio imperaret voluntati virtute voluntatis propriæ, quod idem est ac si voluntas imperaret sibi : hoc autem prorsus est impossibile, nemo enim potest ipse sibi imponere præceptum.

c) Evanesceret obligationis necessaria *sanctio* : si enim darentur peccata mere philosophica, — seu contra solam rationem, non autem contra Deum, — ad rationem solam pertineret hominem punire vel remunerare : hoc autem insufficiens esse in multis casibus ad bonum operandum nemo nescit.

3. Rueret denique totus *ordo moralis*, nam, data rationis humanæ autonomia, homo esset sui ipsius finis, nec altiori fini subordinaretur.

43. II. — *Systema tandem Kantii multiplici vitio laborat* [2].

1º *Caret fundamento.* — Siquidem, juxta Kantium, notiones metaphysicæ boni, mali, finis et obligationis sunt mere subjectivæ. Ergo forsan illusoriæ. — Aliunde sunt factum psychologicum individuum et mere contingens, nec possunt esse fundamentum obligationis universalis et necessariæ.

2º Subvertit *notionem boni*, nam asserit illud tantum esse bonum quod a conscientia imperatur.— Sed contra : bonum non est semper obligatorium, sed potest esse tantum de consilio, non de præcepto ; unde multo plura sunt bona quam obligatoria.

3º Subvertit totam *vim obligationis*, nam dictamen absolutum conscientiæ esset sine ratione absoluta, ac proinde irrationabile. Conscientia quidem non imperat modo conditionato : fac hoc aut illud, *si* Deus existit ; sed imperat absolute, *quia* existit Deus seu Ratio æterna illud præcipiens.

4º Adde quod est *contradictoria* regula Kantii : « age ita ut actus tuus sit norma omnis actus liberi » : nam implicite supponit objectivitatem Rationis absolutæ, quæ singulis superior est, utpote quæ omnibus imperat.

Obj. — Ratio *intimat voluntati obligationem.* Ergo illam obligat.

Resp. Ratio cognoscit obligationem, *conc.* : efficit tanquam legislatrix voluntatis, *nego* vel *subdist.* : tanquam legislatrix dependens et imperans nomine Dei, *conc.* ; independens et in suo nomine, *nego.*

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 17, a. 4. — 2. **Farges**, *La Liberté et le Devoir*, p. 397-436 ; — **Castelein**, *ibid.*, p. 181-185.

Inst. — Sed intimat quin *cogitet de Deo* : ergo suo nomine tantum.

Resp. : Quin cogitet explicite, *conc.*, implicite, *nego* : siquidem intimat ordinem superiorem propriæ personæ : necnon absolute universalem, cujus Auctorem atheus ipse sine contradictione negare non potest.

ARTICULUS III.

De Fontibus moralitatis.

44. Quinam sint *fontes* moralitatis objectivæ ?

A. — *Fontes moralitatis* sic vocantur, *quia ex eis hauritur moralitas materialis, sive bona, sive mala, actus humani* [1].

Hi fontes tres sunt : *objectum, circumstantiæ* et *finis.*

Primo quidem *objectum,* circa quod actus humanus versatur : — hic enim est actus voluntatis ; porro species actus pendet ab objecto formali ; ergo « prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti [2] ». — Sed etiam *circumstantiæ* : ratio est quod perfectio rerum moralium, sicut et naturalium, non a sola substantia, sed etiam ab accidentibus substantiæ additis manare debet. Hæ vero circumstantiæ in hoc versiculo continentur :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Denique *finis* : finis enim est id propter quod agimus, et nemo agit nisi propter quoddam bonum ; unde fit ut operari habeatur ad finem ut esse ad causam [3] .

Ex quibus est axioma : « Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. » Id est, ut actio moraliter bona sit, requiritur ut, tum ex parte objecti, tum ex parte circumstantiarum, tum ex parte finis, regulæ moralitatis consentiat ; ut autem mala sit, sufficit ut vel ex unico capite a norma prædicta (n. 37) deficiat.

B. — Utrum autem fieri possit ut neque ex objecto, neque ex circumstantiis, neque ex fine, aliqua species moralitatis in actum derivetur, aliis verbis, utrum sint actus *indifferentes* ?

Resp. 1. *Affirmative*, juxta omnes, si actus in abstracto seu secundum objectum tantum consideratur : siquidem multa

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 18-19 ; — q. 99, a. 8 et 6 ; — **Billuart**, *De Act. hum.*, dissert. IV. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 18, a. 2. — 3. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 4.

sunt objecta, v. g., deambulare, manducare, quæ nec bona nec mala sunt, sed moraliter indifferentia.

Resp. 2. *Negative*, contra plures, si actus « in individuo » seu secundum circumstantias et præsertim finem spectatur.

Hæc solutio logice defluit ex altioris doctrinæ principio jam exposito (n. 5, 6, 16) : revera quilibet actus humanus necessario unius est pars seriei, in qua homo saltem virtualiter intendit aliquem finem ultimum. Porro ille finis ultimus, cujus influxus exercetur in finem proximum præsentis actionis et deliberate intentum, naturæ rationali seu regulæ moralitatis conformis vel non sit oportet ; si prius, bona, si posterius, mala erit actio [1]. Ergo non dantur actus indifferentes in individuo.

Hæc autem omnia fusius in Theologia morali.

CAPUT TERTIUM.

DE MORALITATE FORMALI ACTUUM HUMANORUM.

Moralitas « constituitur ex actu elicitivo, quasi materia, et ex judicio practico rationis quasi forma [2] ». Triplex autem judicium intellectus practici intervenit in actu morali, sic enim procedit : Malum est vitandum : en *synderesis* ; porro homicidium est malum : en *scientia moralis* ; ergo hoc homicidium hic et nunc non est mihi faciendum : en *conscientia moralis*. De singulis pauca.

ARTICULUS I.

De Synderesi.

45. Quid sit *synderesis* quoad rem et quoad nomen ?

A. — Synderesis definiri potest : *judicium habituale speculativo-practicum circa prima principia legis naturalis et moralitatis* : v. g., bonum est faciendum (n. 31).

Est 1. *Judicium speculativo-practicum*. Nam triplex est judicium : — speculativum, v. g., Deus existit ; — speculativo-practicum : v. g., bonum est faciendum, furari est malum ;

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 18, a. 8, 9 ; — q. 19, a. 10. — 2. Zigliara, *Eth.*, L. II, c. 1, a. 1, n. 4 ; — *Sum. Theol.*, p. 1, q. 82, a. 4 et ad 1.

— practico-practicum, v. g., hoc furtum, quod intendis, malum est (Psych., n. 92).

2. Versatur *circa prima judicia moralitatis*. Unde differt a scientia morali : hæc enim circa conclusiones, sive primarias sive secundarias ; illa circa prima principia tantum moralitatis versatur.

B. — Dixi *synderesim* esse *judicium habituale*, vel etiam *habitum primorum principiorum moralium*. In hoc autem consonat suo nomini : nam synderesis, vi vocis (συν τήρησις conservatio) habitum naturalem indigitat, in quo firmiter retinentur prima principia moralitatis. — Principia enim illa sunt nobis « indita » seu naturaliter cognita, ex se evidentissima et « per se nota » : invincibiliter ignorari nequeunt, nec deleri in universis. Delentur tamen in particulari operabili, sed improprie seu « secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare opus, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem[1]. »

46. Utrum et quodnam sit *primarium* Ethicæ principium[2] ?

Jam principium moralitatis, quo aliquid *honestum* est vel non, supra (n. 37) indicavimus ; nunc principium summum Legis naturalis, vi cujus aliquid est vel non *præceptum*, determinare præstat. Unde sit

THESIS

Primum Ethicæ principium illud est axioma : Bonum est faciendum et malum vitandum.

Probatur — ex dotibus principii prælaudati ; habet enim in suo ordine dotes primarii principii (Log., n. 190, 193)[3].

Imprimis est *evidens* : sponte enim sua defluit e ratione boni quod definitur « id quod est appetibile ».

Est *simplicissimum* : notiones enim boni et voluntatis sunt primariæ notiones Ethicæ, et respectum dicunt ad invicem.

Est et *universalissimum* ; nam exprimit in universum bonum esse faciendum, malum vitandum : porro alia principia seu præcepta particulares determinationes boni præcipiunt, aut mali prohibent : ergo adæquate complectitur objectum cujuslibet præcepti legis naturalis.

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 94, a. 1, 4, 6 ; — **S. Paulus**, *Rom.*, I, 20-21 : II, 14. — 2. **Liberatore**, *Eth.*, n. 99-102. — 3. **Castelein**, *ibid.*, p. 162.

Denique est *ultimum* in quod resolvuntur omnes scientiæ moralis conclusiones, ut patet exemplis. Sic enim ratiocinari licet : Bonum est faciendum ; atqui Deum colere est bonum ; ergo Deum colere debemus. Vel etiam : malum est vitandum ; sed furari malum est ; ergo furari non licet... Et ita de cæteris.

47. Quænam sint *falsa* Ethicæ prima principia ?

Ad quatuor errores præcipuos [1], scilicet ad *egoismum*, *sociologismum*, *rationalismum* et *optimismum* facile revocantur.

I. Ad *Egoismum* sponte deveniunt Epicurei, et fautores moralitatis de proprio commodo, gallice « de l'intérêt personnel », uti vocant [2]. Juxta Thomasium : « Age semper ea, quæ concurrent ad vitam felicem, quietam et diuturnam [3] » Juxta Fichteum : « Dilige teipsum super omnia et omnia in ordine ad teipsum. »

Jamvero hæc principia non sunt universalissima, nam ex una parte, præter bonum proprium, est etiam bonum alienum, sive particulare, sive generale. Ex altera vero ultima non sunt, non enim nosmetipsos, sed Deum super omnia et omnia in ordine ad Deum diligere debemus [4].

II. Bonum *sociale* plures habent ut præcipuum legis objectum, imprimis Hobbes [5], Grotius, Puffendorf [6] et Herbert Spencer : juxta eos « hominis est colere et servare bonum societatis [7] ».

Sed contra : hujusmodi principium nec est evidens, nam incitat etiam ad scelera, si prosint societati ; — nec est primum chronologice : homo enim prius de bono proprio, quam de bono societatis cogitat ; — nec est universalissimum, non enim includit officia erga nosmetipsos, neque erga Deum ; — nec tandem ultimum est : non enim omnia ad societatem ut ad finem ultimum sunt ordinanda (n. 41).

III. Ad *rationalismum* vel *liberalismum* confugiunt stoici, Kantistæ, necnon Cousin et Damiron, qui rationem autonomam regi volunt ideis suis quasi norma infallibili. Audi Kantium : « Sic age, ut lex quam voluntati tuæ præstiteris, valere simul possit pro tota natura humana. » Cousin : « Liber es, liberum te serva. » Damiron : « Age secundum evolutionem facultatum tuarum [8]. »

Hæc autem *sunt falsa* : non enim ratio, nec voluntas, nec facultas quælibet bonum constituunt, quarum e contra exercitium et evolutio bono honesto regulari debent. — Adde quod 1ª regula ducit ad stoicismum, qui proprium commodum immerito negligit ; 2ª ad contemptum legum, quæ libertatem restringunt ;

1. **Roselli**, *Sum. Phil. Eth.*, q. 94, a. 2. — 2. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 136-158. — 3. *De fund. jur. nat. et gent.*, I, c. 6. — 4. **Heineccius**, *De jure natur. et gent.*, L. I, c. III, a. 77. — 5. **Hobbes**, *de Cive*, c. II, a. 2. — 6. **Puffendorf**, *Inst. Jurisp. div.*, L. I, c. 4. — 7. **Castelein**, *ibid.*, p. 162-164. — 8. **Cousin**, *Cours de phil. mor.*, p. 92 : — **Castelein**, *loc. cit.*, p. 158-162, 164-171.

3ª ad impossibilia, sicuti est evolutio suarum omnium facultatum etiam sensitivarum, in maximo gradu.

IV. Denique *optimismo* favent plures, v. g., ontologistæ : « voluntas τὸ plus entis τῷ minus entis anteponat » : secus non concordaret cum intellectu ; — speciatim Malebranchius [1] : « Oportet ut velimus et amemus cum Deo, nam cum ipso cognoscimus » ; — Balmesius etiam [2] : « Actus tuus ab amore Dei procedat », nam viget paritas inter moralitatem Dei et hominis ; — itemque stoici et pharisæi cujusvis temporis.

Jamvero, ut patet, hæc principia distinctionem inter præcepta et consilia negligunt, necnon ab omni homine exigunt perfectionem, quam his in terris servare nequit, vel ad quam singuli, quia inæquales, non tenentur.

ARTICULUS II.

De Scientia Morali.

Tria licet investigare : an et quænam *requiratur*, quænam de facto *insit* hominibus, et *unde* proveniat scientia moralis.

48. Quænam *requiratur* scientia legis ad moraliter agendum ?

Certum est aliquam legis naturalis scientiam requiri ad moraliter agendum ; secus deficeret actus moralis.

Porro duplex est cognitio legis, alia *vulgaris*, alia *scientifica* : prior quæ vulgo competit, et qua rem esse bonam vel malam confuse, sed certo scitur ; posterior quæ, cur res sit bona vel mala, apprehendit, et quam docti habent. Jamvero

1. Cognitio *vulgaris* evidenter requiritur. Ille enim solus moraliter agit, qui intendit actionem bonam perficere aut malam perpetrare ; qui vero nescit etiam confuse actionem suam legi conformem esse vel contrariam, hanc bonitatem et malitiam nullo modo intendere potest. Ergo nec agere moraliter.

2. Cognitio vero *scientifica* seu per causas, minime requiritur. Hanc enim non habent rudes, nec etiam plures docti qui de fundamento moralitatis in varias abeunt sententias. Hi tamen moraliter agunt, quia bonitatem aut malitiam objecti intendunt. Ergo absque scientifica ratione.

49. Quænam naturaliter *insit* homini scientia moralis [3] ?

Certum est omnes homines, rationis usu perfruentes, distinctionem inter bonum et malum admittere, necnon prima

1. *Traité de morale.* — 2. *Phil. fond.*, t. III, c. 20. — 3. **Farges**, *La liberté et le devoir*, p. 269.

principia tenere in synderesi. — Sola difficultas versatur circa conclusiones, de quibus est scientia. Porro

1° Quoad *conclusiones proximas*, omnis homo pollens usu rationis, *præcipuas* saltem, cognoscere potest, et de facto cognoscit. — *Potest* cognoscere : nam lex naturalis non libere a Deo, sicut lex positiva, intimatur, sed necessario homini datur cum ipsa natura rationabili. Qui vero habet principia, quomodo ullam conclusionem inferre non posset ? — De facto *cognoscit*, ut consentiunt auctores et probatur historia (n. 35).

Dixi : *saltem præcipuas* : utrum enim una vel altera possit ab aliquo invincibiliter ignorari, pronuntiare difficillimum est. Potest enim conclusio in se proxima, *relative* ad hominem rudem esse remota ; nam divisio in conclusiones proximas et conclusiones remotas, non est sic absoluta, quin etiam ab uniuscujusque ingenio aliquatenus pendet.

2° Porro quoad *conclusiones remotas*, ratio humana, cum sit imbecillis, eas etiam invincibiliter ignorare potest. — Et hoc quidem propter tria impedimenta ; scilicet aliqui « habent depravatam rationem ex passione, vel ex mala consuetudine, aut ex mala habitudine naturæ[1] ». — Nec mirum, cum etiam docti, in practicis sicut in speculativis, bona tamen fide, disputent et abeant in hanc vel alteram partem : ergo a fortiori rudes in longioribus ratiociniis errare possunt.

50. Hinc *sola ratione* habetur Ethica, sed imperfecta.

I. *Habetur*, contra traditionalistas. Juxta eos, lex naturalis promulgari non potuit nisi revelatione positiva, quæ protoparentibus a Deo primitus facta, deinde per educationem fuit transmissa.— Sed contra : etsi lex naturalis *de facto* per educationem, quæ via brevior est et tutior, communiter innotescat ; *de jure* tamen, traditio non est necessaria, ut homo cognoscere possit primarias saltem legis naturalis veritates (Log., n. 253).

II. Sed *imperfecta*, contra rationalistas. — Probatur :

1° *Historia*[2]. Certum est enim homines, etiam ingenio conspicuos, nempe Socratem, Platonem, Aristotelem aliosque veteres, non solum multa ignorasse, verum etiam plura pessima docuisse circa legem naturalem. — Similiter, quoties Ethica mere naturalis in honore fuit, disseminati sunt pessimi errores et mores, sive apud veteres, sive etiam apud recentes.

2° *Ratione*. Etsi enim ratio humana absolute non sit inca-

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 94, a. 4. — 2. **Castelein**, *ibid.*, p. 314-348.

pax cognoscendi veritates morales, moraliter tamen et in statu præsenti, genus humanum notitiam legis naturalis perfectam et completam adipisci nequit. — Ratio philosophica est, sive imbecillitas rationis humanæ, sive difficultas et complexio quæstionum, sive influxus passionum. — Ratio vero theologica est destinatio hominis ad finem supernaturalem : unde fit ut Deus deneget auxilium, saltem permanens et efficax, iis qui moralem naturalem sibi sufficere prætendunt [1].

Ex quibus colliges quanti sit momenti, etiam in ordine naturali, divina revelatio, cui debetur Ethica rationalis perfecta.

ARTICULUS III.

De Conscientia morali [2].

51. **Quid, qualis et quotuplex sit *conscientia* ?**

A. — Ex dictis facile percipitur quid sit conscientia moralis : *Judicium* nempe *intellectus practici quo fit legum moralium applicatio actibus humanis in particulari* [3] (n. 31).

Quapropter hæc applicatio, explicite vel implicite, semper est conclusio syllogismi ; v. g., malum est vitandum ; sed furtum est malum ; ergo furari hanc Joannis crumenam mihi est vitandum. Porro « synderesis in hoc syllogismo quasi majorem ministrat ; minorem ministrat ratio superior et inferior ; sed consideratio conclusionis elicita est a conscientia [4] ».

B. — Conscientia *testis*, *præco Dei*, et *judex* est. Unde « dicitur conscientia testificari, ligare vel instigare [5] ». *Primo* testimonium reddit de bono vel malo patrato ; *secundo*, dictat quid sit faciendum aut omittendum, et ita in virtute legis æternæ ligat ad bonum et avertit a malo ; *tertio*, laudat de bono patrato, de malo accusat, et sic ad pœnitentiam stimulis impellit. Unde, tria sunt conscientiæ attributa, quæ his verbis exprimi possunt : *testimonium, dictamen et remorsus.*

C. — Conscientiæ divisio : 1. Ex parte *objecti*, conscientia dividitur in *veram* et *erroneam*. Vera est quando ex principiis practicis veris et per legitimum syllogismum concludit ; falsa est, cum quis vincibiliter vel invincibiliter errat in conclusione.

2. Ex parte *subjecti*, conscientia *certa* est vel *dubia*. *Certa* est, cum quis sine rationali errandi formidine, pronuntiat

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 31, a. 4. — 2. **Fargos**, *ibid.*, p. 305-330. — 3. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 79, a. 13. — 4. In II *Sent.*, dist. XXIV, q. 2, a. 4. — 5. *Sum. Theol.*, q. 79, a. 13.

aliquid esse licitum vel illicitum. *Dubia* est, cum quis actionem esse licitam vel illicitam pronuntiat motivo probabili tantum, vel simpliciter dubio, vel improbabili et leviori.

52. Quænam sit *primaria regula* directiva conscientiæ [1] ?

Patet conscientiam *certam* simul *et veram* esse *plene rectam* : si certa *tantum* sit, utrum sufficiat et sit *practice recta*, statuit

THESIS

Ad honeste agendum unicuique sufficit et requiritur conscientia certa de licitate actionis suæ.

I. *Sufficit.* — Qui enim habet conscientiam certam de licitate actionis suæ, juxta prudentiæ regulas actionem intendit ; porro nihil ultra ab homine exigi potest quam ut prosequatur bonum prudenter cognitum ; ergo tunc honeste agit. — *Confirmatur*, nam voluntas mala non est, nisi malum intendat ; porro, stante conscientia certa, formaliter excluditur malum ab intentione, etiamsi materialiter sit in actione.

II. *Requiritur.* — Qui enim habet conscientiam incertam, actionem dubie licitam sibi proponit, contra prudentiæ regulas : sic autem agendo malum formaliter non excludit ab intentione sua, etiamsi materialiter non sit in actione. Ergo malo fœdatur voluntas ejus.

Dixi : conscientiam certam de *licitate* actionis *suæ* ; potest enim manere dubium de *bonitate* actionis materialiter sumptæ. — Quomodo vero in praxi obtineatur hæc certitudo subjectiva, longius disputant theologi, ubi de *probabilismo* [2].

CAPUT QUARTUM.

DE CONSECTARIIS ACTUUM HUMANORUM.

De præcipuis tantum loquemur, nempe 1. de *Imputabilitate* ; 2. de *Merito* ; 3. de *Virtute et Vitio.*

ARTICULUS I.

De Imputabilitate [3].

Duo quæruntur : natura et objectum imputabilitatis.

1. **Ferretti**, *loc. cit.*, p. 406. — 2. **Ferretti**, *ibid.*, p. 412. — 3. **Farges**, *ibid.*, p. 317.

53. *Quid* sit et *undenam* sit imputabilitas ?

A. — *Imputabilitas est* actus humani proprietas, *vi cujus alicui tanquam auctori suo tribui debet.* Fundatur in relatione causalitatis inter actum et suum principium.

B. — Quapropter *fundamentum* imputabilitatis est libertas in actione. Ei enim merito imputatur actio, qui actionis suæ auctor est et dominus, et, potens facere, fecit aut non fecit.

Hinc eadem est mensura libertatis quam imputabilitatis : seu quod tollit vel minuit libertatem, pariter tollit vel minuit imputabilitatem. Hæc contra deterministas, jansenistas, calvinistas, vel etiam quosdam theologos qui peccatum originale vel nativitatem extra sinum Ecclesiæ, homini ad culpam *personalem* imputare videntur[1] (n. 32-33).

54. *Quænam* homini imputari possint et debeant ?

THESIS

Non tantum actio vel omissio, sed effectus ex utraque promanantes, necnon actus alieni, positis ponendis, imputari possunt.

I. *Actionem* vel *omissionem* jure homini imputari posse constat ex dictis (n. 53) : utraque enim in potestate ejus est.

II. Quoad *effectus*, qui ex actione vel omissione certo secuturi prævidentur, sunt etiam voluntarii in causa ; ergo ei qui potuit causam ponere vel non ponere, jure sunt imputabiles. Proindeque, si pravi sunt vel nocivi, imputantur ad culpam, quoties agenti incumbit obligatio sese abstinendi ab actione vel omissione ex qua sequuntur. Quandonam autem adsit vel non hujusmodi obligatio, disputant theologi ubi de voluntario *indirecto*.

III. Denique actus *alieni*, propter eamdem rationem, ei jure imputantur, qui sciens et volens, illorum vel propositi vel executionis particeps fuit. Si prius enim, cooperationem *moralem* ; si posterius, cooperationem etiam *physicam* alienæ actioni præstitit[2].

ARTICULUS II.

De Merito et Demerito[3].

Quæritur quid sit, unde sit et cur sit meritum naturale.

1. **Castelein**, *ibid.*, Thes. I et II. — 2. Cf. **Castelein**, *ibid.*, p. 9-19. — 3. **Farges**, *ibid.*, p. 323 ; — Cf. **Piat**, *Les Sanctions*, an. 1909.

55. *Quid sint* meritum et demeritum ?

Meritum est *jus ad mercedem* ; *demeritum est obnoxietas pœnæ*. Hoc autem importat respectum ad alterum : unde meritum et demeritum ab aliis consectariis actus humani distinguuntur. Nam omnis actio, in se bona vel mala, est *laude* vel *vituperatione* digna, *pulchra* aut *deformis* ; prout autem fini debito conformis est vel non, dicitur habere rectitudinem vel turpitudinem ; præterea ipsi agenti affert meliorationem vel depravationem, gaudium vel tristitiam. Sed in quantum affert *alteri* « profectum vel nocumentum[1] » meretur præmium aut pœnam.

Unde, ad *remunerationem*, requiritur persona moralis ab ipso agente distincta, et cui cedat in emolumentum aut nocumentum actio meritoria vel demeritoria : nam ex una parte nemo erga se ipsum meretur aut demeretur ; ex altera vero, nemo tenetur alium remunerari ex justitia et secundum æqualitatem, nisi propter bonum ab eo acceptum.

56. Utrum homo mereri *possit* aut demereri apud Deum ?

THESIS

Homo, etiam apud Deum, mereri aut demereri potest.

Prob. 1°. — *Ex natura actionis.* Etenim, actus bonus aut malus considerari potest vel relative ad Deum, vel relative ad totam communitatem ; sed, in utroque casu, agens meretur aut demeretur *apud Deum.* — 1. Si prius seu ex parte Dei, meretur ; nam qui facit actum bonum relatum in Deum, dat honorem Deo debitum. — 2. Si ex parte totius communitatis, meretur etiam apud Deum ; nam qui agit juxta legem, agit in bonum commune. Porro, cum Deus sit gubernator et rector totius universi, ad Eum pertinet retribuere pro his quæ bene vel male fiunt bonum commune[2].

Prob. 2°. — *Ex necessitate sanctionis* legum. Nempe, Dei sapientia et sanctitas requirunt ut sanctio legi morali apponatur : *sapientia*, secus enim lex esset illusoria et effectum suum non attingeret ; *sanctitas*, quia Deus non potest æquali modo se habere erga bonum et malum. Sed, si actus moralis nec præmio nec pœna sit dignus, sanctio seu constitutio

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 3. — 2. *Ibid.*, 1a 2æ, q. 21, a. 3 et 4.

præmii vel pœnæ, pro legem observantibus aut violantibus, fit injusta. Ergo prælaudata sanctio supponit meritum.

Nec dicas contra vim *majoris* sanctiones hujusce mundi sufficere, quales sunt consequentiæ actionum immanentes, pœnæ legales, opinio publica, remorsus conscientiæ. — Hæc enim non esse universalia nec proportionata singulorum meritis, nemo nescit.

Obj. — Homo non affert Deo emolumentum nec nocumentum ; unde non potest apud Deum mereri aut demereri secundum æqualitatem.

Resp. — *Dist. ant.* : homo non affert Deo emolumentum nec nocumentum, essentiale et intrinsecum, *conc.* ; accidentale et extrinsecum, *neg.* ; nam actibus nostris gloria Dei accidentalis « accrescere vel deperire potest [1] ». — *Dist. cons.* Unde non potest hominis ad Deum esse meritum ex justitia secundum absolutam æqualitatem, *conc.* ; secundum æquitatem quamdam, *nego*, id est, *ex condigno* (n. 66) et præsupposita divina ordinatione [2].

57. Utrum agere liceat *intuitu* meriti et remunerationis ?

Kant, Jouffroy, Charmes et alii stoici recentiores ethicam propugnantes sine « interesse proprio », præcipiunt officium pro officio, « le devoir pour le devoir », voluntque hominem a sua intentione excludere quamlibet spem meriti et remunerationis, sicut et omnem metum demeriti et pœnæ. At in hujusmodi theoria, sub specie veri, latet error (n. 12).

A. — Ultro fatemur adesse spem et metum servilem ab Ethica proscriptum. Revera fieri potest ut quis removeat a sua intentione bonitatem actus moralem, ut illius commodum et utilitatem unice intendat. Porro talis agendi modus evertit ordinem rerum naturalem, qui remunerationem moralitati actuum præposteram esse requirit. — At vero, qui bonitatem moralem simul et remunerationem intendit, ab ordine morali non recedit, siquidem legislator ipse incitat ad viam virtutis nimis arduam, sepe remunerationis et metu pœnæ. Ergo cum intentione hujusmodi bonus est actus.

B. — *Dicunt* : melior est actus qui amore officii unice peragitur, sine ulteriori desiderio remunerationis aut metu pœnæ. — Perfectior sane, sed duplex est excessus vitandus, nempe :

1° Ne quis, immemor conditionis suæ, prætendat omissionem actus spei et timoris esse posse statum normalem et habitualem hominis (Psych., n. 104).

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 114, a. 4. — 2. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 1.

2º Nec a fortiori removeat explicite ab intentione sua remunerationem æternam ; nam, quia beatitudo est finis ultimus hominis, obligatoria est, non libera, nec unquam ab intentione positive excludi licite potest (n. 11-12).

ARTICULUS III.

De Virtute et Vitio[1].

Virtus et vitium duæ sunt species habituum : iis ergo quæ jam dicta sunt in Psychologia (n. 23) de habitibus, quatuor tantum addere est : nempe quid sint, quot sint, in quo sint denique unde et ad quid sint virtus et vitium.

58. ***Quid sint* virtus et vitium ?**

A. — Virtus (vir, vis) « *est bona qualitas mentis qua recte vivitur et qua nemo male utitur*[2] ».

Est *qualitas* seu potius habitus, et hoc est genus ; — *bona*, et sic differt a vitio ; — *mentis*, et hoc est subjectum virtutis ; — *qua recte vivitur*, et sic discernitur ab iis quæ semper se habent ad malum, ut vitia ; — *qua nemo male utitur*, et ita discernitur ab iis quæ se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, v. g., passiones.

B. — Porro contrariorum eadem est ratio ; unde vitium est « *mala mentis dispositio, qua male vivitur et qua nemo bene utitur* ». Quapropter vitium, sicut virtus, duplicem habet effectum in anima, nam malum facit habentem, et ejus opus malum reddit.

59. ***Quot sint* virtutes et vitia ?**

A. — Virtutes, sicut ipsi habitus, dividuntur, — imprimis vero juxta Aristotelem, — in *intellectuales* et *morales*.

1. Virtutes *intellectuales* quatuor sunt : — *sapientia*, quæ rerum altissimas causas contemplatur ; — *intellectus*, qui principia prima rerum scrutatur ; — *scientia*, quæ rationis ope conclusiones ex principiis deducit ; — et *prudentia* quæ, mediante consilio, media ad finem debitum commensurat. Cum autem prudentia supponat in voluntate amorem boni et rectam intentionem in finem, etiam computatur inter virtutes morales.

2. Virtutes ergo *morales*, juxta Socratem, si inter ea computetur prudentia, *quatuor* sunt principales seu *cardinales* : nempe *prudentia*, *justitia*, *fortitudo* et *temperantia*.

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 55-67 ; — **Farges**, *ibid.*, p. 326 ; — **Ferretti**, *ibid.*, p. 432 ; — **Castelein**, *loc. cit.*, th. XIV. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 55, a. 4.

Prob. — Tot sunt virtutes, quot facultates principales honestati inservientes, necnon quot bona formaliter diversa. Porro — 1° quatuor sunt hujusmodi facultates virtute perfectibiles : ratio, voluntas, appetitus irascibilis et appetitus concupiscibilis ; — 2° quatuor sunt hujusmodi bona : bonum rationale in genere, speciatim vero justum, arduum et concupiscibile. Ergo quatuor sunt virtutes cardinales, nempe prudentia, justitia, fortitudo et temperantia [1].

B. — *Vitium* autem *duplex* respondet unicuique virtuti.

1° *Suadetur* auctoritate Doctoris Angelici [2] et Stagyritæ dicentis : « Virtus est habitus in medietate consistens, prout sapiens determinaverit », sc. per prudentiam ex dictamine rationis practicæ. Hinc adagium : « in medio stat virtus », et illud Horatii :

« Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum [3]. »

2° *Probatur* sic : malum cujuslibet regulati et mensurati consistit in hoc quod discordat a sua regula vel mensura. Sed a regula discordari potest dupliciter, et per excessum et per defectum. Ergo duplici parte vitium inerit actibus humanis, qui ratione humana regulari et mensurari nati sunt.

60. Quatenus virtus et vitium præsertim in voluntate sint ?

Virtus a Socrate definitur : « scientia boni », additque Plato : « quippe voluntate sua malus est nemo, sed propter imperitam educationem malus fit malus [4] » ; quibus profecto plausere recentes, qui, in hominum educatione, scientiam religioni subrogandam esse volunt. — Sed contra

1. *Experientia* assertum evertit : videre est enim homines scientia quidem insignes, perditos autem moribus. Nec, nostris diebus, augescente scientia, crescit sed potius decrescit virtus [5]. — Quod omni tempore viguit : nam si fides historiæ, religio elevat gentes, scientia vero sola, præsertim rerum naturalium, potius generat corruptionem.

2. Nec *rationi* mirum : nam virtus est « habitus electivus » boni : porro electio actus est voluntatis liberæ, quæ proinde, intellectu vidente meliora, deteriora sequi poterit. — Nisi *re-*

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 61, n. 2 ; — **Castelein**, *ibid.*, p. 304. — 2. **S. Thomas** *de Virtut. in com.*, a. XIII ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 64 ; — **P. d'Hérouville** *La vertu et le juste milieu*, in *Revue de philosophie*, an. 1910. — 3. *Epist.*, I, XVIII, 9. — 4. In *Timæo*, ad fin. — 5. Cf. *Statist. du min. de l'Instr. publ.*, 1685, 1893, etc.

ligione melioretur, cujus est animis infundere amorem boni, peccati horrorem, timorem pœnarum, aliosque sensus et dispositiones, quibus homines trahuntur ad virtutem.

3. Consonat sensus *communis* hominum, quibus profecto non docti homines sed sancti videntur boni sine addito ; id est non qui magnum sortiuntur intellectum, sed qui intellectu suo et libertate sua recte utuntur.

Hinc merito Aristoteles : « Ad virtutes autem scire quidem parum aut nihil prodest [1] » ; imo aliquando nocet, nam charitas quidem ædificat, scientia vero profana sæpe vel inflat, vel mentem terrenis rebus implicat et detinet.

Dixi *præsertim in voluntate*, nam facultates quæ indirecte concurrunt ad actum moralem perficiendum, dicuntur etiam subjectum virtutis, ut, v. g., appetitus sensitivus uterque et intellectus in ordine ad voluntatem (Cf. Psych., n. 24).

61. *Undenam* et *ad quid* sint virtus et vitium ?

A. — Habitus, quibus facultates morales fiunt habiliores ad agendum, a natura initium habent, sed perficiuntur actibus repetitis.

Constat 1um ; natura enim conatu inclinat ad agendum, dat habitum primorum principiorum, temperamentum seu indolem ad virtutem aut ad vitia proclivem... etc. — Constat 2um experientia : unde habitus morum, sicut scientiarum et artium, merito dicuntur habitus acquisiti [2].

B. — Virtutes autem homini sunt ad finem *necessariæ*.

Prob. — Ad perfecte vivendum, requiritur ut homo constanter, prompte et delectabiliter ponat actus bonos, actusque malos omittat. Hoc autem, præsertim ob passiones [3], præstare non valemus sine adjutorio virtutis. Ergo requiritur virtus.

Constat *minor*. Sunt enim passiones, physice quidem utiles, moraliter autem nec bonæ nec malæ [4], quæ vero magnum exercent influxum sive in decisionem, sive in executionem voluntarii ; porro virtutis est passiones in bonum regere, ne vitiorum fiant adminicula (Psych., n. 74-77).

« Ne culpam ergo in rem ipsam (passionem) conferamus, sed semper in nostram mentem [5]. » — « La victoire sur ses passions est toujours possible et constitue la plus glorieuse et la plus utile des victoires [6]. »

1. *Eth. ad Nicom.*, L. II, 1. 4. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 63, a. 1 ; — **Aristoteles**, *Eth.*, II, 1. — 3. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 309 ; — **Ferretti**, *loc. cit.*, n. 159-164. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 24, a. 1 et q. 19, a. 2. — 5. **S. Augustinus**, *Expos. in ps.*, 148, n. 4. — 6. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 410.

ETHICÆ PARS POSTERIOR

SEU

ETHICA SPECIALIS[1].

Cum homo, quatenus persona, aliquod sit individuum, et quatenus animal sociale, « naturaliter sit pars alicujus multitudinis », Ethica specialis sponte dividitur in duas partes : I. *De Jure individuali* ; II. *De Jure sociali.*

LIBER PRIMUS.

DE JURE INDIVIDUALI.

Jus individuale continetur in officiis et juribus, quæ unicuique individuo competunt, sive erga Deum, sive erga seipsum, sive erga alios homines privatos. Unde tria sunt capita, quibus aliud præmittitur : I. *De Jure et Officio in universum* ; — II. *De officiis erga Deum* ; — III. *De officiis erga Seipsum* ; — IV. *De officiis erga Alios.*

CAPUT PRIMUM.

DE JURE ET OFFICIO IN UNIVERSUM[2].

Disserere est 1° *de Jure* ; — 2° *de Officio* ; — 3° *de Relationibus* juris et officii.

ARTICULUS I.

De Jure.

62. ***Quid*** **sit jus quoad nomen et quoad rem ?**

A. — Jus (a *jubendo*[3], vel *justari*[4]) semper designat ali-

1. Cf. **Castelein**, *Droit naturel*, 1903 ; — **Justinianus** ; — **Gratianus**, *dist.* 5 ; — **Suarez** ; — **Puffendorff** ; — **Bastiat**, **Périn** ; — **Le Play**, *la Réforme Sociale* ; — **A. Rondelet**, *la Morale et la richesse* ; — **J. Simon**, *du Devoir*, caute legendus. — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 57. — 3. **Forcellini**, *Lex.*, voc. *Jus* ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 57, ad. 1 — 4. **Scotus**, *De Just. et Jure*, L. III, 1, a. 1.

quid cum lege connexum. Quandoque enim ipsam legem vel codicem legum significat, quandoque objectum legis, quandoque legis effectum [1].

B. — Stricto sensu definitur : *Potestas moralis quam unusquisque habet in rem suam, vel ad rem sibi debitam.* Hinc

1. *Essentia* juris non in potestate physica consistit, sed morali, id est quæ fit secundum rationem et regulas morum. Nam vis potest esse sine jure, et jus sine vi.

2. *Subjectum* juris est persona moralis, nempe intellectu et voluntate prædita ; hæc enim sola, sive sit individua, sive collectiva, potest exercere potestatem moralem.

Errant igitur philosophi recentes [2] Ahrens et Damiron, qui Pythagoræ et Empedoclis sententiam renovantes, brutis jura inesse contendunt, quæ homines deberent religiose servare [3].

3. Habet enim jus suum *effectum* seu correlativam obligationem in *altero*, qui etiam persona moralis est (n. 67).

4. *Objectum* ergo juris immediatum est actus moralis, quem quis facere, vel ab alio exigere moraliter potest : v. g., jus habeo libere manducandi, vel ut servus mihi ministret cibos.

5. Denique jus nititur, occasione alicujus facti, quod dicitur *titulus*, in lege sive positiva, sive naturali, ac proinde ultimo *fundatur* in lege æterna.

63. Quænam sint juris *proprietates* ?

Quatuor ex definitione colliguntur juris proprietates : *inviolabilitas, coactio, limitatio* et *collisio*.

1. *Inviolabilitas* : nam contradictorium esset uni concedere potestatem libere aliquid faciendi, alteri vero jus impediendi exercitium hujusce potestatis. Tunc enim jus juri, veritas veritati opponeretur, quod non potest esse in ordine rerum a sapientissimo Deo instituto. — Similiter non esset incriminanda theoria *factorum consummatorum* vel, ut aiunt, « le droit du plus fort », vi cujus « omnia facta juris vim habent », quapropter « væ victis ! » [4] ; nam e contra « fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert [5] ».

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 57, a. 1 et 2. — 2. **Ahrens**, *Cours de droit naturel*, quem confutat **Tapparelli** : *Saggio teoretico*. — 3. Item hodierni Thiriophili, qui publicas societates instituunt in favorem animalium. — 4. **Cousin**, *Introduct. à l'hist. de la phil.*, leç. IX. — 5. **Syllabus**, 59 et 61 ap. **Denzinger**, n. 1759 et 1761.

2. *Coactio* : hæc est facultas utendi vi physica, ut jus nostrum servare, aut ab aliena persona obtinere valeamus. Jamvero hæc nova potestas priori juri, perfecto saltem, accedit et est necessaria : aliter enim esset sæpius inefficax, prorsus inutili et insufficienti inviolabilitate gauderet.

3. *Limitatio* : nam uniuscujusque activitas, propter bonum commune, lege mensuratur quæ ipsi quasdam actiones prohibet : porro hæc legis prohibitio dicitur limitatio juris.

4. *Collisio* ; sic metaphorice vocatur concursus plurium jurium circa eamdem materiam, ita ut exercitium unius impediat exercitium alterius. Porro oppositio juris cum jure non potest esse nisi tantum apparens ; secus enim verum vero et justum justo contradiceret. Hinc in conflictu duplicis juris, vel alterutrum jus non est verum, vel minus majori v. g., jus humanum juri divino, cedere debet secundum axioma : Ubi major est, minor cessat.

64. Quænam sint variæ jurium *species* ?

1° Ratione *finis*, dividitur jus in jus jurisdictionis et jus proprietatis. Prius est potestas ferendi leges in bonum totius communitatis ; posterius est jus alios obligandi in suum bonum proprium. Hoc viget inter æquales, illud est in superioribus ; unum in natura rerum titulum habet, aliud in libero voluntatis imperio proxime nititur.

2° Porro jus proprietatis duplex est, nempe : *jus in re* et *jus ad rem.* Jus in re versatur circa rem jam possessam, et jus ad rem est illud quod habemus ut res nondum habita fiat nostra : v. g., ut pecunia debita tibi tradatur.

3° Ratione fundamenti, jus vel nititur in ipsa hominis natura, v. g., jus vivendi, et ut sic, vocatur *innatum*, naturale, primitivum et absolutum ; vel e contra oritur ex facto quodam libero, ut est pactum inter personas habiles initum : et proinde dici solet *acquisitum*, adventitium, secundarium et hypotheticum.

4° Tandem jus directe refertur ad justitiam vel ad aliam virtutem moralem : si prius, vocari solet *strictum* et perfectum ; si posterius, dicitur imperfectum, *non strictum*. Unum respicit justum, aliud æquum ; hoc respondet officio imperfecto, illud perfecto (n. 66, 91).

ARTICULUS II.

De Officio.

65. Quænam sint officii *notio* et elementa ?

Officium recte definitur : *Obligatio moralis, qua voluntas ad aliquid faciendum vel omittendum adstringitur.*

Hinc 1. — *Formaliter* est obligatio moralis seu vinculum, non utique physicum, sed morale, id est, quod voluntas infringere non potest quin ordo rationis turbetur et jus alterius violetur. Hinc 2. — *subjectum* officii non potest esse nisi persona moralis et libertate prædita. 3. — Similiter nemo ligatur nisi erga *aliquem*, qui habeat jus obligandi et in cujus bonum cedat officium. 4. — Hæc officia pro *objecto* habent vel actus positivos vel omissiones. 5. — Ponuntur autem vel omittuntur propter legem aliquam præcipientem vel prohibentem ; unde ultimo *fundantur* in lege æterna.

66. *Quotuplex* sit officium ?

1° Ratione *materiæ*, officium est affirmativum vel negativum, prout voluntas ad aliquid faciendum vel omittendum adstringitur. Porro præcepta negativa obligant « semper et pro semper », id est, in omni loco, tempore et circumstantia ; præcepta vero affirmativa obligant semper, sed non « pro semper » ; videlicet, obligant solummodo tempore præscripto.

2° Ratione *principii*, dicitur naturale et primitivum, vel positivum et adventitium, in quantum nascitur a lege naturali, vel a lege positiva.

3° Ratione *sui*, officium aut debitum dividitur in juridico-morale, et morale simpliciter. Prius debetur ex justitia, v. g., depositi restitutio ; posterius ex mera æquitate aut caritate tantum, v. g., eleemosyna ; unum respondet juri perfecto et stricto, alterum juri late sumpto et imperfecto [1] (n. 64, 91).

4° Denique ratione *termini*, cuncta officia vel sunt erga Deum, vel erga seipsum, vel erga alios homines.

ARTICULUS III.

De Relationibus juris et officii.

67. Quænam sint *relationes* juris et officii ?

1° Ratione *originis*, utrumque a lege *proxime* oritur. Nam

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 80, a. 1.

— 1. Officium est obligatio moralis ; omnis autem obligatio oritur ab aliqua lege, quæ ligat voluntatem. — 2. Jus autem est potestas vel aliquid faciendi aut non faciendi, vel obligandi alios ad aliquid faciendum aut non faciendum. Si prius, hæc potestas venit a lege naturali permittente quidquid non est prohibitum. Si posterius, hæc vis obligativa oritur a lege naturali vel positiva, quæ concedit homini potestatem exigendi aliquid a cæteris. Ergo in utroque casu venit *proxime* ab aliqua lege. — 3. *Ultimo* autem jus et officium procedunt a Deo, nam omnis lex *fundatur* in lege Dei æterna [1].

Hinc jurium et officiorum *fundamentum* non inquiratur in vi physica (materialistæ), nec in desideriis nativis (sensualistæ), nec in utilitate (socialistæ), nec in libertate (liberales), nec in humanitate quasi deificata (Comte), nec in solidarismo sociali (L. Bourgeois), etc. (Cf. n. 92).

II° Ratione *prioritatis* inter jus et officium, duo certa sunt :

a) Jus *in se*, absolute et ontologice sumptum, ut dicunt, prius est officio ; officium enim in *creaturis* a Deo dimanat ; Deus autem, ut summe independens, jus supremum in omnia possidet, nullis autem officiis adstringitur.

b) Sed *in creaturis* moralitate præditis, jure prius est officium, imo jus in officio fundatur ; id est, omne jus hominis vim et originem ducit ab officiis cujusque erga Deum. Hominem enim primario concipimus ut *creaturam*, quæ tum in esse, tum in operari a Deo *pendet* ; et consequenter, Deo jubente, multis adstringi debet officiis. Non est igitur penes hominem officia erga Deum recusare, quin ipse omni jure destituatur, imo quin funditus evertatur basis familiæ et societatis.

Quam igitur vana sit « Declaratio Jurium hominis [2] », — quam illogica « laïca », ut aiunt, scientia moralis, — ac proinde quam periculosa educatio moderni Status Gallici, qui *officia erga Deum* in programmate scholarum impie et audacter ex professo suppressit [3], nemo non videt !

III° Ratione tandem *cognitionis*, lex est etiam principium seu criterium quo jura et officia dignoscuntur : lex enim est mensura boni moralis et proinde justi, quod est una species boni moralis. Ideo jura et officia sunt simul natura et cognitione.

1. **Castelein**, *loc. cit.*, p. 297. — 2. Cf. Epistola **Benedicti XV** ad superiorem Marianistarum, in *Act. Apost. Sed.*, 1917. — 3. Journal Officiel, *Discours de* **M. Barthou, 12 juin 1913.**

Cor. — Proinde sunt et dicuntur jus et officum *correlativa*, in eo sensu quod cuilibet juri obligatio seu officium respondet, non in eo sensu quod neutrum habeat prioritatem in alterum. Nam jus prioritatem quamdam, et officium dependentiam importat : nisi enim esset prioritas unius termini relative ad alterum, nulla obligatio proprie dicta concipi posset.

CAPUT SECUNDUM.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM [1].

Consulto dixi : de *officiis*, nullum enim est jus hominis erga Deum. Ea autem officia quibus Deo creatura rationalis adstringitur, religionem naturalem constituunt. De qua triplex sit paragraphus : 1° De *Religione* in se sumpta ; 2° De expressione religionis per *Cultum* ; 3° Speciatim per *Orationem*.

ARTICULUS I.

De Religione in se sumpta.

68. *Quid sit* religio naturalis quoad nomen et quoad rem ?

A. — *Religio*, a *religando*, indigitat vincula seu officia quibus « obstricti Deo et religati sumus [2] », ut homo « ab Eo non evagetur [3] ». — Hic agitur de religione *naturali*, cujus officia, saltem ratione modi quo manifestantur, differunt a dogmatibus et præceptis religionis *supernaturalis*.

B. — *Quoad rem*, religio sumi potest in duplici sensu :

1. *Subjective*, est dispositio seu habitus, qui definitur [4] : *Virtus moralis, per quam exhibemus Deo cultum seu honorem debitum.* Dicitur moralis et annumeratur inter partes justitiæ.

2. *Objective* est *ipsamet officiorum collectio quibus creatura rationalis, qua talis, erga Creatorem astringitur.*

Jamvero inter hæc officia, alia sunt *theologica*, quæ directe Deum respiciunt, ut credere, sperare, amare ; alia sunt *moralia*, quæ pro objecto aliquid creatum habent, ut obedire, pœnitere, et indirecte tantum Deum attingunt.

69. Utrum homo *teneatur* ad officia erga Deum ?

De *necessitate* religionis naturalis errores pessimi apud hodiernos philosophos grassantur ; sunt enim qui saltem prac-

1. **Farges**, *Nouvelle apologétique*, p. 232-268 ; — **S. Augustinus**, *De vera relig.* ; — *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 81. — 2. **Lactantius**, *Instit.*, L. IV, c. XXVII et XXVIII. — 3. *Cont. Gent.*, L. III, c. CXIX. — 4. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 81, a. 2 et 4.

ticæ religionem quamlibet rejiciunt et nullum cultum Deo exhibendem esse putant. Adversus eos statuitur

THESIS

Homo, vi naturæ suæ, ad officia religionis erga Deum necessario tenetur.

Prob. — Deus est supra modum *excellens* ; homines ab Eo pendent, ut a supremo *principio* ; necnon ad Eum ordinantur, tanquam ad *finem ultimum.* Deo igitur solvenda sunt officia religionis : videlicet *honoris, famulatus* et *amoris.*

1° Honor, ratione *excellentiæ* : nam honor debetur alicui secundum gradum excellentiæ suæ. Sed Deus in infinitum transcendit omnia. « Unde ei debetur specialis honor [1]. »

2° Famulatus, ratione *dominii* ; quippe non solum esse, verum etiam in esse perseverare et agere habemus a Deo ; porro « ubi est propria et specialis ratio dominii, ibi sit specialis et propria ratio servitutis [2] ».

3° Amor, ratione *finis ultimi* ; quum enim finis ultimus, nempe Deus, sit summum bonum, sive in se, sive relative ad nos, in eum per amorem tendere oportet : « Ad Deum, nostra electio libera dirigi debet sicut in ultimum finem [3]. »

Sed honor, famulatus et amor sunt officia religionis. Homo igitur officia religionis erga Deum solvere debet.

70. *Obj.* — Deus non indiget aliquo ; ergo nec religione.

Resp. 1° *Dist. ant.* : Deus non eget creaturis, *conc.* ; creatione semel effecta, aliquatenus non eget gloria sua extrinseca, et ideo religione, *nego* : hanc enim non velle non potest.

2° *Retorqueo* : homo indiget Deo : ergo et religione. Revera « Deo reverentiam exhibemus non propter ipsum, sed propter nos ». In hoc enim perfectio hominis consistit : « quælibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima [4]. » Unde optime J. Simon : « Dieu n'en a pas besoin, dit-on. Il est vrai, mais la perfection de Dieu ne nous dispense pas de nos devoirs... C'est mal raisonner et mal faire que de chercher dans la perfection de sa nature un prétexte pour nos vices [5]. »

Inst. — Homo impar est ad honorem Deo reddendum secundum æqualitatem, ut importat justitia : ideoque religio est inutilis.

Resp. *Dist. ant.* : homo Deum honorare nequit ad æqualitatem

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 18, a. 4. — 2. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 81, a. 1, ad 3 et a. 3, ad 2. — 3. *Sum. Theol.*, *loc. cit.*, a. 1. — 4. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 31, a. 7, — a. 6, — a. 2. — 5. J. Simon, *Rel. nat.*, p. 365.

absolutam, *conc.* ; ad æqualitatem relativam, et « secundum quamdam considerationem humanæ facultatis et divinæ acceptationis [1] », *nego.*

ARTICULUS II.

De expressione religionis per Cultum.

71. Quid et quotuplex sit *cultus* ?

A. — Religio, qua Deo essentialiter adstringimur, actibus exprimi debet ; actus autem illi exercitium cultus formalis proprie dicti constituunt. — Si interne perficiuntur, ut cognitio aut amor, cultus est *internus* ; si externe, ope sensuum, exprimuntur, ut sacrificium aut oratio vocalis, cultus est *externus.* — Præterea, cultus in quantum est rationis applicatio notitiæ perfectionis et excellentiæ divinæ, vocatur *theoreticus* ; quatenus est exhibitio reverentiæ seu famulatus Deo debiti, nominatur *practicus.* — Item, cultus exhiberi potest ab individuis vel a societate ; ideo dicitur *privatus* vel *publicus.*

B. — Similiter hic cultus quadruplici modo infici potest, sc. *blasphemia*, *impietate*, *superstitione* et *idololatria.* Vel enim intellectus aliquid excellentiæ divinæ detrahit, et hoc est blasphemia ; vel ipsa voluntas honorem Deo debitum solvere non vult, quod est impietas ; vel cultus exhibetur modo indigno, et hoc est superstitio ; vel cultus latriæ, nempe soli Deo debitus, alii tribuitur, quod est idololatria.

72. Utrum cultus sit jure naturali *præscriptus* ?

Multi philosophi, præsertim inter rationalistas, de cultu falsa propugnant. Quidam enim docent honorem Deo exhiberi etiam ab atheis, qui Dei existentiam agnoscere timent [2]. — Alii vero, post Kantium, opinantur amorem Dei invisibilis esse prorsus impossibilem, et inter mysticismi commenta ablegandum. — Nonnulli autem, cultum internum admittentes, contendunt religionem externam non esse jure naturali præscriptam. — Alii tandem cultum publicum, a societate civili exhibitum, respuunt ut libertati societatis oppositum. Sit adversus eos

THESIS

Cultus internus, theoreticus et practicus, itemque cultus externus, jure naturali præscribuntur.

Arg. gen. — Lex naturalis præcipit ut obsequium Deo exhibeatur ratione dominii, quod ei competit ut primo rerum principio [3]. Sed Deus est intellectus, voluntatis et corporis nostri

1. *Sum. Theol.*, *ibid.*, a. 5, ad 3. — 2. **Renan**, *Essai de morale et de critique*, p. 66, 67 ; — **Ahrens**, *Cours de droit naturel*, p. III, c. I. — 3. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 81, a. 3.

auctor et gubernator. Ergo intellectum et voluntatem Dei notitiæ et amori, corpus autem divinis laudibus, officiisque famulatus et honoris applicari, jure naturali præcipitur.

Arg. spec. — 1° Cultus *theoreticus* præscribitur jure naturali. — Id enim a jure naturali præcipitur, sine quo Dei excellentia et dominium agnosci non possent. Atqui agnosci non possent sine cultu theoretico, id est sine applicatione intellectus rebus divinis ; quis enim Deo cultum exhiberet nisi prius Deum seu Creatorem et Dominum nostrum esse crederet ? Unde Seneca : « Primus est deorum cultus deos *credere* ; deinde reddere eis majestatem suam, reddere bonitatem [1]. »

2° Sed etiam cultus *internus* et *practicus*. Revera voluntas sequitur intellectum. Cum autem intellectus Deum apprehendat ut ens supremum, summum bonum, verum et pulchrum, voluntas illud ens amare debet quantum est amabile, illud revereri et obsequio prosequi quantum meretur [2]. Quæ sunt officia cultus interni et practici.

73. 3° *Nec minus præcipitur cultus externus et privatus* : qui fit actibus a voluntate imperatis : ut sunt sacrificia externa, orationes vocales et alia similia.

1. Probatur ex *natura Dei* : quum enim Deus sit non tantum animæ, sed et corporis auctor et creator, necesse est ut « homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est non solum mente, sed etiam corpore [3] ».

2. Probatur ex *natura hominis* ; tum quia homini connaturale est cogitationes suas et affectus internos signis sensibilibus exprimere : tum quia « mens humana indiget, ad hoc quod conjungatur Deo, sensibilium manuductione, ut eis, quasi signis quibusdam, excitetur ad spirituales actus [4] ».

4° Hinc etiam inferetur necessitas cultus *publici* (n. 141).

Obj. — « Deum in spiritu et veritate oportet adorare [5] » ; ergo omnis cultus externus est saltem inutilis [6].

Resp. *Dist. ant.* : Deum adorare oportet in spiritu et veritate primario et principaliter, *conc.* ; exclusive, *nego*. Et vero nonnulli religionem in actibus externis, in ritibus et cæremoniis solummodo consistere falso sentiunt, dum e contra « religio habet interiores actus, quasi principales et per se ad religionem perti-

1. *Epist.* 95, n. 43. — 2. Cf. J. Simon, *Relig. natur.*, p. 363 ; — *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 81, a. 7. — 3. *Ibid.*, q. 83, a. 12. — 4. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 81, a. 7 ; — *Contra Gentiles*, L. III, c. 119. — 5. S. Joan., IV, 24. — 6. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 83, a. 7, obj. 1.

nentes : exteriores vero actus, quasi secundarios et ad interiores actus ordinatos [1] ».

Inst. — Cultus externus superstitioni viam pandit ; ergo nocivus est.

Resp. *Dist. ant.* : superstitioni viam pandit ex abusu, *conc.* ; per se, ex natura sua, *nego*. Homines enim rebus optimis abuti possunt, sed exinde nihil contra usum concludere fas est.

ARTICULUS III.

De Oratione in sensu petitionis accepta.

74. Utrum oratio sit *conveniens*, imo de *jure naturæ* ?

Generatim orationem, quatenus est gratiarum actio, optimam esse fatentur. Sed — 1. Rationalistæ (ducibus J.-J. Rousseau, Kant, Saisset, Damiron et J. Simon), orationem in sensu petitionis acceptam rejiciunt ut inutilem, Dei sapientiæ, immutabilitati et bonitati injuriosam, hominisque dignitati oppositam [2]. « C'est quand la prière contient une demande qu'il paraît difficile de la concilier avec l'immutabilité divine ; car, d'un côté, on ne demande que pour obtenir, et, d'un autre côté, Dieu ne change rien à ses décrets [3]. » — 2. Sunt et alii etiam inter catholicos, v. g. Branchereau [4] et Tanquerey [5], qui non ratione præscriptam vel probabiliter tantum orationem esse volunt. — Adversus eos, sit

THESIS

Oratio, in sensu petitionis accepta, non solum maxime congruit naturæ humanæ, verum etiam jure naturali præcipitur [6].

I. — *Congruit.* 1° In *ordinatione rerum* maxime convenit ut Deus eligat ea quæ sunt ad cultum sibi debitum aptissima. Sed talis est oratio in sensu petitionis accepta ; nam « per orationem homo Deo reverentiam exibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se Eo indigere sicut auctore suorum bonorum ». Ergo maxime congruit ex parte Dei.

2° Decet hominem ad Deum præcipue moveri per *fiduciam*. Sed, quum aliquid a Deo petimus, fiducia movemur ad Eum, ut ad patrem nostrum et benefactorem, secundum ea S. Doctoris : « Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita : sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem : ut scilicet fiduciam

1. *Sum. Theol.*, *ibid.* — 2. **Damiron**, *Cours de phil. morale*, p. 238 ; — **J. Simon**, *La Rel. nat.*, p. 377, 272. — 3. **J. Simon**, *ibid.*, p. 378. — 4. *Prælect. philos.*, t. III, n. 1590. — 5. *Synopsis. theol.*, t. I, n. 178 ; — Cf. **Jo. a S. Thoma**, *Cursus. theol.*, t. VII, p. 770 ; — **Meyer**, **Vallet**, etc. — 6. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 83, a. 1-17 ; — *Contra Gent.*, L. III, c. 95.

quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus Eum esse bonorum nostrorum auctorem [1]. » Ergo congruit.

II. — *Præcipitur.* Omnibus adultis inest inclinatio invincibilis ad orandum ea præsertim quæ sunt necessaria necessitate medii ; talis autem inclinatio lex naturæ putanda est ; oratio igitur jure naturali præscribitur, et circa necessaria, necessaria est necessitate medii pro adultis.

Prob. *major.* — Experientia universali constat homines, ubique terrarum, Numen summum precari ut det præmia virtuti, aut veniam peccatorum condonet, ut prospera et opportuna largiatur, mala autem avertat. In arduis auxilium a Deo rogamus, et in periculis una voce clamamus : Heu ! Domine, salva nos ! Unde merito scripsit Plutarchus : « Urbem templis diisque carentem, quæ *precibus*... non utatur, nemo unquam vidit [2]. »

Prob. *minor.* — Homo enim orationi intentus est, eo quod recte judicat se multis necessariis ad finem egere, Deum autem esse bonorum omnium auctorem et largitorem : « Nec in hunc furorem, ait Seneca, omnes mortales consensissent alloquendi surda numina et inefficaces deos, nisi nossent illorum beneficia, nunc ultro oblata, nunc *orantibus* data magna et opportuna [3]. » Ergo cum Angelico : « ad orationem indeterminate quilibet *tenetur* ex hoc ipso quod tenetur ad bona spiritualia, sic procuranda, quæ nonnisi divinitus dantur [4] » : tenetur enim ad finem, ergo et ad medium necessarium.

75. *En objectiones* rationalistarum adversus orationem.

Obj. I. — Oratione petimus ut fiat *miraculum* et ordinatio Providentiæ immutetur : unde, oratio est Deo injuriosa [5]. « Si nous savions toujours ce que nous faisons quand nous prions, nous ne demanderions pas si facilement des miracles [6]. »

Resp. *Neg. ant.* Non enim propter hoc rogamus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum ; ut scilicet, « homines postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare [7] ».

Obj. II. — Deus *scit* ea quibus indigemus ; aliunde liberalius

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 83, a. 3 ; a. 2, ad 3. — 2. *Adv. Coloten.* — 3. *De Beneficiis*, L. IV, n. 4. — 4. *In IV Sent.*, dist. XV, q. 4, a. 1, *quæstiuncula* III a. — 5. Ita omnes rationalistæ ; v. g., **Rousseau**, *Profess. de foi du vic. savoy.* ; — **Damiron**, *Cours de phil. morale*, p. 235. — 6. **J. Simon**, *La Relig. nat.*, p. 377-380. — 7. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 83, a. 2, et p. 1, q. 23, a. 8 ; — *Cont. Gent.*, L. III, c. 95.

est dare aliquid non petenti, quam dare petenti. Ideo non est conveniens Deum orare ; aut saltem oratio est prorsus inutilis.

Resp. *Conc.* utrumque antecedens, sed *nego* utramque consequentiam ; nam ex altera causa oratio est conveniens et utilissima : nempe « ut fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum tanquam ad bonorum nostrorum auctorem [1] ».

Obj. III. — Oratio, præsertim vocalis, est *superstitio*, aut saltem minime congruit hominis *dignitati* ; ergo Deum orare non decet : « Dieu n'a nul besoin d'explications sur les désirs formés au dedans de nous... Ces instances font de l'homme agenouillé devant Dieu un courtisan mendiant une faveur [2]. »

Resp. *Nego* 1um *ant.* Oratio enim, nisi tantum ex abusu, non fit magis superstitiosa, quam cæteri actus religionis externæ. — *Nego* 2um *ant.*, præsertim cum hodierni rationalistæ ipsos homines humiliter rogare non erubescant ut dignitates impetrent. — Unde *nego conseq.* : nam oratio vocalis orationi internæ convenienter et utiliter adjungitur, sive ad excitandam interiorem devotionem, sive quasi ad redditionem debiti corporis, sive ex vehementi affectione, secundum illud psalmi : « Lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea [3]. »

Obj. IV. — Si decet orare, spiritualia tantum rogare oportet ; unde *materialia* petere a Deo non licet. « Nous ne dirons pas : Mon Dieu, fais pousser nos épis ; mais nous dirons : Mon Dieu, donne-moi le courage de semer ; ou : Console-moi de n'avoir pas récolté. Voici la vraie prière, la seule permise [4]. »

Resp. *Dist. ant.* : Deum rogare debemus ut spiritualia nobis concedat primario et principaliter, *conc.* ; exclusive, *neg.* — *Dist.* pariter *conseq.* : non decet materialia petere primario et principaliter, *conc.* ; secundario et conditionate, *neg.* — Revera « hoc licet orare, quod licet desiderare [5] ». Sed temporalia licet desiderare. non quidem principaliter, sed « in quantum per ea vita temporalis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum. Et ideo pro temporalibus licet orare [6] ».

CAPUT TERTIUM.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM.

76. Utrum et quatenus homo habeat officia *erga seipsum*?

A. — Sunt qui officia hominis erga seipsum negant, v. g., Bautain [7], post Thomasium et Kantium, sive quod homo obli-

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 83, a. 12. — 2. **J. Simon**, *La Rel. nat.*, p. 382-383. — 3. Ps. XV, 9. — 4. **J. Simon**, *La Rel. nat.*, p. 381-382. — 5. **S. Augustinus**, ad *Prob. Epist.*, 130, c. XIII. — 6. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 83, a. 6 ; — **Aristoteles**, 1 *Eth.*, c. VIII. — 7. *Philosophie morale*, vol. II, ch. IV, § 59.

gationem sibi imponere non valet, sive quod terminus actionis suæ esse nequit. Hæc autem est quæstio meri nominis : nam — 1. Homo, cum adimplet officia erga seipsum, servat jura Dei in seipso, sicque non est horum principium, sed terminus. — 2. Nec terminus est ultimus, sed secundum quid : sicut enim res inferiores ad bonum hominis, ita et homines ad gloriam Dei ordinantur.

Quapropter hæc officia non sunt juridica seu justitiæ ; hæc enim veram alteritatem et inæqualitatem postulant ; sed sunt moralia seu charitatis, et sub hac formula continentur : « Amore ordinato teipsum dilige. »

B. — Revera omne ens pondere suæ naturæ, bonum proprium amat ; bruta quidem necessario bonum suum verum ; homo autem libere, modo verum, modo etiam apparens bonum. Porro quæ libertate carent, legi subjiciuntur, non sese subjiciunt ; quæ vero sunt libera, legi sese subjiciunt, non subjiciuntur. Ergo legibus et officiis subjacet homo, quibus dirigatur ad actiones suæ naturæ convenientes.

Jamvero homini triplex incumbit officium, siquidem *animam perficere, corpus menti subordinare, compositum humanum conservare* homo tenetur. Unde triplex sit articulus.

ARTICULUS I.

De Perfectione animæ.

Hæc perfectio pendet ab *intellectu* et *voluntate*. Unde

77. Utrum sint hominis officia erga suum *intellectum* ?

Negant fautores, ut aiunt, liberæ cogitationis, hoc innixi liberalismi principio : « La liberté consiste à pouvoir faire tout ce qui ne nuit pas à autrui [1] » ; nemini autem nocet qui cogitat sive verum, sive falsum. Sed contra sit

THESIS

Libertas absoluta cogitationis falsa est et perniciosa.

I. *Falsa est*, nam — 1. falso *innititur fundamento* : qui enim errori adhæret, veritati injuriam facit ; sic, ut afferatur exemplum, qui cogitat Deum non esse, juribus aliorum hominum quidem non nocet, Deo tamen injuriam irrogat. — 2. *Subvertit intellectum.* Revera, unaquæque facultas proprium habet

1. *Déclaration des droits de l'homme*, an. 1789.

objectum cujus possessione perficitur, cujus contrarietate depravatur. Porro objectum intellectus est verum, cui opponitur error. Ergo a veritate discedere et errorem amplecti, intellectui perversio et nefas est.

II. *Perniciosa est.* Nam homo, errorem accipiendo, non intellectui tantum nocet, sed et voluntati, quæ sequitur lumen intellectus ; porro a voluntate pendet tota vitæ moralitas ; ergo. — Quinimo natura jubet ut a gravi periculo errandi abstineamus. Quapropter illicita est libertas quæcumque audiendi vel legendi : nec jus ad errorem amplectendum directe quis habet : jus enim errandi nullum est[1].

Nec *dicas* singulos cives habere jus ad errorem. — Nam tolerantia Statûs erga multos errores (n. 131) cum protectione juris cujusque ad errorem confundi non potest.

Hinc corruit fundamentum *liberalismi absoluti*[2]. Quapropter, non licet intellectui quæcumque voluerit cogitare : 1. — Circa omnia omnino : secus versaretur in scepticismum ; — 2. Circa ea quæ Deus revelavit : secus incideret in rationalismum ; — 3. Circa ea quæ auctoritate infallibili non definiuntur, sed dogmatibus sunt connexa : secus non recederet a semi-liberalismo ; — 4. Circa multa quæ immediata evidentia non gaudent, sed ratiocinio certo probantur : secus non recederet ab indifferentismo intellectuali, nec haberet veritatis sincerum amorem[3].

78. *Quænam* ergo homini scientia esse debeat ?

I. *Una est de præcepto.* A. — Homo, *quicumque sit*, suum intellectum sufficienter perficere debet ut ad finem ultimum, actiones suas jure componendo, attingere possit. Videlicet, ornare se debet sapientia, scientia, prudentia : *Sapientia*, quæ « intendit æternis conspiciendis et consulendis[4] » ; — *Scientia* sive Dei, sive suiipsius, sive aliorum hominum, ut exinde sua jura et officia cognoscat ; — *Prudentia*, qua de rebus humanis recte judicetur, in ordine ad comparationem æternorum (n. 59).

B. — Præterea, *cuilibet* inest obligatio scientiam requisitam adipiscendi, ut munus quo fungitur, rite impleat. Homo enim vitam in concreto ducit, et specialibus obligationibus sui status obstrictus remanet. Ad hoc autem requiritur *com-*

2. Cf. **Canet**, *La liberté de conscience.* — 2. **Gérard**, *Essai sur les vrais principes.* — 3. **Vander Aa**, *Ethica*, p. 74. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 66, a. 5, etc.

petens scientia, imo eminentior in iis, qui ratione status et muneris sui, aliis præesse debent.

II. Cætera *non præcipiuntur*, sed tamen *sunt de consilio.*

1. *Non præcipiuntur*, unde necessitas discendi litteras humanas, quam enixe propugnant, imo et obligatio frequentandi scholas primarias, nullo jure naturali præcipitur ; nam, omnia quæ in hujusmodi scholis addiscuntur, ad finem hominis vel boni civis absolute non requiruntur, imo semper et pro omnibus forsitan non expediunt (n. 127).

2. Sunt tamen *de consilio* : quisquis enim invitatur ad scientiam altiorem, sicut ad majorem perfectionem. Unde J.-J. Rousseau, vir aliunde paradoxis suis famosus, perperam asserit scientiarum et artium culturam esse prorsus inutilem ad vitam emendandam, imo tali cultura bonos mores depravari. « J'ose presque assurer que l'état de réflexion est un état contre nature, et que l'homme qui médite est un animal dépravé [1]. » Sed contra scientia et artes per se sunt optimæ, licet homines iis abuti possint, nec ipsa Ecclesia « commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit [2] ».

79. Utrum sint hominis officia erga suam *voluntatem* ?

Negant amatores, ut aiunt, libertatis conscientiæ. Hæc porro definitur « systema eorum qui asserunt hominibus inesse jus agendi ea quæ magis placent », sive erga seipsum, sive erga Deum in iis quæ religionem spectant, sive erga alios, modo tamen nihil agatur contra jus alienum. Hinc axioma : « Age quod vis, sed nemini vim inferas. »

Sed contra, tenetur voluntas bonum ratione recta propositum, constanter prosequi. Unde sit

THESIS

Libertas conscientiæ, in sensu recentiorum accepta, est falsa et perniciosa [3].

Dixi : in sensu recentiorum ; nam si recta est conscientia et conformis rationi, libertas conscientiæ est jus naturale.

I. — *Falsa est.* Nam illud systema falsum est quod jus veri-

1. *Disc. sur l'origine de l'inégalité des hommes* ; *Si le rétablissement des sciences et des arts a contribué à épurer les mœurs.* — 2. Concilium Vaticanum, *de Fide*, cap. IV ; cf. **Denzinger**, n. 1799. — 3. Cf. **Canet**, *La liberté de conscience.*

tatis evertit, conscientiam individuam legi æternæ substituit, licentiam pro libertate habet, et nonnisi nomine differt a Morali quam vocant « independentem ». Atqui talis est libertas conscientiæ, in sensu recentiorum accepta : *tunc* enim nullum esset discrimen inter jus veritatis et jus erroris ; — *jam* conscientia non esset applicatio legis æternæ, sed ipsa fieret lex universalis et indefectibilis actionum nostrarum ; — *similiter*, libertas quæ extenderetur ad hæc omnia quæ juribus aliorum non sunt opposita, esset mera licentia et Deo prorsus injuriosa ; — *tandemque* si liceret cogitare, scribere et docere omnia quæ lubent, jam homo non penderet a Deo, sed esset ipse sibi lex unica et suprema. Ergo libertas conscientiæ in se suisque principiis falsa est.

II. — *Perniciosa est.* Viam enim pandit falsis libertatibus preli, doctrinæ et cultuum, et effrenatæ licentiæ (n. 86).

Sint igitur voluntati sua regula recta, ratio sc. et lex æterna ; suum objectum, nempe bonum ratione propositum ; suæ virtutes, i. e., quæ tenent medium inter utrumque excessum.

80. Quænam voluntati ratio *præcipiat* aut *consulat* ?

A. — *Præcipit* Deum super omnia, seipsum in ordine ad Deum et alios homines sicut seipsum diligere. Hinc axioma : « Dilige teipsum amore ordinato. » — *Dilige teipsum*, tum quia amor quo homines seipsos diligunt, merito putatur lex naturæ constans et universalis, tum quia Deus hominem diligit : debemus autem velle et amare quod Deus vult et amat [1]. — *Dilige amore ordinato* ; nam homo servare debet ordinem a sapientia Dei et rerum essentia statutum ; sed Deus seipsum super omnia et hominem in ordine ad seipsum diligit ; homo igitur Deum super omnia ut summum bonum, seipsum autem et alios homines in ordine ad Deum diligere debet.

Hunc porro ordinem subvertit triplex amor : 1. *Mysticismus* exaggeratus, qui inconsiderate dicit nihil nisi solum Deum esse amandum ; — 2. *Egoismus* Fichtei et rationalistarum quorum est regula : « Dilige teipsum super omnia, et omnia in ordine ad teipsum » ; — 3. *Altruismus* (A. Comte) cujus axioma sic sonat : « Dilige humanitatem super omnia et omnia in ordine ad humanitatem [2] ».

B. — Præter præcepta, ratio multa *consilia* voluntati offert.

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 25, a. 4, 5, 7, 8, etc. ; — **Farges,** *La Liberté et le Devoir*, p. 246-251. — 2. Egoismus dicitur quoque « philautia » et « autolatria ». De altruismo, cf. **Aug. Comte,** *Relig. de l'av.*

Absit autem ut hæc prorsus negligantur, — tum quia perfectioni hominis maxime prosunt [1]; — tum quia, his ex professo neglectis, statim in foribus peccatum aderit [2].

ARTICULUS II.

De Corporis subjectione.

81. Quatenus *potentiæ inferiores* rationi subjiciantur ?

I. *Tenetur* homo potentias inferiores rationi et voluntati subordinare. Revera ordo rerum postulat ut media ad finem subordinentur ; porro facultates inferiores non sunt propter se, sed propter aliud, tanquam media ad finem, ut patet percurrenti per singula ; ergo, juxta ordinem Providentiæ, rationi et voluntati subordinari et opitulari debent ; secus, id quod in nobis est inferius et deterius, facultatibus superioribus et altioris ordinis non obediret.

Crassus est igitur et prohibitus a natura sensismus hodiernorum, quem Stendhal, Taine et alii propugnant. Nam, juxta eos, organa corporis nata sunt ut sensibilitati unice deserviant ; — item motus eorum ab bonum sensibile ut ad finem ultimum ordinantur ; — corpus propter se perfici debet, sicut et sensatio propter se quæritur.

II. Officia hominis erga motus et actiones corporales sunt *negativa* vel *positiva.*

Primo quidem fugere debemus quidquid rationi opponitur, ut sunt ebrietas et alcoolismus, otiositas, immodestia, excessus in ornatu, ludi scenici, choreæ, libri amatorii, aut alia similia quæ fomitem concupiscentiæ accendunt, mentem hebetant, enervantque voluntatem. Hoc practice præsertim per fortitudinem et temperantiam obtinetur ; quarum ope appetitum concupiscibilem et irascibilem ordinare, regere et frænare licet.

Secundo autem corpori præstare oportet ea quæ sunt illi utilia, sive ad nutrimentum, sive ad ornatum debitum et honestum, attenta personæ convenientia. — Ad *nutrimentum* et valetudinem : secus enim brevi ineptum fieret ad obeunda sui status officia. — Ad *ornatum* debitum, nam pars hominis corporea animæ unitur et nobile quoddam præ se fert, quod ridiculum vel abjectum reddere non licet.

82. Utrum etiam liceat moderata corporis *castigatio* ?

Negant protestantes et omnes carnis suæ amatores. Sed con-

1. Cf. *De la Formation de la volonté*, in *Revue de philos.* (oct. 1901). — 2. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 108, a. 4, c.

tra licet, virtutis causa, prudenti et amica castigatione corpus emendare, ut rationis imperio facilius obtemperet.

A. — *Suadetur.* — 1° *E contrario* : nam hujusmodi austeritates, v. g., jejunia, vigiliæ..., corporis sanitati non parum prosunt, nec profecto tam nocent quam gula, ebrietas, luxuria, mollities. — 2° *A pari* : licet corpori non parva imponere incommoda, ratione sive studii, sive negotiorum, sive muneris obeundi ; ergo multo magis ad profectum animæ, et virtutis causa. — 3° Denique *sensu communi* hominum, qui afflictiones corporeas sive ad expiationem, sive ad Numen supremum placandum, sive aliam ob causam, sponte sua assumpserunt.

B. — *Probatur* : homo potest eligere quod est magis aptum ad finem ultimum attingendum. Porro austeritas vitæ, cum prudenti castigatione corporis, optimum est medium ad frænandam et domandam carnem, ad pœnitentiam agendam, imo ad amorem Dei et hominum accendendum in cordibus nostris. Ergo talis austeritas licet et valde commendatur.

Dixi : *prudenti castigatione*, quæ scilicet non in morbum corpus dejiciat, nec rationis exercitium impediat. Unde, licet raro sit timendus ea de re excessus, aliquis tamen, fatente S. Thoma, nimia castigatione, saltem materialiter, peccare potest.

ARTICULUS III.

De conservatione Compositi humani.

83. Utrum homo teneatur *vitam* suam conservare ?

Rationalistæ hodierni, post veteres stoicos, putant licitum, vel etiam obligatorium, imo heroicæ virtutis esse suicidium, si quando certis in adjunctis patretur, v. g., ad vitandam calamitatem, infamiam. Sed contra sit

THESIS

Suicidium jure naturali prohibetur.

Prob. — Suicidium est actus hominis, qui sciens et volens, nequaquam jubente Deo, directe sibi vitam arripit : unde differt a temeritate vel fortitudine qua quis se exponit indirecte periculo mortis, ut miles in bello. — Hoc autem in sensu acceptum, suicidium, *naturæ hominis*, *bono societatis* et *juri divino* omnino contradicit.

Constat 1um. Nam nolle vivere, est actus contra inclinatio-

nem naturalem hominis et omnium viventium, ac proinde contra charitatem, qua quilibet homo debet seipsum diligere [1].

Constat 2um. Homo enim qui seipsum occidit, juri societatis nocet, quia ei subtrahit membrum, et cæteris præbet exemplum quod bono societatis, experientia teste, pessimum detrimentum affert [2].

Constat 3um. Ex ordinatione Sapientiæ et Providentiæ Dei, « ad solum Deum pertinet judicium vitæ et mortis [3] » ; ac proinde, qui judicio suo se ipsum vita privat, ab ordinatione Dei se subtrahit. « Admettre le suicide, c'est admettre que tout homme peut, quand il lui plaît, échapper au devoir, et soumettre la loi morale à l'arbitraire des individus [4]. »

84. Hinc fit satis *objectionibus* in favorem suicidii.

Obj. I. — Juxta Stoicos veteres et Dominam de Stael, *sapienter* et *fortiter* agit, qui seipsum ab hujus vitæ angustiis morte generosa liberat ; unde suicidium licitum, imo laude dignum est [5].

Resp. *Nego* 1um antecedens. Qui se occidit, non est sapiens, sed *insanus*, nam, ut effugiat malum minus, id est, malum hujus vitæ, teterrimum eligit, sine ulla spe vitæ felicioris [6].

Nego 2um antecedens : qui seipsum occidit non est fortis, sed *ignavus* ; dolores enim quibus premitur tolerare non valet, et officium suum ut nimis grave derelinquit [7].

Inst. 1a. — Homo nimiis miseriis vitæ adscribi nequit : « La mort est le remède unique du désespoir : c'est alors qu'un fer est le seul ami, le seul consolateur qui reste au malheureux [8]. »

Resp. *Nego* ant. ; hoc enim nititur in falso supposito quod finis vitæ sit beatitudinis fruitio in terra. « L'homme n'est pas obligé d'être heureux, mais il est obligé de faire son devoir. »

Inst. 2a. — De facto suicidium nunquam *est liberum*, ergo vana discussio. « Chez les Anglais, ceux qui se tuent sont qualifiés de lunatiques ; leur maladie ne paraît pas plus blâmable que le transport au cerveau [9]. »

Resp. *Dist. ant.* Non est liberum aliquoties, *conc.*, v. g., si quis seipsum occidat in amentia et rationis usu carens ; nunquam est liberum, *nego*. — Cæterum, res in thesi nostra consideratur objective, non subjective, etiamsi non adsit peccatum formale.

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 64, a. 5. — 2. **Aristoteles**, V *Eth.*, cap. ult. ; — *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 64, a. 5 ; — **Guillon**, *Entret. sur le suicide* ; — **Dumas**, *Traité du suicide* ; — 3. **Deuter.**, XXXII, 39. — 4. **Fonsegrive**, *Éléments*, II, p. 465. — 5. **Diogenes Laert.**, lib. VI : *De morte Zenonis* ; — **Da de Staël**, *De l'influence des passions* ; — Cf. *Réflexions sur le suicide* ; — *Études*, tom. 73, p. 464. — 6. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 64, a. 5, ad 3. — 7. *Sum. Theol.*, *ibid.*, ad 5 ; — **Aristoteles**, III *Eth.*, c. VIII ; — **S. Augustinus**, *De civ. Dei*, c. XXII. — 8. Ita Auctor libri cui titulus : *Systema naturæ* ; — **J.-J. Rousseau**, *Lettre à M. de Voltaire*, et *Nouvelle Héloïse*. — 9. **Montesquieu**, *Esprit des Lois*, L. XIV, c. 12.

Obj. II. — Juxta eosdem (Montesquieu, Rousseau) *vita est donum* : ergo potest repudiari sine injuria, necnon sine detrimento creationis : « Croyez-vous que mon corps devenu un épi de blé, un ver, un gazon, soit changé en un ouvrage moins digne de la Providence [1] ? »

Resp. *Dist. ant.* : vita est donum, cujus usus est in homine, *conc.* ; dispositio, *nego.* — *Dist. cons.* ; potest repudiari sine injuria erga Deum et societatem, *nego* ; sine injuria erga se, *conc.*, nam volenti non fit injuria. Est tamen contra charitatem qua unusquisque seipsum diligere debet [2].

CAPUT QUARTUM.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS.

85. Quotuplicis generis officia sint *erga alios* homines ?

Tot sunt hujusmodi officia, quot jura alii homines habent. Hæc autem vel sunt imperfecta et non stricta, vel perfecta et stricta : prioribus respondent officia *charitatis*, posterioribus autem officia *justitiæ*.

A. — *Officia charitatis* omnibus hominibus *debentur*, juxta præceptum : « Diliges proximum sicut te ipsum [3]. » Nam omnes similes sumus natura, origine, fine ultimo et paternitate divina, tanquam fratres ejusdem familiæ. *Nec excipias* inimicos et peccatores, nam charitatis debitum non fundatur in merito cujusque, sed in natura; nec a fortiori pauperes et miseros, ut volunt Niestche et evolutionistæ. — Attamen charitas *ordinari* debet incipiendo a parentibus et cognatis, cum omnes homines æquali intensitate amoris prosequi non teneamur. — E sincera autem charitate tria sponte defluunt *officia* : benevolentiæ, humanitatis et beneficientiæ : prima proximo optat bonum ; secunda ei exhibet officia innoxiæ utilitatis « iis utilia qui accipiunt, danti non molesta [4] » ; tertia ei largitur ex temporalibus bonis, v. g., pauperi eleemosynam.

B. — *Officia justitiæ* debentur ad æqualitatem strictam, et vi coactiva exigi possunt [5]. De his plura sunt fusius evolvenda : 1° *circa bona Interna* ; 2° *circa bona Externa proximi.*

1. **Montesquieu**, *Lettres persanes.* — 2. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 64, a. 5, ad 1. — 3. S. **Thomas**, *Comm. in Epist. ad Rom.*, c. 13, 1, 2. — 4. **Tullius**, *de Offic.*, 1. 16. — 5. Cf. **Veermesch**, *Quæstiones de Justitia.*

ARTICULUS I.

De Officiis circa bona proximi Interna.

Homo jus habet ad *animam*, ad *corpus* et ad suam *personalitatem* ; inde triplex fons officiorum.

86. Quænam sint officia circa *animam* proximi ?

Animæ duplex est jus : nam intellectus ad verum, voluntas ad bonum jus, et quidem aliquando strictum, possident. Quapropter *mendacium* seu locutio contra mentem, itemque *scandalum*, seu id quod præbet alteri occasionem ruinæ spiritualis, non solum charitati opponuntur, sed utrumque sæpius juribus proximi nocet, proindeque ex alio capite illicitum est.. Ex his principiis haud ægre deducitur sequens

THESIS

Falsus est liberalismus, sive libertatem preli, sive libertatem doctrinæ, sive libertatem cultuum propugnet.

Probatur : nam hujusmodi absolutæ libertates carent fundamento et perniciosæ sunt in suis consectariis.

I° *Carent fundamento.* Qui enim absoluta libertate gaudet cogitandi, etiam in iis quæ pertinent ad religionem, hic etiam et hic solus cogitationes suas scriptis et verbis libere manifestare, libereque cultum quemlibet Numini solvere potest. Sed falsæ sunt omnino, ut probavimus (n. 77-79), libertas cogitationis et conscientiæ. Ergo falsa etiam hæc tria alia, ut aiunt, libertatis attributa.

II° *Perniciosæ sunt* in suis consectariis. Hoc enim perniciosum est, quod rationem populorum corrumpit, mores pessumdat, indifferentismi pestem propagat, et societates individuaque propellit ad atheismum practicum. Atqui talis est triplex libertas, in sensu recentiorum habita ; ergo perniciosa [1].

Confirmatur ex ipsamet adversariorum confessione qui suum etiam habent indicem librorum prohibitorum, et qui certis in adjunctis, v. g., tempore belli, toti sunt in refrænanda libertate preli censuris sæpe arbitrariis. Ergo non datur libertas sine limite et intangibilis.

87. Quænam sint officia circa *corpus* proximi ?

Unicuique strictum officium incumbit conservandi vitam suam

1. Cf. **Syllabus**, *prop.* 45, 79 ; — **Pius IX**, Litt. Apost. *Multiplices inter* ; — Allocut. *Maxima quidem* ; *Nunquam fore* ; — **Mgr Freppel**, *Discours*, 1880, 1881.

et integritatem membrorum ; ergo nemini licet utramque in proximo tollere per *mutilationem et homicidium*. — Quæritur autem utrum in *aggressione injusta* vim vi repellere liceat, etiam usque ad necem aggressoris ; negant quidam cum Ahrens [1], contra quos sit

THESIS

Aggressionem injustam seu vim vi repellere licet, etiam usque ad necem invasoris, modo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Prob. — 1° *Ex natura* ipsius *aggressionis*. — Aggressor de quo hic agitur, non auctoritate publica, sed proprio motu irruit in hominem ut illi vim *injustam* et etiam mortem inferat. Atqui licitum est unicuique bonum suum defendere et vim injuste illatam vi repellere, etiam usque ad necem invasoris, si secus vita propria servari nequeat : nisi enim illud liceret, homo in quibusdam augustiis constitutus vitam propriam a morte injusta eripere non posset ; quod rectæ rationi et consensioni populorum evidentissime contradicit. Ergo invasorem repellere licet usque ad necem.

2° Ex *conditionibus* requisitis. — Vim vi repellere « *cum moderamine inculpatæ tutelæ* » plura requirit, nam, juxta Innocentium III, necesse est : — 1. ut adhibeatur defensio non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam injuriam ; — 2. ut invasus non utatur majori violentia, quam opus est ad avertendam mortem injustam ; — 3. ut vera vis actu inferatur ; — 4. ut malum quod avertere volumus superet aut saltem adæquet malum, quod ex defensione nostra sequitur ; — 5. denique, ut invasus non intendat mortem invasoris, sed solum suam defensionem. Sed, his servatis, defensio nihil habet injusti, nihil inhonesti : nam, ut advertit S. Thomas : « Actus hujusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet in esse, quantum potest [2]. » Unde, licitum est, etsi forsan aliquando non expediat, vitam propriam servare, etiam occisione aggressoris.

88. Quænam sint officia erga *personam* proximi ?

Homo jus habet ad honorem et bonam famam : cujus enim unusquisque curam habere tenetur, juxta illud : « curam habe de bono nomine [3] ». Quapropter, juxta omnes, jure naturali prohibentur, sive *contumelia*, qua læditur honor, sive *judicium temerarium* quo quis apud se, *detractio et calumnia* quibus apud alios lædit bonam famam proximi.

1. *Cours de droit nat.*, § 53. — 2. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 64, a. 7. — 3. **Eccli.**, **XLI, 15.**

His in tuto positis, quæritur an ad honorem defendendum vel reparandum, *duellum* sit licitum. Mordicus affirmant multi recentes, contra quos sit

THESIS

Certamen privatum seu duellum jure naturali prohibetur.

Prob. — Duellum est certamen particulare duorum vel plurium, qui, designatis antea testibus, armis et circumstantiis loci et temporis, ex privata causa et autoritate, honorem resarcire, ut autumant, aut vindictam sumere præsumunt. Sed hujusmodi certamen *in se*, in *principio*, in *motivo* et in *fine* est omnino illicitum. Ergo etiam duellum.

1º Est *in se* illicitum ; nam cuilibet incumbit officium vitam propriam servandi ; sed in privato certamine vita pugnantium imminenti periculo exponitur, nedum sevetur.

2º Falso nititur *principio* ; certans enim in duello supponit quod sibi liceat vindictam auctoritate privata sumere ; hoc autem fieri non potest, quia nemo constituitur judex in propria causa.

3º Insufficienti nititur *motivo*, in eo sc. : « Honor est bonum hominis supremum, quod etiam vitæ anteponere debemus. » Porro hoc est falsum : « Entre la valeur de ce qu'on appelle l'honneur, et qui est loin d'être le bon renom de la vertu, et la valeur d'une vie humaine, il y a une extrême disproportion [1]. »

4º Denique *finem* intentum assequi non potest, nam duellum non est medium quo honor resarciri valeat. Revera, sive reus, sive innocens vincat, nihil inde sequitur, nisi tantummodo ipsum esse adversario peritiorem, aut feliciorem. Sic autem honor minime resarcitur ; secus enim « jus validioris » uti vocant, tanquam lex admittendum esset [2].

Obj. — Duellum offerre est quandoque unicum medium ad vindictam legitime sumendam : ergo legitimum est.

Resp. Nego ant. Unde ipse J.-J. Rousseau : « Gardez-vous de confondre le nom sacré de l'honneur avec ce préjugé féroce qui met toutes les vertus à la pointe d'une épée et n'est propre qu'à faire de braves scélérats. En quoi consiste ce préjugé ? Dans l'opinion la plus extravagante, qu'on n'a jamais tort avec un homme, pourvu qu'on le tue. »

1. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 475. — 2. **Gerdil**, *Traité des combats singuliers* ; — *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 95, a. 8, ad 3.

Inst. — Qui duellum oblatum *recusat*, deprimitur etiam apud semetipsum. Ergo duellum oblatum *recusari* nequit.

Resp. *Dist. ant.* : qui duellum oblatum recusat, deprimitur apud eos qui de honore et virtute sentiunt *falsa*, *conc.* ; apud eos, qui de honore ac virtute *sana* mente judicant, *nego*. Nam, ut dictum est supra, maxima laude dignus est qui odio vindictæ cæterisque cupiditatibus non indulget, sed desideria cordis, interna et occulta, refrænat. Quippe, ut dicit ipse Cousin : « Les plus grandes, les plus difficiles vertus, ne se rapportent point directement aux autres ; elles s'exercent en nous et sur nous[1]. »

ARTICULUS II.

De Officiis circa bona proximi Externa.

Dicemus tantum 1º *De Jure Proprietatis* ; 2º De negatione illius juris seu *de Socialismo* aut *Collectivismo* ; 3º De variis *Modis acquirendi* proprietatem.

§ I. *De Jure Proprietatis* [2].

89. Quid generatim de notione et origine *proprietatis* ?

A. — *Proprietas* definiri potest : *jus in re et in fructibus rei, quoad usum et dispositionem, in proprium commodum et cum exclusione aliorum.* — Est jus *in re*, non tantum ad rem (n. 64), — et *in fructibus* rei, nam res fructificat domino ; — quoad *usum* et simul *dispositionem*, nam jus utendi tantum dicitur *usufructus*, jus disponendi tantum *nuda proprietas* ; — in *proprium commodum*, unde tutores sunt administratores, non proprietarii ; — cum *exclusione* aliorum, secus res non esset propria, sed communis, v. g., aer, oceanus.

B. — *Origo*[3]. Divitiarum seu bonorum externorum causæ efficientes duæ sunt, *saltem primariæ* : *labor* et *natura*. Labor quidem humanus res naturales fecundat et mirum in modum transmutat, ut apparet in rebus agriculturæ et industriæ. Attamen labor non

1. **Cousin**, *Premiers essais. Du bien.* — 2. **Leo XIII**, Encycl. *Quod apostolici muneris* (28 déc. 1878) ; *Rerum novarum* (15 mai 1891) ; — Commentaire de **Mgr Doutreloux**, *La question ouvrière* ; — Cf. *Motu proprio* Pii X, 18 déc. 1903 ; — *La théorie thomiste de la propriété*, in *Revue néoscolastique*, janv. 1897 ; — **Liberatore**, *Principes d'économie politique* (trad. Sacy) : — **A. Ott**, *Traité d'économie politique* ; — **Périn**, *Premiers principes d'économie politique* ; — **A. Antoine**, *Cours d'économie sociale* ; — **P. Godts**, *Scopuli vitandi... de conditione opificum* ; — Cf. Ephémérides, *La Réforme sociale*, *la Science sociale*, et **H. Joly**, *Bibliothèque d'économie politique* ; — Cf. **Louis Durand**, Rapport au Congrès de Sarlat, 1912 ; — **Gaudeau**, *Autour du Modernisme social* ; cf. Revue *la Foi catholique*, an. 1912 ; — **Castelein**, *Léon XIII et la question sociale.* — 3. **Liberatore**, *Principes*, L. I, c. 2.

est sola divitiarum causa, ut patet contra socialistas (n. 96), natura enim multas affert ; nec sola causa valoris seu pretii horum bonorum, nam pretium rei non tantum labori impenso proportionatur, sed etiam utilitati intrinsecæ rei. Sic, v. g., bonum vinum et malum non sunt æqualis pretii, etiamsi agricolæ labor pro utroque producendo supponatur æqualis.

Dixi : *saltem primariæ*. Nam bonum, natura et labore jam productum, potest non ad usum et consumptionem destinari, sed ad novam bonorum productionem. Tunc fit tertia causa productionis, et dicitur *capitale* ; v. g., suppeditat materiam primam, instrumenta laboris, et machinas quæ laboris fecunditatem centuplicant, etc. Hinc patet « capitale » non esse tantum fructum laboris accumulatum, « *du travail condensé* », ut aiunt, sed ex conjunctione naturæ simul et laboris oriri, et esse quid mixtum seu utriusque particeps.

90. Utrum jus proprietatis in bona naturæ sit *legitimum*[1] ?

Aliquam *societatem* bona in communi possidere posse non negamus : sed hic agitur de individuis. — Præterea de jure cujusque hominis in *fructus laboris* sui, nulla est controversia, nam homo est dominus ingenii sui suorumque membrorum, ac proinde effectuum suæ activitatis, juxta axioma : effectus causæ tribuitur. — De jure autem in *res naturæ*, ac consequenter in capitale, major est difficultas ; unde

THESIS

Jus proprietatis in bona naturæ legitimum est et naturale.

Prob. — Illud jus est legitimum et naturale quod fundatur in natura rerum, hominis, familiæ, imo et societatis. Atqui tale est jus proprietatis. Ergo legitimum est et naturale.

Prob. *minor* per partes. — 1º Ex *ordine Providentiæ* res inferiores ad subveniendum necessitatibus singulorum hominum ordinantur, et ideo fere omnes creatæ sunt aptæ ad occupationem (susceptibles d'appropriation), quia originarie sunt in communitate *negativa*, ut aiunt, non *positiva*[2]. Ergo naturalis est earumdem occupatio (n. 96) et ideo privata proprietas.

2º Talis est natura *hominis*, ut protegendam habeat et vitam et libertatem suam, id est liberum activitatis suæ exercitium. Porro non salvantur vita et libertas individui sine proprietate etiam individuali multarum rerum. Ergo naturalis est proprietas. — Quare sponte sua occupat quidquid ipsi in natura

1. **Liberatore**, *ibid.* ; — **Le Play**, *Réforme sociale*, liv. II ; — *Revue thomiste*, an. 1895, p. 281, etc. ; — Cf. **Garriguet**, *Le Régime de la propriété*, 1908. — 2. **Vander Aa**, *prop.* 94.

utile est, jureque credit illud occupare, modo sit nullius.

3° Homo non tantum sibi, sed et *familiæ*, non tantum præsentibus, sed et futuris necessitatibus providere debet. Porro sine jure proprietatis nec posset colligere pro tempore hiemis, morbi, senectutis, nec ædificare domum, nec providere educationi physicæ et morali puerorum. Ergo legitimum illud jus.

4° Denique *societati* ipsi opus est prosperitate materiali et intellectuali. Porro sine jure proprietatis individuæ, — deerit cuique stimulus in laborando, nam homines non laborant diligenter nisi ad acquirendum quid proprium ; — nec aliunde unquam florerent nobiliores artes sine divitum studiis et æmulatione. Ergo legitimum est jus proprietatis.

Confirmatur thesis universali populorum consensu ; nam, v. g. : apud Hebræos, Assyrios, Sinenses, Ægyptios, viguit semper agrorum possessio privata : apud nomades autem, Arabes, Tartaros, saltem rerum mobilium. « Demeures fixes, appropriation du sol, société régulière, ce sont là trois idées, trois faits inséparables... Propriété incertaine et barbarie sont deux faits toujours équivalents [1]. »

91. Utrum jus proprietatis sit sine temperamento et *limite* ?

Duplex est excessus : juxta liberales, jus proprietatis est « jus utendi et abutendi » ita ut beneficentia erga pauperes sit tantum « facultativa » ; juxta sociales autem, tenentur divites ex *justitia* sociali pauperibus benefacere. Negat utrumque

THESIS

Jus proprietatis gravi officio beneficentiæ temperari debet [2].

Prob. — A. Nam juxta ordinem caritatis bonum privatum bono communi subordinatur ; atqui jus illimitatum in bona naturæ concessum quibusdam in malum commune vergeret ; ergo concedi non potest, sed officio beneficentiæ restringi debet. Unde Liberatore :

« Tout homme qui naît ici-bas a droit de vivre des fruits de la terre... Si la propriété privait une partie du genre humain de ses moyens de subsistance, elle serait certainement un désordre... Mais il n'en est pas ainsi, parce qu'elle a été étroitement unie par Dieu au devoir de la bienfaisance [3]. »

B. — Interea *stat* jus proprietatis. Cave igitur ne propterea

1. **Rossi**, *Cours d'économie pol.*, 2e sem., 1re leç. — 2. **Meyer et Ardant**, *La question agraire* ; — **G. Ardant**, *Papes et Paysans*. — 3. *Principes d'économie pol.*, p. 216.

« *functio socialis* » simpliciter dicatur esse proprietas : cujus nempe legitimitas penderet ab usu erga pauperes, cujus etiam usus esset functio justitiæ, non charitatis, sicque « dominium justitiæ ultra modum extenderetur in detrimentum charitatis [1] ». Nam, e contra cujusque proprietas in rem suam, etiam in capitale, est quid absolutum et personale.

Hinc nec sensu humanitario cujusque aut prudentia sociali, nec tamen justitia sociali et fere commutativa regulatur beneficentia erga pauperes, sed ordine caritatis.

Unde in praxi S. Thomas docet rerum legitime a quibusdam possessarum « *usum aliquo modo communem esse debere* [2] », non in eo sensu quod cuilibet pro arbitrio liceret ea re uti, sine licentia domini, sed in eo sensu quod — 1° *in casu extremæ necessitatis*, quilibet jus habet de ea re sumendi quantum opus habet ad se salvandum ; — 2° *in casu gravis tantum indigentiæ*, divites ex caritate tenentur sub gravi ex bonis superfluis largiri eleemosynam, quasi administratores bonorum Dei.

Nec dicas superfluum, nec determinari, nec exigi posse. — Nam 1° superfluum non dicitur absolute, sed relative ad statum socialem cujusque divitis ; 2° jus pauperum ad superfluum divitum, non est ita strictum ut vindicari possit a Petro aut Paulo, nam non respicit determinatas personas. — Num autem, eventualiter et renuentibus divitibus, vindicari possit a societate ipsa seu Statu, infra dicetur (n. 130).

92. Corol. — de *falsis* fundamentis juris proprietatis [3].

Hinc errant qui putant jus proprietatis a *lege civili* tantum oriri (Montesquieu, Kant) ; — aut a *pacto sociali* (Rousseau, Grotius, J.-B. Say, S. Mill) ; — aut in *utilitate* communi societatis fundari (Droz...) ; — aut identificari cum *jure ad fructum* laboris (Carey, Bastiat, Ricardo, Locke).

Adde quod illæ opiniones ansam præbent socialismo. Nam jus quod lex civilis aut pactum sociale concedit, abrogari potest ; — aliunde utilitas non est sufficiens fundamentum juris ; — denique, concesso laborem esse unicum fontem proprietatis, logice sequeretur cætera (bona naturæ et instrumenta laboris) fieri debere communia. Dum e contra, juxta nos, jus *naturale* ad laborandum libere aut ad fruendum, connexum habet jus ad occupandum bona naturæ, quæ ad laborandum aut fruendum sunt utilia, modo sint nullius.

Hinc etiam intelligitur « jus primi occupantis » non esse fun-

1. Card. Merry del Val, *Lettre à M. de Mun*, 1913. — 2. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 66, a. 2 et 7. — 3. Liberatore, *ibid.*, liv. II, c. II.

damentum *ultimum* juris proprietatis, sed tantum exercitium juris anterioris cujusque ad laborandum aut ad liberum exercitium activitatis suæ (n. 96).

§ II. *De Socialismo aut Collectivismo*[1].

93. Quid et quotuplex sit error *socialismi* ?

Socialismi aut collectivismi varia systemata in negatione juris proprietatis individuæ, solo jure utendi servato, fundantur : « La propriété, c'est le vol » (Proud'hon, post Aristophanem). Proprietas tantum collectiva esset legitima, ac proinde Respublica, democratice constituta, productionem et distributionem fructuum inter singulos cives ordinare deberet.

Si illa communitas omnibus bonis constituitur, v. g., uxoribus, pueris, domibus, refectoriis, dormitoriis, adest *Communismi* absoluti systema (Platon, Saint-Simon, Fourier ; École Saint-Simonienne, phalanstérienne, etc.).

Si vero ad bona tantum productiva extenditur, tunc adest communismus mitigatus, vulgo dictus *Socialismus* aut *Collectivismus*, qui subdividitur in *agrarium* et *industrialem*, prout includit communitatem bonorum immobilium tantum, præsertim agrorum (H. George in America, S. Mill in Anglia, de Laveleye in Belgio) : — aut etiam bonorum mobilium seu capitalium, ut sunt pecuniæ, machinæ et instrumenta laboris, viæ ferreæ, bancariæ, etc. (Karl Marx et Lasalle in Germania, L. Blanc et Proudhon in Gallia).

Demum, si mediis legalibus et gradatim finem suum assequi volunt, dicuntur *Doctrinarii*, *Possibilistæ*, etc. ; si contra, mediis violentis et sine ulla mora, *Anarchistæ* : « ce qui s'impose tout d'abord, c'est la pandestruction » (Bakounine). — Cæterum utrique sæpius negant patriam et omnem auctoritatem : « ni Dieu, ni maître ! »

Systema vero, quod improprie dicitur *Socialismus Statûs*, non est negatio juris proprietatis individuæ, sed tantum restrictio per nimiam limitationem libertatis in re œconomica,

1. L'Abbé **Winterer**, *Le Socialisme contemporain* ; — **P. Leroy-Beaulieu**, *Le Collectivisme* ; — **Claudio Janet**, *Le Socialisme d'État* ; *le Capital, la Spéculation au XIXe s.* ; — **P. de Pascal**, *Le Collectivisme et ses docteurs* ; — **Léon Grégoire**, *Le Pape, les catholiques et la question sociale* ; — **F. Nitti**, *Le Socialisme catholique* ; — **A. Leroy-Beaulieu**, *La Papauté, le Socialisme et la Démocratie* ; — **Léon Say**, *Dictionnaire d'Écon. pol.*, art. *Socialisme*.

ope interventionis Status : v. g., inter operarios et patronos.

94. Utrum socialismus *agrarius* sit rejiciendus ? — Respondet

THESIS

Socialismus agrarius multiplici vitio laborat, nullo argumento solido fundatur, et in praxi impossibilis est.

I. *Multiplici vitio laborat*, imprimis duplici contradictione. Nam 1º negat jus proprietatis in singulis civibus, et in pluribus collective affirmat, quod aperte contradictorium est : negato enim jure singulorum, ruit jus cujusque collectionis. — *Hinc* quando Barbari Italiam invaserunt, potuissent dicere : nonne terra est omnibus ? Cur vobis tantum liceat et non nobis pinguiorem partem terræ occupare ?

2º Negat jus proprietatis in bonis immobilibus, non autem in mobilibus. Hæc est altera contradictio ; nam, si occupatio rei nullius ad laborandum non sit titulus proprietatis sufficiens in uno casu, nec in altero.

II. *Argumentis inanibus fundatur.* — En autem præcipua :

1º *Æqualitas naturalis* singulorum hominum *in concreto* est thesis aperte falsa, nam alii aliis ingenio, prudentia, vigore membrorum, etc., naturaliter præcellunt.

2º *Jus ad vivendum*, in omnibus æquale, est quidem certum. Sed inde concludere ad æqualem possessionem terræ non licet. Nam sine possessione terræ permulti homines de fructibus terræ edere et vivere possunt et potuerunt.

3º Ultimum argumentum petit H. Georgius[1] ex *lege œconomica* quæ sic enuntiatur. Tres sunt causæ quarum concursu divitiæ producuntur (n. 89) : natura cujus *Reditus* debetur proprietario fundi, labor cujus *Salarium* operario, et capitale cujus *Interesse* capitalistæ debetur.

Hinc, æquatio : *Productum* = *Reditus* + *Salarium* + *Interesse*.
Vel : *Productum* — *Reditus* = *Salarium* + *Interesse*.

Unde sic : Reditus fundi eo fit relative major quo minora sunt Salarium et Interesse. Cum autem quotidie decrescant Salarium et Interesse (propter multiplicationem hominum et capitalium), Reditus quotidie crescere debet, donec absorbeat totale productum, totalesque divitias agrorum : quod injustum esse horrendumque nemo non videt !

Resp. a) Retorquendo argumentum : De facto quotidie decrescit Reditus agrorum, saltem in Europa ; ergo nimis crescunt

1. **H. George**, *Progrès et pauvreté* (trad. Lemonnier) ; — **d'Eichtal**, *Socialisme, Communisme* ; — **P. Leroy-Beaulieu**, *Le Collectivisme*, 1re partie.

Salarium aut Interesse. Quod aperte falsum est, nam hæc tria simul hodie minuuntur, propter multiplices causas extraneas.

b) Georgius ludit verbis. Nam in formula legis supradictæ, vox *salarium* sumitur pro labore, tum intellectuali, tum manuali ; in argumento vero pro manuali tantum. — Iterum, vox *interesse* in legis formula sumitur collective, pro tota massa fœnorum ; dum in argumento sumitur pro fœnoris taxatione (le taux de l'intérêt) qui quotidie minuitur, dum augetur summa fœnorum. Ergo Georgius æquivocatur.

III. — *Moraliter impossibilis est* non tantum partitio totius terræ inter singulos homines, sed agrorum singularum nationum inter *omnes* cives, modo æquali, et perpetuo renovanda, cum perpetuo nascuntur et moriuntur ! Nec socialismi fautor hujus partitionis rationabile programma unquam invenire potuit.

95. Utrum socialismus *industrialis* sit rejiciendus? — Affirmat

THESIS

Socialismus industrialis falsis innititur fundamentis, et in praxi moraliter impossibilis est.

I. — *Falsus est.* Hic duobus novis argumentis innititur, sc. theoria valoris Marxiana et crisi ordinis nostri œconomici.

1° Juxta *theoriam Caroli Marx*[1], a schola liberali (Bastiat, Smith, Ricardo) mutuatam, valor commutativus rerum (le prix) constituitur solo labore operarii. Porro sub regimine proprietatis privatæ, operarius non recipit in mercedem totum valorem operis sui (l'intégralité de son produit). Ergo illud regimen est injustum et abolendum.

Sed neganda est major totius argumenti ; nam labor, licet sit sæpe principalis, non est unicus factor totius producti (n. 89) : ergo partem proportionatam duobus aliis factoribus relinquat oportet. « Si avec les 5 francs qu'il a reçus pour faire une paire de souliers, l'ouvrier ne peut racheter cette paire de souliers, c'est qu'il entre dans cet article bien autre chose que le travail de l'ouvrier [2]. »

2° *Crisis ordinis nostri œconomici* præsertim allegatur a socialistis. Ordo ille fundatur in regimine libertatis : « laissez faire, laissez passer », date omnibus libertatem et ultro orietur rerum optimus ordo ! Illud autem axioma scholæ liberalis pessimos

1. **Karl Marx**, *Le Capital* (trad. Roy). — 2. **Léon Say**, *Dict. d'Economie pol.*, tom. II, p. 780 ; — **Winterer**, *Le socialisme contemp.*, p. 18-29.

fructus attulit : — *a*) *Concurrentia* effrenata exsurgit seu pugna pro vita, in qua debiliores a fortioribus oppressi succumbunt ; — *b*) *Anarchia in productione* ; unde « superproductio » et perturbationes periodicæ (chômages), quibus operarii in miseriam incidunt ; — *c*) *Anarchia in distributione* : « la concurrence des affamés offrant leur travail au rabais fait tomber les salaires ; c'est la *loi d'airain.* » Unde augetur turba quotidie numerosior indigentium, dum crescit paucorum privilegiatorum ingens fortuna !...

Ergo, concludunt socialistæ, regimen libertatis est amara deceptio, et locum cedere debet auctoritati Status, qui, bonis omnibus productivis in commune redactis, productionem distributionemque bonorum ipse ordinabit.

At nemo non videt talem conclusionem in præmissis non necessario contineri. Inter libertatem effrenatam individuorum et tyrannidem pessimam Status factionumque politicarum, stat medium, scilicet liberum regimen associationis, in quo corporationes artium, a rebus politicis alienæ, productionem distributionemque bonorum juxta meliores justitiæ normas ordinabunt. Ita, salvo jure individuæ proprietatis, libertas individua æque temperabitur tum libertate associationum, tum proprietate collectiva. « L'instrument de cette reconstitution est là, devant nous. C'est l'association syndicale autorisée par la loi, se continuant en union syndicale, ce qui est déjà commencé, et aboutissant à la Chambre régionale que nous appelons de tous nos vœux [1]. » Optime quidem ! ergo associationum personalitas civilis nimium restringi non debet.

II. Moraliter *impossibilis* est socialismi industrialis applicatio, nam in egalitarismo chimerico tota nititur.

a) Impossibile erit magistratibus Reipublicæ *distribuere laborem* faciendum singulis civibus, juxta vires, aptitudines et ingenium cujusque. Quibusnam erunt labores grati ? quibusnam ingrati, difficiles, periculosi ? Quibusnam labores manuum ; quibusnam artes liberales ?...

b) Non minus impossibilis *distributio bonorum*, juxta merita cujusque. Certe via lata arbitrario, erroribus, injustitiis, fraudibus et competitionibus politicarum factionum, patebit.

Hæc, brevitatis causa, sufficiunt ad demonstrandum quam impossibile et absurdum esset illud regimen quo libertas civium odiosa tyrannide politicorum mutaretur. Omnibus Reipublicæ civibus vitam quasi monasticam perfectorum aut normam militarem vi imponere, non est nisi mera utopia.

1. Cf. **Léon Harmel**, *Manuel d'une corporation* ; *Catéchisme du patron* ; — **H. Valleroux**, *Les corporations* ; — **Glotin**, *Syndicats professionnels*.

§ III. *De variis Modis acquirendi proprietatem.*

Unus est modus *originarius*, sed plures *derivati*.

96. Utrum per *occupationem* primo acquiratur proprietas ? (Economistæ male determinant jus proprietatis in bona naturæ, qui tantum a labore et industria hominum illud repetunt, et ideo rerum valorem esse quid mere subjectivum contendunt. Sed contra sit

THESIS

Ad primam rei proprietatem non requiritur nec sufficit labor, sed occupatio.

I. *Non labor.* Hac voce intelligunt laborem verum cum fatigatione, per quem res immutetur, specificetur, et quasi identificetur cum persona laborantis. Porro tantus labor — *non requiritur* : secus, v. g., fructus arboris incultæ comedere non liceret, nec possent fieri propria, quæ utilia sunt ad laborandum ; — *nec sufficit*, tum quia potest quis, v. g., viator, rem aliquam suo labore immutare absque intentione illam occupandi ; — tum etiam quia, in hac hypothesi, operarii suo labore acquirerent fundum terræ in qua laborant, quod ducit ad socialismum ; — tum quia ut homo rem aliquam, agrum scilicet, labore suo fructuosam reddat, necesse est ut prius eam occupet. Ergo labor nec requiritur, nec sufficit.

II. *Sed occupatio.* Hoc nomine venit apprehensio effectiva et externa rei cum intentione manifesta eam sibi acquirendi. Porro talis apprehensio — *requiritur*, claris quidem signis exterius effecta : secus res remaneret nullius seu in communitate negativa, et, ignota possessione, ab aliis jure occuparetur ; — *sufficit* : nam unicuique a natura conceditur potestas radicalis faciendi sibi propria quæ sunt nullius (n. 90) ; porro talis potestas satis actuatur seu « exteriorisatur » per rei apprehensionem externam et effectivam, sive fiat ab uno individuo, sive etiam ab aliqua communitate.

Dices cum socialistis : hæc occupatio non fit sine aliquo labore : ergo labor unicus est titulus proprietatis.

Resp. Non fit sine labore morali, *conc.*, — physico, cui rei valor proportionatur, *nego*. Id est, occupatio rerum non fit sine exercitio quodam activitatis humanæ, quale in simplici occupatione reperitur.

Confirmatur a pari ; nam accessio et præscriptio sunt tituli legitimi proprietatis : porro utraque vel est occupatio continuata, vel nititur in sola occupatione. — Consonat *Jus romanum* : « quod

ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur » ; — necnon *vox naturæ*, qua homines defendunt ex instinctu ut suum, quod primo occupaverunt.

97. Utrum *contractus* et *testamenta* sint licita ?

Œconomistæ multa docent de contractibus, v. g., de pretio, de venditione et usura, quæ legibus justitiæ repugnant ; sed etiam negant parentibus facultatem res proprias filiis suis hæreditate transmittendi : quibus præsertim intolerabilis videtur hæreditas ab intestato, i. e. possessore non testante. Unde sit

THESIS

Dominium sive contractibus sive testamentis transmitti potest.

Constat Ium. Contractus est *consensio libera duorum pluriumve in idem placitum, obligationem pariens in uno vel in utroque contrahentium*. Porro dominium, contractibus onerosis, v. g., venditione aut permutatione, legitime transmitti potest, quod sic probatur : Homines de iis quæ sua sunt, pro libitu disponere possunt, modo jus non sit inalienabile, nec obstet collisio juris alterius. Porro neutrum intercedit, ubi agitur de transmissione vel acceptatione proprietatis individuæ. Ergo conditionibus positis, sive ex natura, sive ex lege, ad validitatem contractuum, libera et legitima fit transmissio proprietatis.

Constat IIum. Nam *testamentum* nihil est nisi donatio quæ suum sortitur effectum post mortem donatoris : sed donatio legitimum est exercitium juris proprietarii. — *Nec dicas* fieri non posse, ut quis post mortem det, vel det momento quo alter accipit. Non enim dat unus post mortem, sed adhuc vivens, alter vero post mortem accipit, sed utriusque voluntas virtualiter conjungitur in scripto, eodem ferme modo ac per litteras contrahunt absentes [1].

Hinc etiam *ab intestato*, filii sunt hæredes parentum, — tum quia patris est thesaurizare « non solum ad horam, sed ad totam vitam [2] » filii sui, — tum quia filii sunt continuatio parentum, ita ut, recedente uno capite, alterum substitui debeat [3].

98. Hinc ex solo *mutuo* lucrum facere per se non licet [4].

Simplex mutuum, de quo nunc agitur, mutuum est officium, quod sibi alii aliis præstant homines, quando unus alteri cedit proprietatem rerum quibus indiget, et quæ sunt usu consumptibiles, v. g., frumentum, vinum, alimenta, pecunia, cum hac sola conditione ut, statuto tempore, reddatur æquivalens. Quæ quidem non alium habent valorem ac usum, dum res quæ non sunt usu consumptibiles, v. g., automobilia, habent valorem locationis a suo valore intrinseco distinctum : et hæc est ratio cur aliæ locari possint, aliæ non. Jamvero

1. Liberatore, *Princip. d'écon. pol.*, L. II, c. III, a. 1. — 2. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 101, a. 2. — 3. Liberatore, *ibid.*, a. 2. — 4. Liberatore, *ibid.*, L. III, c. IV.

A. — *Non est licitum per se ex simplici mutuo lucrum facere.* Probatur ex notione contractus ; nam essentialis conditio contractus est ut servetur æqualitas inter dantem et accipientem ; porro mutuans, v. g., dat centum vini mensuras : ergo *per se* centum et quinque exigendi jus non habet. Et hæc est doctrina bene communis inter catholicos.

B. — Dixi *per se* seu vi mutui, nam ratione tituli extrinseci, i. e. vel propter damnum emergens, vel ob lucrum cessans, vel ob periculum sortis, *per accidens*, aliquam compensationem exigere fas est.

Nec dicas : hodiernis saltem in societatibus semper adest aliquis titulus extrinsecus, ob quem mutuanti lucrum aliquod percipere licet. — Nam objectio præcise fatetur lucrum, non vi mutui, sed aliunde, esse licitum.

C. — Cæterum confundi non debet mutuum *cum associationis contractu*, in quo quis præbet capitale, unam sc. ex tribus causis divitiarum (n. 90), et ideo jus habet strictum ad aliquam partem beneficiorum, ut, v. g., in *actionibus* societariis. Porro nihil impediret, retento jure in totalitatem capitalis, hanc partem in antecessum determinari, seu parvum stipulari interesse, quo vitentur eventus aleatorii. Habes speciem hujusce contractus in *obligationibus* 3 0/0, 4 0/0, v. g., viarum ferrearum.

LIBER SECUNDUS.

DE JURE SOCIALI [1].

99. Quid et quotuplex sit *societas* inter homines ?

A. — Societas est *unio stabilis plurium hominum, sub eadem auctoritate, ad unum finem communem conspirantium* : non enim societatem constituit homo solitarius, nec collectio animalium, nec unio hominum transitoria, qui non efformant unam personam moralem.

Hinc in societate duo sunt elementa, multitudo membrorum et finis communis ad quem dirigitur, vel etiam subditi et auctoritas ; ex quibus subditi sunt quasi *materia*, auctoritas vero quasi *forma* societatis [2]. Revera forma corpori physico dat esse et specificum esse : porro auctoritas utrumque dat corpori morali. — Dat *esse* societati : nam « multitudo in diversa dispergeretur, nisi esset aliquis, de eo quod ad bonum communitatis pertinet, curam habens [3] ». Unde societas non

1. **Ferretti**, *op. cit.*, tom. III, n. 109-11 : — **Deploige**, *Le conflit entre la morale et la sociologie*, 1912. — 2. **S. Thomas**, *De Regim. Princ.*, L. I, c. 1. — 3. **S. Thomas**, *ibid.*, et *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 90, a. 3, ad 3.

existit in actu completo ante constitutionem auctoritatis. — Dat *specificum* esse ; qualis enim auctoritas, talis societas.

B. — Hæc multiplex est. — Ratione *autonomiæ*, est *perfecta* vel *imperfecta* et « tanto est perfectior, quanto magis per se sufficiens erit ad necessaria vitæ [1] ». — Perfecta vero ratione *finis*, dividitur in *religiosam* et *laicam* : hæc autem *naturaliter* in *domesticam et civilem, et* aliquantisper *internationalem.* — *Dixi* : *naturaliter* in domesticam et civilem : extra quam ergo corporationes seu associationes operariorum nonnisi *liberæ*, pacificæ, responsabiles, sicut olim, dici debent.

Est contra *syndicalismum*, ne forte obligatorius dicatur et naturalis [1], pari titulo ac familia et societas civilis, ad *trilogiam* socialem, ut aiunt, constituendam,— cum e contra ob luctam contra patronos, ob dependentiam suis membris impositam, et omnimodam irresponsabilitatem, contra naturam et periculosus esse videatur [2].

Hanc porro divisionem sequemur in hoc ultimo libro. Unde : 1º De societate *Domestica*, 2º De societate *Civili*, 3º De societate *Internationali*, 4º De societate *Religiosa*.

CAPUT PRIMUM.

DE SOCIETATE DOMESTICA [3].

100. Quid, quotuplex sit *familia* seu societas domestica ?

Definiri potest : « *unio viri et uxoris inter se et cum pueris suis ac famulis sub viri regimine* ». De qua paulisper disserere oportet, nam, ut ait Le Play : « La famille, comme toutes les institutions sociales, a donné lieu de nos jours à de vives controverses ; les erreurs propagées à ce sujet troublent singulièrement nos idées [4]. »

Porro in familia quasi triplex societas *naturalis* invenitur, nempe *conjugalis*, *paterna* et *herilis*. Familia enim, saltem completa et integre spectata, complectitur virum et uxorem, quorum unio est fundamentum familiæ et societatis ; — filios,

1. Cf. **Louis Durand**, *Rapport au Congrès de Sarlat* ; — cf. *Civilta catholica*, nos 1527 et 1528. — 2. Cf. Lettre de S. E. le Card. **Gasparri**, 26 fév. 1915 in *Documentation cath.* (3 avr. 1920). — 3. **S. Thomas**, 1 *Pol.* ; — **De Bonald**, *Œuvres*, tom. V, *du Divorce* ; — **Le Play**, *La Réforme sociale* ; — **Am. de Margerie**, *La Famille* ; — **Blanchard**, *Ecole des mœurs* ; — **Bautain**, *Philosophie morale* ; — **P. Félix**, *Le Progrès*, Conf. de N.-D., an. 1860 ; — **d'Hulst**, Conf. de N.-D., 1892. — 4. **Le Play**, *La Réf. soc.*, c. III, p. 319.

quorum generatio et educatio est finis principalis matrimonii ; — necnon famulos, qui, ob inæqualitatem naturalem classium socialium, viro, uxori et liberis multa præstant auxilia.

Sit ergo triplex articulus.

ARTICULUS I.

De societate Conjugali.

101. Quinam sint *errores* circa doctrinam matrimonii ?

Definitur matrimonium a jure romano : « *conjunctio viri et mulieris individuam vitæ consuetudinem retinens*[1] ». — Vi scilicet hujus unionis, e duabus personis, quasi una et completa efficitur persona, principaliter quidem ad procreationem prolis, secundario ad mutuum utriusque conjugis obsequium[2], remote vero ad prosperitatem generis humani. — Quapropter societas conjugalis :

1. *Naturalis* est et primaria : — hanc tamen Manichæi inhonestam, recentes vero secundariam et dependentem a potestate civili volunt.

2. Nec tamen *obligatoria* : — porro non desunt hodie qui cælibatum perpetuum inhonestum et impossibilem esse proclamant.

3. *Cujus caput est vir*, non mulier : — e contra, juxta recentes feminismi fautores, jura mulieris, etiam politica, v. g., jura suffragii, æqualia sunt viri juribus : « ainsi sera obtenue l'émancipation de la femme[3] » : ergo a fortiori jura domestica.

4. Sicque permanet *indissolubilis* : — non ita recentes, juxta quos potestas civilis sancire potest divortium, præsertim quando matrimonium fit jugum intolerabile.

102. Sit igitur adversus omnes errores de societate conjugali

THESIS

Unio conjugalis naturalis est, sed non singulis obligatoria : libere tamen inita, sub regimine viri, indissolubilis consistit.

I. — *Naturalis* est. Id enim naturale est ad quod natura in-

1. **S. Thomas**, IV *Sent.*, Dist. XXII, q. 1, a. 1. — 2. *Ibid.*, IV *Sent.*, Dist. XXVI, q. 1, a. 1 ; — **Aristoteles**, VIII *Eth.*, XI et XII. — 3. **Saint-Simon**, *Mémoires* ; Ita scholæ vulgo dictæ : Ecole Saint-Simonienne, Ecole humanitaire ; — Cf. **Sécrétan**, *Le Droit de la Femme* ; — **Th. Joran**, *Le Suffrage des Femmes*.

clinat, et quod Deus præcipit : porro homo naturalem habet inclinationem ad matrimonium ; Deus autem vult propagationem speciei non quomodocumque, more belluarum, sed per medium dignitati humanæ congruum. Ergo naturalis est societas conjugalis ; ergo etiam honesta.

Hinc essentialiter *independens* est a societate civili : tum quia societas civilis est quasi extensio familiarum, et ideo, ratione temporis, ei posterior est : tum quia familia ordinatur ad ea quæ sunt absolute necessaria, videlicet ad generationem ; societas autem ad ea quæ nisi secundo loco veniunt, i. e. ad prosperitatem communem familiarum.

II. — Non singulis *obligatoria* [1] ; nam talis obligatio veniret vel *ex præcepto* matrimonii, vel ex *inhonestate* cælibatus.

Porro non 1um : nam matrimonium generatim hominibus præscriptum dici potest, non vero singulis. — Nec ideo procreatio generis humani ponitur in periculo ; quod enim Deus per præcepta singulis imposita non exigit, hoc per vehementem propensionem in plurimis obtinet.

Non 2um : siquidem cælibatus christianus, qui amore virtutis servatur, non tantum est possibilis, vocante Deo, sed matrimonio excellentior, cujus exemplum multa bona præstat societati. Ergo matrimonium singulis non præcipitur. — *Confirmatur* : nam matrimonium, sicut et proprietas, facto quodam libero, quasi titulo innititur : contrahitur enim libere, mutuo viri et uxoris consensu, per quem « accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius [2] ».

III. — Societas conjugalis constituitur *sub viri regimine.* Revera societas conjugalis concipi nequit sine unitate, ordinatione et dependentia : hæc autem tria supponunt auctoritatem quæ naturaliter residet in viro ; hic enim dotibus corporis, intellectus et voluntatis, mulieri præstantior est. Ergo societas conjugalis est sub regimine viri. — Cave tamen ne mulier ad servitutem paganismi redigatur : non enim ad servitium viri, sed ad bonum prolis convenit. Vir ergo est familiæ caput, mulier autem viri socia, non serva, ut ab excessu paganismi et socialismi recedens, docet philosophia christiana.

Brevius : quæ est viri socia, nec æmula, nec serva ejus sit [3].

1. **Mendive**, *Ethica*, n. 215-248. — 2. **S. Thomas**, IV *Sent.*, Dist. XXVII, q. 7, a. 7. — 3. Cf. *L'Ami du clergé*, 8 janv. 1914.

Quid ergo de *feminismo* ? Habet mulier, licet inferior viro, jura naturæ humanæ : quæ tamen in re conjugali, sed præsertim politica, superare aut etiam æquare jura viri non debent.

IV. — *Indissolubilis est.* Secus enim finis primarius matrimonii, nempe bonum prolis obtineri nequit : nam ab bonum prolis concurrere debent pater et mater, non solum per aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Ergo matrimonii indissolibilitas jure naturali præcipitur ; cumque lex civilis non possit dispensare super ea quæ sunt juris naturalis etiam secundarii, *divortium* proprie dictum nequit sancire, id est quoad essentiam suam matrimonium mutare [1].

Hinc *solus amor*, isque sincerus, honestus, constans, fidelis, obsequiosus, est verum matrimonii vinculum : nam « per eadem principia res conservantur, per quæ producuntur ».

103. Hinc vanæ sunt *objectiones* contra matrimonium.

Obj. 1ª. — Matrimonium est contractus *civilis* in societate civili initus. Ergo potestati civili subjacet.

Resp. *Dist. ant.* Initur a civibus, quatenus sunt homines, *conc.*, quatenus cives, *nego.* — Hoc a fortiori verum est de christianorum matrimonio quod est contractus religiosus et sacramentum.

Obj. 2ª. — *Cælibatus* christianus præfert bonum privatum bono communi ; ergo est egoismus.

Resp. Præfert bono communi bonum privatum superioris ordinis, i. e. spirituale, *conc.* ; ejusdem ordinis, *nego.* Porro falso contendit schola humanitaria bonum privatum etiam excellens, semper et in omni casu propter utilitatem communem esse negligendum.

Obj. 3ª. — Mulieris *dignitas* per subjectionem viro deprimitur.

Resp. Deprimitur per subjectionem servilem, qualis est apud mahumetanos, *conc.*, per subjectionem conjugalem et amicalem, servatis ipsius uxoris juribus, *nego*, nam e contra, ut dixit Le Play : « Le plus grand malheur de l'assimilation des deux sexes est d'abaisser la dignité sociale de la femme et de dénaturer le caractère auguste de la mère, en en faisant un manufacturier, un marchand ou un propriétaire [2]. »

Obj. 4ª. — Bono familiæ utile est ut matrimonii vinculum solvatur. Ergo societas civilis *divortium* sancire potest.

Resp. Utile est per se et semper, propter bonum generale, *nego* ; per accidens aliquando ob bonum particulare, *subd.* : per divortium perfectum, *nego* : per imperfecum divortium, i. e., per separationem viri et mulieris, quando matrimonium est ju-

1. **Le Play**, *Réforme sociale*, c. III : — Cf. **Bourget**, *Un divorce* ; — **Fonsegrive**, *Mariage et union libre.* — 2. **Le Play**, *ibid.*, 349-353 ; — **Puffendorf**, *De jure nat. et gent.*, cap. II, § IV ; — **Rousseau**, *Discours de l'inégalité et des conditions.*

gum intolerabile, *conc.* Unde nego consequens, nam « in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit[1] ».

ARTICULUS II.

De societate Paterna.

104. Quinam sint *errores* hodierni de societate paterna ?

Societas paterna est *conjunctio parentum et liberorum, præsertim educationis gratia* : ex eo enim quod matrimonium principaliter ad bonum, id est, ad generationem et educationem prolis ordinetur, necesse est ut mutuæ relationes, jura et officia inter parentes et filios habeantur.

Quapropter talis parentum et liberorum societas :

1° Est *naturalis* ; — hanc e contra mere liberam esse vult Puffendorfius, nullam vero Communistæ ; proindeque parentes nullam haberent potestatem in educationem filiorum, nisi e pacto cum illis tacito, vel e consensu ipsius societatis.

2° Dicitur *paterna*, quia auctoritas in patre præsertim, licet non exclusive, residet ; — si contra fidas Hobbesio, « infans est in dominio matris, quæ potest eum educare vel exponere[2] ».

3° Hinc *parentibus* incumbit officium educationis ; — quod negant Communistæ : « Les enfants n'appartiennent plus à ceux qui leur ont donné le jour, ils leur seront enlevés et la société leur fera donner une éducation commune[3]. »

3° Hinc *pueris* officium obedientiæ ; — quod negant liberales eo quod libertas pueri læderetur, si, v. g., ante annum duodecimum, de Deo, anima et religione erudirentur[4].

105. *Sit* ergo adversus omnes errores de societate paterna

THESIS

Inter pueros et parentes existit societas naturalis, quæ patri auctoritatem, parentibus officium educationis, pueris officia pietatis affert.

I. — Est *naturalis*. Ea enim societas est naturalis cujus membra necessario uniuntur ; porro tum propter generationem, tum propter evolutionem physicam et moralem, quam e solis parentibus congruenter accipere possunt, liberi cum

1. *Sum. Theol.*, Supp., q. 67, a. 1, ad 4. — 2. **Hobbes**, *De Cive*, c. XI. — 3. **Saint-Simon**. — 4. **Rousseau**, *Emile ou l'Education*.

parentibus necessario conjunguntur; ergo et naturaliter.
Nec est *civilis*, ratione auctoritatis acceptæ : id enim quod est prius societate civili, jura sua non accipit a societate civili ; sed familia societate civili prior est ; ergo auctoritas paterna non habetur a potestate civili, sed a natura.

II. — Hæc auctoritas in *patre* primario residet, — non in *pueris*, ut patet, qui ratione generationis, cohabitationis, educationis, inferioris sunt conditionis ; — nec etiam in *matre* principaliter : hæc enim non habet regimen familiæ, nec nisi secundario in filios habet potestatem (n. 102. III).

III. — Parentibus inest *officium educationis* : secus, fine vacaret generatio. — Imprimis parentes « diligant filios suos eo quod sunt aliquid ipsorum[1] ». — Deinde sicut et sibimetipsis conferant bona corporis et animæ : nempe corpori conservationem et perfectionem, animæ vero instructionem, « in disciplina et correptione Domini[2] ».

Non ergo audiendi sunt qui volunt — vel ut parentes ab omni castigatione corporali abstineant erga filios suos, — vel, cum Rousseau, ut ante ætatem adultam nullus de religione sermo illis fiat[3]. Nam a teneris annis infantes ad virtutem et amorem Dei informare oportet.

IV. — Pueris denique inest *officium diligendi parentes*, « in quantum habent esse ab eis ». Cum autem « filii a parentibus habent esse, nutrimentum et disciplinam[4] », parentibus etiam debent honorem propter esse, sustentationem in senectute propter nutrimentum, et obedientiam propter disciplinam.

ARTICULUS III.

De societate Herili.

106. Quinam sint *errores* adversus societatem herilem ?

A. — Societas herilis *est unio inter dominum et famulos, qua famulus, propriæ utilitatis gratia, ad domini commodum operam suam ordinat.*

Duplex esse potest famulorum conditio : sive *servitus*, sive *locatio operis* (le salariat). Hæc non tollit libertatem externam operarii, qui potest dominum et statum mutare, vel

1. S. Thomas, VIII *Eth.*, lect. XII. — 2. S. Thomas, in *Epist. ad Eph.*, VI, 1. — 3. Farges, *La Religion de J.-J. Rousseau*, p. 78-81. — 4. S. Thomas, *Opusc.* III, c. 17.

tollit tantum ad tempus libere præfixum, dum omnino aufertur libertas in servitute.

Servitus iterum duplex est : *absoluta* aut *mitigata*, prout simul cum libertate externa jura naturæ inalienabilia, v. g., jus ad vitam, ad personalitatem, auferuntur vel non. — Conditio locationis etiam duplex est : *domestica* vel *proletaria*, prout in domo domini, sicut pars familiæ, famulus habitat, vel propriam familiam in suo domicilio habet aut habere potest.

B. — Jam famulorum existentia, in hoc ordine Providentiæ, necessaria est, non autem quæcumque conditio. Unde

1° *De servitute duplex est error* ; unus sc. Platonis et Paganorum, qui legitimam esse servitutem absolutam admiserunt ; alter recentium, etiam inter catholicos, qui omnem servitutem etiam mitigatam, ut omnino injustam, respuentes, ansam præbent calumniandi Ecclesiam, quæ hunc statum diu toleravit.

2° *De locatione herili* adhuc *duplex est error*. Alii, præsertim socialistæ, contractum de salario tanquam injustum persequuntur, participationemque operariorum in beneficiis patroni, ut debitam ex justitia, ope syndicatus, vindicant. Alii e contra, liberales dicti, quodlibet salarium esse justum putant, modo sit liber utrinque consensus.

Horum errorum confutatio per partes opportuna erit.

107. Utrum quælibet *servitus*, etiam mitigata, repugnet ?

THESIS

Servitus absoluta juri naturali omnino repugnat, non vero servitus mitigata.

Constat I[um]. Id enim repugnat juri naturali, quod tollit ab homine jura inalienabilia ; porro talis est servitus absoluta, qua persona humana tanquam res physica tractatur, quasi nec ullum jus, nec personæ dignitatem, nec ullum finem absolutum haberet ; ergo per se illicita est.

Hinc horrendum est omnino commercium Nigritarum qui olim in Americas, nunc ex Africa in Asiam deportantur.

Constat II[um]. Hæc enim societas non est illicita, quæ nihil habet contra jus strictum naturæ, quæ vergere potest in bonum commune, et aliunde titulo justo fundatur. Porro

a) In servitute mitigata jura naturæ inalienabilia reservari

possunt, et concedi tantum jura secundaria, v. g., ad acquirendam proprietatem, ad libertatem quamdam..., quæ etiam, v. g., per professionem religiosam aut militarem, omnium consensu, legitime abdicantur.

b) Illa societas vergere potest in majorem utilitatem ipsius servi, qui olim, sub cura dominorum vere christianorum, pro labore moderato, securitate victuque perpetuo fruebatur, imo feliciorem fortasse vitam agebat quam permulti recentes operarii, liberi quidem, sed nomine magis quam re.

c) Titulo denique fundari potest, v. g., in voluntaria traditione servi, etiam perpetua, aut in justa pro delicto gravi condemnatione. — Ergo hæc servitus per se non est illicita.

Attamen fatemur servitutem etiam moderatam esse minus dignitati humanæ conformem, multisque periculis obnoxiam, ac proinde tanquam minus malum tolerari tantum potuisse.

108. Quid de locatione operis seu de *salario* sit tenendum ?

Salariatum minus etiam dignitati humanæ conformem esse, imo in se injustum [1], plures hodie concedunt. — Sed contra, quidquid sit de ejusdem in futurum restrictione, statuitur

THESIS I

Contractus locationis aut salarii inter patronum et operarios in se legitimus est, imo solus ordinarie possibilis.

I. — *Legitimus est*, sive sit contractus societarius, sive non.

A. — Sunt enim, qui egalitarismo nimis indulgentes, per contractum salarii veram institui societatem inter patronum et operarium, quasi inter co-proprietarios ejusdem professionis, somniaverunt [2]. Hoc supposito, sic argumentantur : societarii jus habent in partem incertam sed proportionatam producti totalis ; sed qui jus habent ad partem incertam rei futuræ, illud cedere possunt pretio certo et præsenti, quod vocatur salarium : ergo salarium est legitimum. — Probant *majorem* : siquidem qui laborat, jus habet in fructum operis sui. Cum autem, ut jam diximus, tres sint causæ productivæ rerum : *natura*, *capitale* et *labor* (sive labor manualis operarii, sive labor intellectualis conductoris operum, *l'entrepreneur*), operarii habent jus quidem, sed non nisi in partem proportionatam producti totalis, cujus altera pars, sub nomine beneficiorum, jure pertineret ad patronum.

1. Cf. *Revue catholique des Institutions et du Droit*, 58e vol., p. 542. — 2. **Duthoit**, *Vers l'organisation professionnelle*, p. 142.

B. — Ast, juxta plurimos, contractus salarii non est contractus societarius, ad quem requireretur inter patronum et operarios identitas objecti, causæ et finis. Quid ergo ? Simpliciter est *locatio-venditio* in qua unus tradit operam et alter pretium ejus. Atqui talis contractus omnino naturalis est, vulgatissimus in Jure Romano : *facio ut des, do ut facias*[1], et in omni tempore, innumeris in materiis, viguit ac viget :

« Ce n'est pas seulement aux travailleurs manuels que s'applique ce mode de rétribution. Un employé est payé au mois ou à l'année ; un médecin compte ses honoraires d'après le nombre de ses visites ; un écrivain est souvent rétribué à la ligne ; une professeur à l'heure de leçon... [2]. »

Ergo contractus salarii omni ex parte legitimus est.

II. — Ordinarie *solus est possibilis* operariis et patrono.

1° Ex parte *operarii*, nam sæpe sæpius operarius est *pauper*, nec potest futura beneficia, per plures menses aut annos expectare. — Insuper illa beneficia sunt *aleatoria*, ut patet ex tot incæptis quæ in ruinam multorum versa sunt. Porro pauper operarius a tantis aleis eximendus est pretio certo salarii ; nec ergo cogatur introire in societatem, cujus jura sed et aleam participare deberet.

2° Ex parte *patroni*, nam si operarii jus haberent in beneficia, etiam haberent jus redarguendi gestionem rerum operisque directionem, quod esset patrono jugum *intolerabile* et bono communi gravissimum impedimentum. — Præterea, præsertim in « magna industria », causa principalis cur res sese bene aut male habeant, est ingenium vel imperitia *ductoris operum*. Unde, ut opinatur P. Leroy-Beaulieu : « Le système de la participation aurait cette conséquence que les ouvriers gagneraient non plus en raison de leurs mérites, mais en raison de l'habileté du patron [3] » : quod non solum æquitati repugnat, sed a patronis recusaretur.

THESIS II

109. *Salarium uniri potest cum quadam participatione beneficiorum, quæ est valde optanda, sed non imponenda.*

I. *Valde optanda est,* — nam sicut ad causam suam effectus

1. Cf. *Revue cath. des Instit.*, 50° vol , p. 444 ; — Cf. **Fontaine**, *Le modernisme sociologique et le modernisme social.* — 2. **P. Leroy-Beaulieu** ; — Cf. **Léon Say**, *Dict. d'Econ. pol.*, tom. I, p. 776. — 3. *Ibid.*

sponte redit, ita fructus laboris non soli domino, sed etiam operario accedere convenit. Quapropter quidam patroni, jam abhinc quinquaginta annis, mercedi præfixæ operariorum suorum, addiderunt quamdam participationem in beneficiis.

« A la fin de l'année et après l'inventaire, on distribue, non pas à tout le personnel, mais en général au tiers, à la moitié, c.-à-d. aux ouvriers ayant un certain degré d'ancienneté ou d'habileté, soit 5 pour 100, soit 10 pour 100, parfois même 20 pour 100 des bénéfices constatés. »

Porro, ut experientia constat, illa praxis vergit in bonum tum operariorum tum patronorum, qui hoc stimulo, majorem diligentiam et fidelitatem, imo majorem œconomiam in usu materiæ primæ, obtinuerunt. Vergit etiam in bonum societatis, favendo unioni inter operarios et patronos. Unde ab omnibus œconomistis valde laudatur.

« La participation aux bénéfices est susceptible d'applications nombreuses et heureuses... mais, bien loin de supprimer le salaire, elle ne lui est que d'un très léger appoint. On peut dire qu'elle est, par rapport au salaire, ce qu'un condiment, tel que le poivre ou l'ail, est par rapport à la nourriture. Ce condiment peut être le bienvenu et servir de stimulant dans certains cas, mais il ne supplée pas à la nourriture véritable et substantielle, qui est le salaire » (P. Leroy-Beaulieu).

II. *Non est imponenda* — a lege tamquam jus strictum, ut voluit Proudhon et velle debent qui contractum salarii esse societarium proclamant (n. 108). — Secus enim et statim amitteret vim suam fovendi unionem patronorum et operariorum ; non enim salvaretur legitima inter utrosque inæqualitas, sed induceretur in re æconomica, ut in civili, egalitarismus, paulatimque, ut ait Pius X, « le nivellement des classes [1] ». — Præterea, etiam in hypothesi contractus societarii (n. 108), si operarius vendidit jus ad fructum operis sui pretio *justo*, jam soluto pretio, nullum jus ad eumdem fructum retinet.

« Il serait vraiment curieux, si vous faisiez construire une maison, que les maçons, après avoir été payés de leur travail, voulussent en outre occuper quelques chambres, sous prétexte du droit naturel qu'ils ont dans le produit de leur travail ; ou que le tailleur, après avoir été payé de l'habit qu'il vous a fait, prétendît pour la même raison l'endosser lui-même à certain jour de la semaine [2]. »

1. *Lettre sur le Sillon.* — 2. Liberatore, *Principes d'écon. pol.*, p. 247.

THESIS III

110. *Ad liceitatem contractus salarii non sufficit consensus utrinque liber.*

Prob. — Falsum est sufficere unicam conditionem, nempe ut sit liber utrinque consensus : « Le contrat ne fait pas la justice, c'est la justice qui fait la force du contrat. » Nam insuper

1° Requiritur *capacitas* ad contrahendum. Pueri, minores, dementes, mulieres sub potestate maritali, per se non contrahunt valide, sine assistentia mariti, parentum aut tutorum. Unde graviter peccant patroni qui his abutuntur.

2° Requiritur ut contractus sit de *materia licita*. Cum autem non locentur res quælibet, sed vires et personæ humanæ, illicitæ sunt conditiones quæ humanæ dignitati adversantur, v. g. : labor nimis periculosus aut insaluber, labor sine requie sufficienti, vel cum officiis erga Deum aut erga familiam insociabilis. Nam « nefas est spondere neglectum (rerum), quæ Deo vel sibimetipsi hominem obstringunt[1] ».

3° Denique requiritur ut salarium sit ad vitam operarii *sufficiens*. Nam qui vires vitamque domino consumit, jus strictum habet saltem ad sufficientem vitæ suæ refectionem ; alioquin æqualitas contractus inter dantem et accipientem violaretur. Unde si patronus abutitur indigentia operarii, vel concurrentia effrenata, ad imponendum pretium infra normam rationabilem, certo contractus fit iniquus. « Esto igitur, ait Leo XIII, ut opifex atque herus in idem placitum... consentiant : subest tamen semper aliquid ex justitia naturali, idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius, scilicet *alendo opifici frugi quidem et bene morato, haud imparem* esse mercedem oportere ». Item Le Play et alii œconomistæ catholici.

Quod luculenter *experientia confirmatur*. Nam lex liberæ concurrentiæ seu lex relationis inter petita et oblata (la loi de l'offre et de la demande) qua nunc regitur salarium, nulla æquitate naturali temperata, pessimos fructus attulit. Hinc *machinismus* hodiernus, seu lugenda inter operarios et patronos relationum norma, vi cujus dominus, ab operario tanquam

1. Encycl. *de Conditione opificum.*

a machina productionis, maximam operam pro minima mercede extorquere conatur.

111. Hinc *minimum* pretii justi sufficiens esse debet saltem ad alendum opificem. Patet ex dictis regulam *theoretice* inconcussam esse : in praxi tamen tria notanda sunt.

1º Utrum salarium debeat esse sufficiens etiam ad sustentandam totam operarii familiam (salaire *familial*), controvertitur inter catholicos [1].

Affirmaverunt Manning [2], Liberatore [3], Lehmkuhl, Perriot et alii non pauci, ex eo quod operarius eodem laboris fructu et seipsum et suam familiam sustentare tenetur. — Alii merito negant illud requiri ex solo *justitiæ* commutativæ titulo. Nam valor laboris locati in hoc contractu independens est a numero puerorum aut ab uxoris vita et morte. Aliunde in praxi adessent gravia incommoda, sive salarium familiare deberetur nuptis tantum, sive omnibus etiam viduis et cælibibus.

Attamen ab omnibus admittitur, etiam a parentibus scholæ liberalis (A. Smith, Ricardo...), salarium *naturale* et optandum, honestæ vitæ opificis suæque familiæ proportionari debere, ita ut etiam moderatam mercedis partem seponere possit [4] : quod passim a quibusdam patronis catholicis in praxim deducitur [5].

2º Utrum *in praxi* salarium, etiam ad alendum opificem, *insufficiens* sit semper injustum et in culpa patroni, non constat. Hic tantum sedulo notandum est normam salarii justi non a sola bona voluntate patronorum dependere, sed sæpius etiam a causis œconomicis gravioribus.

« D'ordinaire, les patrons eux-mêmes sont victimes du système économique généralement en vigueur. La concurrence effrénée fait que le prix des marchandises s'abaisse sans cesse : et, pour être en mesure de vendre à bas prix et ne pas se faire écraser par leurs concurrents, les chefs d'industrie sont bien souvent forcés d'abaisser toujours de plus en plus le prix de revient de la marchandise. C'est un résultat auquel concourt aussi la production excessive, conséquence de l'emploi des machines (l'agiotage effréné), et le poids toujours croissant des impôts publics. Il s'ensuit que la condition des travailleurs va toujours s'empirant [6]... »

3º Utrum denique *minimum* salarii justi a Statu, vel potius

1. Cf. *Science cath.*, 15 avril 1892 ; — *Le Monde*, 13 déc. 1894 et 22 janv. 1895. — 2. Abbé **Lemire**, *Le Card. Manning*, p. 195-217. — 3. *Principes d'Econ. pol.*, p. 246-252. — 4. Cf. **Godts**, *Salarium minimum et salarium familiale* ; — **P. Antoine**, *Cours d'écon. sociale*, p. 569 ; — **De Gryse**, *De contractu conditionis* ; — *Revue thomiste*, 1896, p. 317. — 5. Cf. Lettre de **Card. Maurin**, 1918. — 6. **Liberatore**, *Principes d'écon. pol.*, p. 251.

a corporationibus liberis artium, pro opportunitate rerum, temporum et locorum, sit determinandum per contractum collectivum laboris patronis imponendum, infra dicetur (n. 126).

CAPUT SECUNDUM

DE SOCIETATE CIVILI.

112. Quid sit societas *civilis* ?

Definitur : *unio permanens plurium familiarum, sub eodem regimine, bonum commune* et *temporale, directe prosequentium.* Est *unio* moralis, non physica ; — *plurium familiarum* : en materia proxima societatis ; — *sub eodem regimine*, nam corporis moralis, instar corporis physici, unum est caput ; — *bonum commune* prosequentium : societas enim non ordinatur ad utilitatem cujusdam hominis vel classis, sed omnium civium ; — necnon ab bonum *temporale* : sola enim societas religiosa ad bonum spirituale directe tendit in ordine ad felicitatem æternam ; — *directe* prosequentium, nam felicitas hujus vitæ referri debet ad felicitatem alterius vitæ, quæ ideo indirecte intenditur.

Sæpius apud auctores elementum materiale seu multitudo, dicitur *populus*, elementum formale, id est gubernium, appellatur *Status* ; corpus morale ex utroque elemento compositum, vocatur *societas* civilis et politica. De qua sint quinque articuli : 1us de *Natura societatis civilis*, — 2us de *suprema Potestate civili*, — 3us de *variis Regiminis formis*, — 4us de *Muniis et Limitibus Status*, — 5us de *Officiis subditorum.*

ARTICULUS I.

De Natura societatis civilis,

Quæritur quæ sint societatis civilis *origo, structura* et *finis.*

113. Utrum societas civilis sit homini *naturalis* ?

Fere omnes philosophi, post Aristotelem et S. Thomam, asserunt hominem esse natura sua socialem et politicum. Non ita Hobbes et Rousseau ; nam, si priori fides, « homo est homini lupus », et primo solivagus bellum in alios omnes agebat ; si posteriori, homo primo sylvester et felicissimus, quia liber. Unde Hobbes fingit hominem per se *anti-socialem*, Rousseau autem

extra-socialem, ex pacto arbitrario in societatem convenisse [1]. Contra quos sit

THESIS

Societas civilis homini naturalis est, et naturaliter constituta fuit.

I. *Naturalis est.* — Natura enim invincibiliter inclinatur homo ad ea quibus indiget ut perfectionem debitam et felicitatem hujus vitæ consequi valeat. Sed multa bona huic felicitati et perfectioni utilia, in ordine physico, intellectuali et morali, habere tantum potest per societatem politicam. Ergo societas politica ex inclinatione naturæ orta est.

Revera homo non est sicut alia animalia quæ sibi sufficiunt ; « aliis enim animalibus natura præparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem, ut dentes, cornua, ungues, vel saltem velocitatem ad fugam ». Item, « aliis animalibus innata est naturalis industria ad omnia ea quæ sunt eis utilia vel nociva. Quædam etiam animalia ex naturali industria cognoscunt aliquas herbas medicinales, et aliqua eorum vitæ necessaria ». — Secus vero de homine dicendum est ; nam, ita comparatus est a natura, ut progressivo rationis usu hæc omnia sibi præparet ; sed quum unus homo, aut una familia ad ea præparanda non sufficiat, « *est homini naturale* quod in societate multorum vivat », scilicet « ut unus ab alio adjuvetur, et diversi diversis inveniendis per rationem occupentur ; puta unus in medicina, alius in hoc, alius in alio [2] ».

II. *Naturaliter* constituta fuit ; nam 1. — *Per accidens*, societas e variis causis, variisque circumstantiis oriri potuit, ut sunt consensus plurium familiarum eumdem ducem eligentium, dominatio cujusdam viri potentis, emigratio et alia similia. Sed 2. — hæc accidentalia sunt et non universalia : unde secundum leges naturæ consuetas, cum societas sit familiarum adunatio, factum illud primitivum repeti debet ab ipsa familiarum extensione et propagatione. Familiæ quidem ex eodem stipite ortum habentes, paulatim accrescunt, et vicum, urbem, provinciam, nationem constituunt secundum ea Tullii : « Prima societas in ipso conjugio est, proxime in liberis ; deinde una domus, communia omnia ; inde autem

1. **Farges**, *La Religion de J.-J. Rousseau*, p. 73 et suiv. — 2. **S. Thomas**, opusc. *De rege et regno*, L. V, c. I ; — De bonis quæ per societatem procurantur egregie scripsit **F. Bastiat**, *Harmonies écononi.*, c. 1 ; — *Revue thomiste*, an. 1898, p. 529 ; — an. 1899, p. 82.

est principium urbis et quasi seminarium reipublicæ [1]. »

Confirmatur ex falsitate suppositi quo nituntur Hobbes et Rousseau. Nam ex annalibus humanitatis apparet, nunquam hominem fuisse solivagum, sed societatem patriarchalem et politicam a primis ævis extitisse et ideo, sicut et post domesticam, esse pari titulo naturalem.

114. Quænam sit societatis civilis intima *structura* ?

THESIS

Societas civilis est organismus moralis, cujus partes immediatæ, non individua, sed familiæ sunt.

I. — Est *organismus*. Ibi adest organismus moralis, ubi datur compositum, quod, corporis instar, constat partibus heterogenis, ad functionem specialem deputatis. Porro in societate civili dantur varia organa, quorum alia ad artes, alia ad agriculturam, alia ad commercium, alia ad industriam, etc., ordinantur. Ergo in ea est organismus moralis.

II. — Hæc organa sunt *familiæ*. Iis enim elementis societas coalescit quibus constituta fuit et in quæ resolvitur : porro — 1. Societas civilis non est congregatio inita inter homines, nullis aliunde vinculis obstrictos, sed est ipsius familiæ extensio naturalis : nam « sicut vicus constituitur ex pluribus domibus, ita civitas ex pluribus vicis [2] ». Quare 2. — Si quando per aliquod tempus dissolveretur societas civilis, remaneret societas domestica, quæ homini magis est necessaria, et ad quam primario ordinatur. Ergo non individua, sed familiæ sunt materia proxima societatis.

115. Quisnam sit *finis* societatis civilis ?

Juxta *liberales* politicos, v. g., Hobbes, Rousseau, Kant et alios recentiores, societatis politicæ scopus unicus est, sc. tutela libertatis ; — proinde legis officium non est procurandi bonum civibus, sed tantummodo protegendi libertatem. En revera formula generalis omnis liberalismi politici (infra, n. 143) : « Le but de toute association politique est la conservation des droits naturels et imprescriptibles de l'homme. Ces droits sont la liberté, la sûreté et la résistance à l'oppression [3]. » Contra quos sit

THESIS

Societas politica, non ordinatur solum ad tutelam jurium, sed ad bonum physicum, intellectuale et morale civium.

I. — Non ad *tutelam tantum*. Id enim rejici debet quod

1. *De Officiis*, L. I, c. VII. — 2. Thomas, *Eth.*, lib. 1. — 3. *Déclaration des droits de l'homme*, 1789, a. 2.

falsis nititur fundamentis et ducit ad perniciosa ; porro tale est principium liberalismi ; ergo rejici debet.

Constat *minor*, nam 1. — supponunt liberales rationem esse ab omni vinculo morali independentem, hancque autonomiam omni ex parte protegendam esse : quæ omnia sunt falsa. 2. — His enim admissis, sequeretur crimina prohiberi non posse, modo coexistentiæ civium non noceant, aut religionem esse reprimendam, quia libertatis civium dirigendæ et coercendæ officium habet : quæ sunt perniciosa, in praxi tamen ab adversariis admittuntur.

II. — Sed etiam ad *bonum commune*. — Nam, ex dictis, societas naturaliter constituitur ut hæc bona assequi possit ad quæ activitas privata non sufficit. Porro activitas privata non sufficit ad bonum commune, nec physicum, nec intellectuale, nec morale. Ergo ad hæc tria procuranda ordinatur. Quapropter inest societati non tantum finis negativus in malo communi coercendo, sed etiam positivus in promovendo bono communi (infra, n. 125) ; nec tantum ad bonum physicum, sed, quia est societas hominum, ad bonum præsertim *morale*, sicque ultimo ad religionem, ordinatur.

Obj. — Societas non potest cognoscere bonum, quod civium universitati convenit ; ergo illud non est finis societatis civilis.

Resp. *Nego ant. et cons.* Sunt enim permulta bona quæ pendent a primis principiis legis naturalis ; in his autem, nec exceptis erga Deum officiis, ignorantia non est possibilis.

ARTICULUS II.

De suprema Potestate civili [1].

116. ***Quid* sit et utrum *sit* suprema potestas civilis ?**

A. — Definitur : *jus rempublicam gubernandi* : seu fusius : *Facultas moralis, et in ordine suo independens, quæ actiones civium dirigit ab bonum societatis civilis.*

1° Dicitur *facultas moralis*, quia non est vis mere physica, ut volunt socialistæ absoluti, dicentes : « Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa [2]. »

1. Cf. Card. **Billot**, *Tract. de Ecclesia*, p. 489-511. — 2. *Syllabus*, Prop. 60, ap. **Denzinger**, n. 1760.

2° Est *in ordine suo independens*, quia nulli subjicitur potestati ejusdem naturæ, sed tamen superiori, si detur.

B. — Hanc porro potestatem societati necessariam esse evidens est : nisi enim actiones omnium in unum finem dirigerentur, scopum suum societas attingere non posset : ita contra anarchistas.

Quæstiones autem gravissimi momenti moventur circa *originem*, *subjectum* et *transmissionem* supremæ auctoritatis.

117. Utrum suprema potestas civilis sit *a Deo* ?

Juxta socialistas seu assertores contractus socialis (J.-J. Rousseau) potestas suprema, sicut ipsa societas, non oritur a Deo, sed ab arbitraria sola voluntate hominum, tanquam a causa efficiente. Contra quos sit

THESIS

Suprema potestas civilis in se procedit a Deo.

Prob. — Quidquid enim est in rebus naturæ, habet originem a Deo, seu a Prima Causa rerum naturalium. Unde sic :

Societas est a natura et consequenter a Deo, qui naturæ Auctor est. Sed auctoritas jure dicitur unum et præcipuum e duobus elementis omnium societatum constitutivis. Ergo Deus, in quantum est societatis Auctor, haberi debet ut principium supremæ potestatis civilis [1]. Secus enim aliquid esset in effectu, quod non haberet originem a Prima Causa.

Præterea, illa potestas est a Deo, in qua plures sunt functiones et actus necessarii ne pereat genus humanum, qui tamen excedunt facultatem seu jura cujuslibet hominis. Sed suprema potestas civilis habet actus ejusmodi, ut sunt : « punitio malefactorum, etiam usque ad mortem », et jus statuendi leges, quæ « obligant in conscientia ». Ergo suprema potestas civilis oritur a Deo, quatenus est Auctor naturæ, et datur hominibus, velint, nolint, « ut proprietas, quæ naturam eorum consequitur [2] ».

Hinc politica potestas non pendet a consensu hominum, sed a jure divino naturali, sicque differt a potestate societatis commercialis vel academicæ, quæ est a jure humano.

118. Quomodo supremæ potestatis subjectum *designetur* [3] ?

A populo quidem — sicut et regiminis forma (n. 119, c.)

1. **S. Thomas**, *Comment.* in Epist. *ad Rom.*, XIII, lect. 1. — 2. **Suarez**, *De Legibus*, L. III, c. III ; — **Leo XIII**, Encycl. *Diuturnum.* — 3. Cf. *Revue de philos.*, déc. 1901.

— nec tamen necessario per suffragium universale, sed etiam tacito consensu, unde sit

THESIS

Subjectum supremæ potestatis consensu multitudinis designatur.

Prob. — Subjectum supremæ potestatis jure vel divino, vel naturali, vel domestico, vel humano designatur ; porro hæc vel sunt falsa, vel supponunt consensum multitudinis.

I. — Jure *divino* designari contendit Bossuet, de Maistre cum paucissimis[1]. — Sed contra : si excipias Judæos, Deus *ordinarie* non agit in gubernatione hominum, nisi mediantibus causis secundis, non vero aliquid ultra naturam positive largiendo.

II. — Jure *naturali* designari contendunt Gioberti et aliqui professores ex Academia Insulana (de Lille)[2]. — Porro aristocratia ingenii, aliæque dotes naturales, aptitudinem ad gubernationem suscipiendam certe conferunt, jus autem non dant ; sicut e contrario naturalis præstantia sexus virilis determinat auctoritatem in viro super uxorem, et naturalis generatio auctoritatem in parentibus super infantes.

III. — Jure *domestico* designari putat Liberatore[3]. Revera causa quæ primum subjectum politicæ auctoritatis determinavit, ab initio fuit « prævalentia juris domestici », quod ex familiarum extensione resultat. — Sed hæc prævalentia, ordinarie saltem, ut permaneat, supponit consensum *tacitum* earum[4].

IV. — Jure *humano*, ut, v. g., hæreditate vel electione, designari multis in casibus, nemo negare potest. — Hæc autem reducuntur ad consensum multitudinis sive implicitum, sive explicitum. Ergo stat thesis.

Dices : Quid ergo de jure victoriæ, de violenta usurpatione ? — Hæc physicam, non moralem, conferunt auctoritatem, nisi de facto aut saltem de jure accedat consensus populi et pacifica possessio (n. 132).

119. Utrum potestas *immediate* aut mediate sit a Deo[5] ?

Subjectum potestatis supremæ designatur a populo necnon potestatem suam habet a Deo : utrum vero eamdem habeat imme-

1. **Bossuet**, *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, L. VII, a. 6. — 2. Cf. *Science catholique*, 1893, p. 859 et 959. — 3. **Liberatore**, *Jus nat.*, n. 54. — 4. **Bossuet**, *ouv. cité*, L. II, a. 2. — 5. Cf. **Quilliet**, *De civilis origine potestatis theoria catholica*, 1893 ; — *Dict. de Théol. cath.*, art. *Démocratie*.

diate a Deo aut *mediante* populo seu utrum populus, qui supremam potestatem exercere non potest, eam tamen habeat *in radice*, ita ut non solum eligat principem, sed ei conferat jus gubernandi subditos, controvertitur.

A. — Alii *affirmant potestatem conferri mediante populo.* Ita major pars recentiorum scholasticorum, Bellarminus [1], Suarezius [2], Balmes ; ita forsan ipse S. Thomas qui dicit : « Ad multitudinem pertinet facere legem... [3] » et alia id genus. — Ecce præcipua eorum argumenta :

1º Suprema potestas est de jure divino ; nemo autem eam potestatem ex jure divino possidet ; ergo habetur ex multitudinis electione. — Major, itemque minor est evidens ; consequens vero negari posset ; nemo quippe designatur *immediate* a Deo, ut supremam potestatem exerceat et ideo designari debet a causis secundis ; sed inde non sequitur potestatem primum recipi, deinde conferri ab his qui subjectum hujus potestatis eligunt.

2º Societas civilis est perfecta ; sed, ut societas sit perfecta, indiget potestate suprema, qua seipsam servare, gubernare et regere possit. Ergo societas civilis, in se sumpta, quatenus multitudine conflatur, supremam potestatem habet. — Major est vera ; minor etiam, non autem conclusio ; sufficit enim ad bonum regimen societatis civilis, ut eligere possit principes, quibus Deus supremam potestatem conferat.

B. — *Alii affirmant potestatem conferri immediate a Deo.* Ita pauci inter veteres, postea Bossuet, Taparelli, Zigliara. Sic argumentantur :

Id, quo multitudo in societatem adunatur, est prius multitudine et ab ea non pendet : sed potestas suprema est id quo multitudo in societatem adunatur ; ergo suprema potestas non est in multitudine et ab ea conferri nequit. — *Confirmatur*, nam potestas est elementum *formale* societatis civilis ; multitudo autem est elementum *materiale.* Sed elementum formale non pendet ab elemento materiali ; secus enim superius ab inferiore penderet.

Aliunde illa potestas jure naturæ non confertur multitudini, quæ illi foret inutilis ; atqui talis est potestas mere « *radicalis* », quam multitudo exercere per seipsam non potest ; ergo potestas non existit radicaliter in multitudine. — Negant alii, quia non desunt qui jura habent quin ea per seipsos exercere possint, nisi in certis casibus.

Quibus etiam hæc sententia a Leone XIII anteponi videtur in Encyc. *Diuturnum* : « Quo sane delectu (multitudinis) *designatur* princeps, non conferuntur jura principatus : neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit regendum [4] », — necnon a Pio X in sua epistola « sur le Sillon [5] ». — Ast *immerito* ; hic enim solum asseritur jus principatus secundum se non esse a populo, contra monstruosum contractus socialis errorem (n. 111).

1. *De Controversiis*, Vª, Lib. III, *de Laicis*, c. III. — 2. *Defensio fidei* ; *de Legibus*. — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ. q. 90, a. 3, ad 3 ; — q. 97, a. 3, ad 3 ; — Cf. *Revue August.*, nov. 1910. — 4. Leo XIII, an. 1881. — 5. Pius X, an 1910.

C. — *Conclusio.* Potestas politica immediate esse a populo duobus modis intelligi potest ; vel ex populo solum constituente formam regiminis legemque investituræ (Billot)[1], vel a populo jam habente sed abdicante potestatem (Suarezius). Placet prior expositio quæ formam democraticam primitivam esse et a Deo institutam non supponit, sed omnes formas regiminis dicit æqualiter esse de jure humano et populo concedit tantum rationem proximam determinandi, sive regiminis modum, sive subjectum auctoritatis. — *Notandum* quod translatio potestatis, in opinione Suarezii, non est delegatio tantum, sed « quasi alienatio seu perfecta largitio totius potestatis[2] », proindeque valde differt a theoria suprematiæ populi, de qua nunc dicendum.

120. Utrum in *multitudine* potestas remaneat ?

Juxta socialistas, potestas non tantum est in populo et a populo, sed post electionem, adhuc in populo remanet, ita ut princeps aut præses sint tantummodo legati seu mandatarii plebeiæ majestatis, quæ alienari nequit : unde ad libitum multitudinis destitui possunt[3]. Contra hanc delegationem seu « suprematiæ populi » theoriam sit

THESIS

Potestas suprema, post electionem, penes multitudinem non remanet.

Prob. — Nam 1° ut fert axioma juris : « donner et retenir ne vaut. » Ergo, etiamsi daretur a populo jus gubernandi usque ad definitum tempus, illud jus in eo non remaneret. At, juxta nos, per institutionem gubernii communitas non *abdicat*, sed potius *acquirit* potestatem sibi necessariam.

2° Si remaneret in populo, populus simul inferior et superior esset, quod est contradictorium, — necnon omnis auctoritatis eversivum, nam non solum legatos ad nutum revocare posset populus, sed leges ipsas ad arbitrium suum abrogare.

3° Talis suprematia populi non esset in bonum commune, sed in ruinam totius societatis ; nam, experientia teste, pax, stabilitas, prudens directio in finem, non sunt quærendæ in multitudine.

ARTICULUS III.

De variis regiminis Formis[4].

121. *Quotuplex* sit forma auctoritatis et regiminis ?

A. — Potestas suprema triplici modo exercetur ; nempe

1. *De Ecclesia Christi*, t. I, cap. III, § 1, n. II. — 2. *De Legibus*, lib. III, c. IV, n. 11. — 3. « Le peuple est souverain, et le gouvernement n'est que son commis, moins que son commis, son domestique. Entre eux point de contrat indéfini ou du moins durable. » **Taine**, *L'Ancien régime*, L. III, c. IV, § III et **Rousseau**, *Contrat social*, I, 9 ; III, 1 ; IV, 3. — 4. **S. Thomas**, opusc. *de Rege et Regno*, L. I, c. I.

leges condit, earum *executionem* mandat, et de civium delictis *judicat*. Ea de re, triplex dici potest potestas suprema, sc. *legislativa*, *executiva* et *judiciaria*.

B. — Si vero non *in se* spectetur, sed relative ad *subjectum* in quo recipitur, illud subjectum vel est unica persona, vel classis optimatum, vel denique totus fere populus. Inde *monarchia*, *aristocratia* et *democratia*, quorum abusus aut corruptiones *tyrannis*, *oligarchia* et *anarchia* vocantur.

Ex commixtione harum formarum variis modis et in diverso gradu, oritur monarchia *constitutionalis*. In ea leges feruntur a mandatariis populi in Camera congregatis, quibus accedit Senatus optimatum, tanquam inter deputatos et regem ponderator. Potestas executiva per ministros *responsabiles*, a Rege electos, exercetur. Rex autem signat leges camerarum, signat et decreta ministrorum, sed « regnare, non autem gubernare » dicitur. — In Anglorum *parlementarismo*, neque rex libere eligit ministros, vixque differt a præside reipublicæ, nisi jure hæreditatis.

122. Quænam sit *melior* regiminis forma ?

Circa hanc quæstionem, quot capita, tot sensus : respondent tamen, post Aristotelem et S. Thomam, Bellarminus ac plerique philosophi christiani :

THESIS

Melior regiminis forma, non in concreto sed in abstracto, monarchia hæreditaria et temperata videtur.

I. — Melior *in abstracto*. — Nam in concreto, forma melior unicuique genti non est perfectior in se, sed quæ illius ingenio, indoli et traditionibus usu et praxi magis accommodatur. Hinc est cur regimen non facile sit mutandum, aut cur ejus mutatio tot perturbationum sit causa : cur ideo indifferentismus politicus in se forsan, non vero pro tali aut tali natione propugnari possit.

II. — *Per se monarchia* est [1]. — Ea enim forma melior est quæ *in se* magis naturalis, tranquillior et fortior est : porro talis est monarchia ; ergo. — *Naturalior* est, nam ex familia

1. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 105, a. 1 ; — Revue thomiste, *La pensée de S. Thomas*, an. 1901-1902 ; *la Théorie du pouvoir dans S. Thomas*, an. 1911, sept.-oct. ; — **Zeiller**, *L'idée de l'Etat dans S. Thomas d'Aquin* ; — **Bossuet**, *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, L. II, a. 1, prop. 7° et 8°.

patriarchali sponte orta est, et sicut ipsa iisdem causis propagatur et perseverat. — *Tanquillior est*, secundum ea S. Thomæ : « Quod est per se unum, potest esse causa unitatis convenientius quam multi uniti [1] ». Porro democratia per accidens, monarchia per se habet unitatem socialem, quæ est optimum societatis bonum. — Hinc et *fortior est*, nam solus monarcha possidet potestatem, eaque libere et expedite uti potest, sive ad malum reprimendum, sive ad bonum promovendum. Ergo monarchia « præstantioris forma regiminis est » [2].

Hinc *de facto* non solum *communior*, *antiquior*, ut historia constat, sed *et felicior*, judicio multorum, populis fuit.

III. — Dixi : monarchia *hæreditaria* et *temperata*. Hæreditaria enim *electivam* antecellit : nam ubi viget electio, solent, mortuo monarcha, suscitari dissensiones et competitiones, quæ pacem et ordinem publicum in periculo ponunt. — Temperata autem *absolutam* vincit : tunc enim non cessat nec vergit in aristocratiam aut democratiam, aliquatenus tamen per utramque ligatur potestas absoluta, ne in despotismum abeat'.

123. Quid de regimine mixto seu *repræsentativo* [3] ?

Modo intacta maneat distinctio inter subditos et auctoritatem, nec eam conferre prætendat suffragium universale et etiam retinere (n. 120), sit

THESIS

Regimen repræsentativum bonum est sed imperfectum.

I. *Bonum est* ; nam impedit quin auctoritas abeat in despotismum, sicque a civibus odio habeatur. — Aliunde repræsentatio omnium classium socialium, scientiam, æmulationemque gubernio confert : siquidem deputati, manifestatione desideriorum totius gentis, æmulationem ad bonum excitant. — Denique potestatem leges ferendi aut seditiones reprimendi impersonalem reddit, ac proinde, per se forsan, magis efficacem.

II. *Imperfectum est* tamen regimen in quo pronum erit ut multitudo gubernet, ut pessimis faveatur passionibus, et ut bonum societatis verum non promoveatur. Porro his inconvenientiis non vacat regimen repræsentativum. Ergo imperfectum.

1. *Sum. Theol.*, p. 1, q. 103, a. 3. — 2. **Pius VI**, *In Consistorio*, 17 junii 1793. — 3. Cf. **Taparelli**, *Critique des gouvernements représentatifs*, an 1912 ; — Cf. **Suarez**, *Defensio fidei*, L. III, c. II, n. 8.

Constat 1um, nam electiones frequentiores civibus suadent auctoritatem penes se remanere inalienabilem ; suadent principem « qui regnat nec imperat » esse legatum ad nutum revocabilem ; sicque, destructa gubernii constantia, enervatur auctoritas in capite, dum insolescit populus et tendit ad *panarchiam*, quæ in *omnibus* ponit auctoritatem.

Constat 2um, nam per electionem dividitur populus in factiones adversas, quæ fraudes adhibent, vimque ac corruptionem, et, si vincant, speciem aliquam tyrannidis in alios numero minores exercent : tunc invidia fit « morbus democraticus ».

Constat 3um, nam electores, virtute et scientia mediocres, blanditiis vanisque promissionibus facillime decipiuntur, et eligunt homines novos, audaces, quibus magis est cordi bonum privatum quam bonum publicum (cf. n. 129).

Hæc, inquam, in se et attenta hominum natura, sunt graviora, donec forsan diuturna consuetudine moribus gentis accomodetur, et nisi juxta leges æquitatis temperetur suffragium universale.

124. Hinc de *suffragio universali* fertur judicium.

Suffragium in genere est *in membris Societatis jus a lege concessum eligendi deputatos.* — Dico a lege concessum, nam

I. Suffragium *universale non est jus naturale* — Secus enim competeret omnibus, etiam pueris et feminis, qui eamdem habent naturam humanam : nec esset ratio cur non extenderetur etiam ad electionem cujuslibet functionarii aut magistratus. Porro hæc sunt practice impossibilia, vel absurda fierent. — *De facto*, suffragium quod vocant *universale* non est, sed *majoritarium*, a vero consensu multitudinis, de quo supra (n. 118) apprime distinctum et revera sæpe mendacium.

II. Quin etiam, nisi restringatur, *est potius contra naturam* :

a) Repugnat enim rationi *minoritates*, ut aiunt, quamvis maximas, non repræsentari et pro nihilo haberi.

b) Repugnat etiam in computandis suffragiis solius *numeri* rationem haberi, quasi jus esset « numeri et materialium virium summa », non autem *titulorum* quibus scientia et moralitas, imo et tributa cujusque indicantur. — Hinc suffragium universale quidem sed inæquale ut olim in Belgio (vote plural), aut cum repræsentatione proportionali suffragiorum, aut quo speciales utilitates diversarum classium et professionum repræsentantur (représentation professionnelle) et imprimis familiæ (vote familial) magis æquitati conforme esset.

Dices : Omnes cives onera et tributa æqualiter ferunt ; ergo jus æqualis suffragii habent. — Resp. 1° *trans. ant.* ; *dist. cons.* : æqualiter jus habent ad bona societatis..*conc.*, ad administrandam societatem, *nego.* — 2° *Dist. ant.*, tributa ferunt æqualia quoad proportionem, *conc.*, quoad summam totalem, *nego.* Porro, in societatibus commerciariis, pro repartitione suffragiorum, etiam de summa totali cujusque ratio habetur [1].

ARTICULUS IV.

De Muniis et Limitibus Status [2].

125. *Quænam* sint munia et limites Status ?

Ex falsa notione *finis* Societatis (n. 115), orti sunt errores de muniis et limitibus Status. Alii hæc munia plus æquo restringunt ; alii e contra exaggerant.

Priores Statui tribuunt tantum quæ ad pacem externam aut internam necessaria sunt. Hæc est theoria dicta : « L'Etat gendarme », « l'Etat n'a ni dogme ni idéal, à aucun degré. » Ita Spencer, Kant et scholæ liberalis fautores, juxta quos, si Status aliquid præter justitiam protegendam curet, sua potestate abuti et in libertatem attentare dicitur.

Posteriores e contra Statum extollunt quasi « omnipotentem » juraque individuorum et familiarum bono Status plane subordinant, quasi homines essent propter Statum, non autem Status propter homines. Ita socialistæ juxta quos communitas individuorum bona et activitatem absorbere debet : « l'Etat marchand, industriel, agriculteur, instituteur, l'Etat Providence universelle ». Contra quos sit

THESIS I

Status ea omnia et sola habet munia, quæ ad finem societatis attingendum sunt necessaria.

I. Habet *omnia.* — Nam qui vult finem, vult omnia media necessaria. Atqui lex naturalis vult societatem a potestate ad finem suum dirigi. Ergo. — Unde Status jus habet obligandi in conscientia, etc., sed et morte puniendi, *quia* aliquoties illud est necessarium [3] (n. 128) : en jus *legale* seu ferendi leges in ordine ad bonum commune societatis attingendum.

II. Habet *sola.* — Nam societas civilis natura sua et suo fine limitatur. Ergo si quid ultra aggreditur, exit a suis finibus, imo bono publico nocet, nam bonum publicum exigit ut quælibet potestas suis propriis finibus limitetur. — Unde infertur

1. **Syllabus**, prop. 60, ap. **Denzinger**, n. 1760. — 2. **Vermeersch**, *Manuel social*, 1904 ; — **Mgr Sauvé**. *Questions religieuses et sociales.* — 3. Cf. *La justice criminelle et la peine de mort*, in *Revue thomiste*, 1894, p. 309 et 61.

actus quibus Status vel finem Ecclesiæ usurparet, vel contra jus naturale aut divinum decerneret, vel contra jura civium aut familiarum, illegitimos esse ac plane tyrannicos (n. 30).

Cum autem finis societatis non sit totus in juribus civium protegendis (n. 115), sed etiam in promovendis bonis *physicis*, *intellectualibus* et *moralibus*, ad quæ obtinenda non sufficit activitas privata, de muniis Status circa hæc singula pauca dicemus, ut vitentur excessus sive liberalismi qui minime, sive *etatismi* qui promiscue in rebus privatis se ingerit.

126. Quæ sint munia Status ad *prosperitatem materialem* ?

1° — Debet Status graviores libertatis abusus *reprimere* :

a) Non solum prohibere *usuram*, ludos moderari aleatorios (jeux de bourse) quibus pretium rerum adulteratur, sed et determinare mensuram fœnoris liciti, forumque ærarii publici justis regulis metiri debet.

b) Jus habet, pro opportunitate temporum, ad fraudes et famem pauperum impediendas, determinandi *pretium* maximum rerum vitæ necessariarum. Ita S. Thomas [1] et plerique.

c) Item, quoad contractum *locationis* operariorum, potest justa præscribere circa laborem feminarum et puerorum in fodinis et fabricis, circa nimiam diuturnitatem laboris et requiem in Die Dominica ; imo circa infimam mensuram salarii, quamvis, juxta Leonem XIII, opportunius sit illud minimum a corporationibus artium determinari [2] (n. 111, 3°).

2° — Debet positive prosperitatem publicam *promovere* :

a) Libera æmulatione, privâtorum societatumque activitatem et industriam suscitare debet ; eisque favere præmiis, expositionibus publicis, etc... prudenter tamen determinatis. — Non autem debet Status extruere fabricas, exercere mercaturam, colere agros et alia ejusmodi, quæ a privatis facilius et melius aguntur. Nam finis Status non est tollere activitatem civium, sed stimulare et augere.

b) Hæc tantum bona quæ nec individui nec societates privatæ procurare possunt, ipse Status directe procurare potest ; v. g. : sternere vias publicas, fodere portus et alveos navigabiles, exercitus conscribere, tempore calamitatis publicæ alimenta aut subsidia necessaria colligere, etc.

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 77, a. 2, ad 2. — 2. **E. Blanc**, *Y a-t-il une Economie pol. chrét.* ? p. 54-58.

127. Quæ sint munia Status circa *educationem et scholas*[1] ?

1º Certum est parentibus solis (n. 105) — et Ecclesiæ pro baptizatis — naturaliter competere officium, ac proinde jus, non tantum *educandi*, sed et *instruendi* liberos suos, nam instructio est pars non minima educationis, simul ac præcipuum ejus medium. Ergo, saltem *per se* et *directe*, munus illud ad auctoritatem publicam non pertinet : quo in sensu usurpatio dici debet lex introducta de instructione obligatoria, etiam præscendendo ab impietate laïcismi seu atheismi (5º).

2º Quando familia per se solam impar est ad hoc munus sufficienter adimplendum, potest aut debet sibi adjungere magistrum quem elegerit. Cum autem unus magister pluribus familiis sufficere possit, ita auctoritate familiarum constituetur *schola primaria*, quasi extensio familiæ. Unde familiis, non Statui, nec municipiis civilibus, incumbit obligatio et jus *eligendi* et *erigendi* scholas primarias[2]. — Jus tamen illas *erigendi* cuilibet civi aut religioso, modo capacitate et probitate digni sint, competere non negamus, imo nec Statui, dummodo libertati familiarum et juribus Ecclesiæ minime noceat, et scholas omnes, non tantum suas, ex ærario publico gratificet.

3º Scholæ *superiores*, gymnasia, universitates reguntur iisdem principiis : siquidem associationes civium hoc adimplere valent, haud raro magis proficiunt ac ipse Status, libertati non nocent, et vi æmulationis, favent progressui scientiarum, ut historia et experientia comprobatur. — Hæc tamen instituta, quia magnos sumptus requirunt, sæpe sæpius supra vires ac facultates sunt familiarum aut etiam municipiorum. Unde munus erit auctoritatis supremæ eis succurrere ex ærario publico, aut etiam ad bonum commune necessaria erigere modo libertas familiarum et alumnorum sive erigendi, sive eligendi quascumque scholas voluerint, accurate servetur.

4º *Monopolium* ergo Status jura familiarum lædit, lædit etiam jura singulorum civium, nam quisque jus habet scientiam docendi, modo nihil agat contra securitatem Reipublicæ. — Pariter damnandum est monopolium Status circa studio-

1. **Freppel**, *Discours sur la notion fausse de l'Etat enseignant* : — *Syllab.*, prop. 45-58 ; — **Le Play**, *Réforme soc.*, 405-406 ; — **Mgr Sauvé**, *Questions religieuses et sociales*, ch. VIII ; — **Sertillanges**, *La Famille et l'Etat dans l'Education*, an. 1907. — 2. **Aristoteles**, *Pol.*, L. 1, c.

rum examina et diplomata. Nam scholas privatas redigit in indignam dependentiam a scholis publicis, et sæpe ab aliqua factione politica. Aliunde liberam æmulationem progressumque scientiarum impedit in universitatibus privatis, quæ, alienis programmatibus ligatæ, non tam æmulæ quam famulæ et pedissequæ Universitatis publicæ videntur.

5º Utrum autem possit Status *obligare* parentes, sui officii nimis immemores, ut infantibus suis saltem legendi, scribendi et computandi artem procurent, controvertitur. Affirmant plerique quia Statûs est cohibere excessus paternæ potestatis, modo parentes eligere possent media quæ placuerint, nec obligentur pueri scholas publicas, præsertim laicas et Deum non colentes, certis diebus et horis frequentare.

128. Quænam sint munia Status circa *moralitatem* ?

De moralitate in foro interno non judicat Status, bene vero de moralitate publica, nam inhonestas morum prosperitati pacique publicæ maxime nocet. Moralitas autem, experientia teste, in Decalogo fundatur, ut notavit Le Play : « Le Décalogue est la base de la science économique[1]. » — Hinc

a) Status favere debet Religioni quæ est optima, imo unica morum educatrix, præsertim in scholis.

b) Debet prohibere quæcumque diruunt ideam Dei et alia fundamenta societatis, v. g., jura proprietatis, familiæ et vitæ humanæ dignitatem, quibus societatis ordo innititur.

c) Debet etiam prohibere quin vitia passim publice grassentur et virtuti laqueos injiciant, præsertim in plateis et theatris. Attamen velle omnia mala prohibere et extirpare impossibile esset, propter malitiam hominum. Unde sæpe libertas, etiam lugenda, ut minus malum habenda est (n. 30).

d) Quoties autem Status crimina iniquorum punit, non tantum jure sese defendendi sed etiam jure *vindictæ* utitur[2]. Errant ergo qui scribunt : « La justice pénale (même la *peine de mort*) n'est pas une rétribution, un châtiment, une sanction ; elle est simplement une mesure de défense et d'hygiène... Les hommes ont le droit de se défendre, de se préserver, ils n'ont pas à proprement parler le droit de punir[3]. » E contra, et paterfamilias, et mater, et magister, jus habent puniendi,

1. Cf. **Janet**, *Rapport au Congrès bibliog.*, 1878, p. 110. — 2. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 64, a. 2, ad 3. — 3. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 511-512.

a jure divino derivatum. Aliunde si pœna mortis non esset pœna, sed modus defensionis, etiam dementibus et furiosis applicanda esset, vel esset pro omnibus etiam homicidis abolenda, nam incarceratio sufficit ad defensionem publicam.

129. Quænam sint munia Status circa *tributa* ?

Jus habet Status imponendi tributa quibus provideat sumptibus ad finem suum necessariis : tunc autem justitiæ distributivæ servet leges.

A. — Illa tributa levia, aut saltem non nimis onerosa, esse debent : alioquin non faverent, sed nocerent prosperitati publicæ. « Plus l'Etat mange, moins le peuple mange. » — « On avait cru que ce résultat serait plus facilement obtenu par l'institution des gouvernements représentatifs. L'expérience a prouvé le contraire... (en France, plus de 20 milliards). Et ce qu'il y a de pire, c'est qu'il n'y a plus personne à qui s'en prendre, le gouvernement représentatif étant impersonnel [1]. »

B. — Tributa non debent imponi indigentibus, seu pro rebus vitæ omnino necessariis. « L'impôt, ait Sigismondi, étant le prïx que le citoyen paie pour les jouissances sociales, on ne saurait le demander à celui qui ne jouit de rien... Frapper le pauvre, c'est décimer la nation. »

C. — Debent æqualiter distribui inter cives, juxta facultates, i. e. reditus cujusque. Unde tributa *indirecta* quæ rebus imponuntur, v. g., vino et alimentis, abstrahendo a cujusque facultatibus, non sunt per se secundum æqualitatem debitam. Imo, graviora sunt pauperibus quam divitibus, et recte dicuntur *progressifs à rebours*. Nec tributa *directa* æqualiter distribuuntur : « la propriété rurale paie 25 0/0 de son revenu, la propriété bâtie 17 0/0, les valeurs 13 0/0 [2] ». Tributum *in reditus* cujusque magis æquum videretur, sed in praxi difficultatibus et periculis non vacat. Attamen jam in Anglia (income-tax), in Germania (impôt des classes), in Helvetia et in Italia, res bene agitur : in Gallia etiam ab anno 1917 introductum viget.

D. — De tributo unico aut multiplici, proportionato mathematice aut moraliter (impôt proportionnel, impôt modérément progressif) [3], controvertitur inter œconomistas etiam scholæ liberalis.

130. Quid de tributis ad opera *beneficentiæ* publicæ ?

En principium : quod justitia commutativa non procurat, charitas efficiat : utriusque autem defectu, Status intervenit non vi justitiæ, ut aiunt, *socialis* erga *individua*, quasi daretur media inter justitiam commutativam et charitatem, sed vi justitiæ *legalis*, quæ bonum *commune* societatis tueri debet [4], ferendo leges opportunas (n. 125). Hinc

1. **Liberatore**, *Princip. d'écon. pol.*, 338. — 2. Cf. **Janet**, *Le socialisme d'Etat*, p. 458. — 3. **Liberatore**, *Princip.*, p. 340. — 4. Cf. **Michel**, *La justice sociale*, in *Questions ecclésiast.*, juin et sept. 1912 ; — Cf. **Louis Durand**, *Rapport au Congrès de Sarlat.*

A. — Officium beneficentiæ incumbit primo et directe divitibus, sive singulatim, sive per associationes sub influxu charitatis christianæ multiplicatas. Aliunde hæc charitas multo præstat beneficentiæ administrativæ, quæ multiplici vitio laborat : « Elle est trop coûteuse, formaliste, humiliante, ne sait pas donner le secours moral, qui double le prix du secours matériel. » E contra, prior est gratuita, prompta, roborat animum cum corpore, quia fit in nomine Domini. Ergo Status liberam charitatem nec auferre, nec minuere, præsertim tributis odiosis, sed studiose tueri debet : secus enim civitas sola et rigida socialismi justitia regeretur.

B. — Quando charitas privata impar est ad miserias omnes sublevandas, *tunc et per accidens*, Status ei supplere potest et debet ope *tributi ex divitibus*. « Ils ont beau se récrier, ait Liberatore, la société ne peut nullement tolérer que pendant qu'une partie de la population nage dans l'opulence, l'autre périsse dans la détresse... Certes il est déplorable qu'il faille convertir en contrainte légale ce qui devrait être un effet de la libéralité spontanée, mais comment faire ? [1] »

C. — De facto, et pro miseria temporum, necessitas subveniendi miseriis hominum *qui laborare nequeunt*, v. g. : infirmorum, cœcorum, infantium derelictorum..., inscribitur in lege Anglorum, Belgarum, Italorum, Germanorum, etc. ; in Gallia autem hæc assistentia diu « facultativa », nunc, ob eamdem necessitatem, imponitur municipiis.

D. — De assistentia *operariorum validorum*, deficiente labore (ouvriers sans travail), major est difficultas. Incommoda, imo et impossibilitas practica principii a socialistis falso dicti, « droit au travail », patent ex variis experimentis, præsertim anni 1848 (ateliers nationaux). Attamen hæc assistentia utiliter præbetur in hospitiis (maison de travail) apud Anglos, Germanos et Helvetios.

E. — Quidquid sit in re tam difficili certum est eleemosynam sive liberæ charitatis, sive tributi legalis, non esse remedium nisi transitorium et plane insufficiens ad curandam miseriæ plagam (le paupérisme). Status mediis præviis præsertim favere debet, quæ sic contrahi possunt : « suffisance des salaires, économie, moralité, ressort individuel, associations, mutualité. »

131. Corollarium de « *neutralitate* » moderni Status.

Hinc patet Statum non posse societatem ad finem suum dirigere sine principiis certis, seu, ut aiunt, « sans un idéal de justice et de moralité ». — « Tout code repose au contraire sur une conception idéale, sur une philosophie [2] » ; et ipse Cl. Janet : « Quoi qu'on fasse, il y aura toujours autant de systèmes d'économie politique, qu'il y aura de conceptions différentes de la moralité [3]. »

1. **Liberatore**, *ibid.*, p. 228. — 2. **Cheysson**, *Réforme sociale*, p. 859. — 3. *Rapport au Congrès bibliog.*, 1878, p. 160.

Unde non audiendi sunt qui concedunt hodie Statum nullum habere dogma, nullum ideale, sed esse neutrum seu laicalem : « La conception antique de l'Etat diffère *radicalement* de la conception moderne... L'idéal de l'Etat ancien est le conformisme absolu de tous les esprits et de toutes les volontés... l'Etat moderne n'a pas de dogme religieux, métaphysique ou moral, il n'a plus par conséquent de fonction religieuse, métaphysique ou morale ; sa seule fonction devient une fonction matérielle : le développement de la prospérité matérielle de la nation [1]. »

Hoc solum verum est, scilicet, in Statu hodierno, propter divisiones opinionum et malitiam hominum, illud ideale *de facto* valde depressum et minutum fuisse, non autem omnino ablatum sed nec *jure* unquam auferri *posse*. Nam præcepta legis æternæ et ideo *religionis naturalis* constituunt minimum, a quo recedere non licet fundamentum sanæ societatis : nocivus enim Status, in quo, vi legum, educatio non esset religiosa (n. 141 et 142). Ut fatetur idem auctor : « Peu à peu les diversités de croyances philosophiques imposent à l'ingérence de l'Etat des limites plus étroites..., mais il y a un minimum de dogmatisme moral que l'Etat doit faire respecter et qu'il ne peut laisser attaquer sous peine de laisser périr la nation [2]. » Non ergo, sub prætextu evolutionis historicæ, hypothesis unquam de medio tollat thesim.

ARTICULUS V.

De Officiis Subditorum.

Universale subditorum *officium* est obedientia legibus : hæ enim obligant in conscientia [3], sed difficultas movetur sive quoad *gubernium* « *facti* », sive quoad *tyrannum*.

132. Utrum sit obligatio obediendi gubernio « *facti* [4] » ?

Hoc nomine venit regimen, quod vi fraudis aut violentiæ priori et legitimæ auctoritati substituitur. Jamvero

I. *Certum* est factum usurpationis non esse, nec unquam decursu temporum per se fieri posse titulum juris : secus humana facta etiam iniqua, vim juris haberent, juxta theoriam « factorum consummatorum ». Optime Balmès : « Le jour où un pareil principe serait reconnu, ce jour même les idées de raison et de justice disparaîtraient de ce monde [5]. »

II. Fit tamen occasio ob quam subditi, vi *alterius tituli*, gubernio jam constituto obedientiam præstare debent. Revera,

1. **Fonsegrive**, *Eléments*, II, p. 505-7.— 2. **Fonsegrive**, *ibid.* — 3. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 96, a. 4 ; — *Ad Rom.*, c. XIII. — 4. Cf. *Encycl. aux Français* : « Au milieu des sollicitudes », 16 fév. 1892 ; — *Lettre de Léon XIII aux cardinaux français*, 3 mai 1892 ; — **Dehon**, *Les Directions pontificales*. — 5. **Balmès**, *Le Protestantisme*, p. 150 c. 55-56 ; — **Syllabus**, *prop.* 59-61.

præter Ecclesiam Christi, nulla forma regiminis est perpetua. Porro in mutationibus gubernii, triplex distingui potest phasis : una *perturbationis*, alia *conservationis*, tertia *transformationis* socialis. Porro in *prima*, civibus licitum, imo obligatorium est, usurpatorem impugnare, usquedum resistentia videatur inutilis et noxia. — In *secunda* autem, necessitas omnibus incumbit gubernio præstandi obedientiam, non quidem titulo originis ejus, sed titulo boni communis, quod est *criterium* supremum et suprema lex : nam sine gubernio tranquillitas publica stare nequit. — In *tertia* demum, transformatio regiminis perficitur, statim ac gubernium fini societatis respondet, civibusque procurat commune bonum : tunc enim adhæsio pacifica communitatis ad novum regimen nova est, sed, sicut prior, legitima investitura (n. 118, 119, c.).

Hinc vides cur, ad majora mala vitanda, jus naturale omnibus Gallis et ideo Leo XIII [1], postea Pius X, catholicis præceperit, non quidem indifferentismum politicum, sed saltem obedientiam Reipublicæ constitutæ, etiamsi legislationem illius impugnare debeant, vel monarchiam in se et etiam pro Gallia meliorem judicent.

133. Quid subditis liceat contra *tyrannum* [2] ?

Tyrannus dicitur qui, subditos injuste vexando, « sua commoda ex regimine quærit, non bonum multitudinis sibi subjectæ [3] ». Porro tyrannis *tolerabilis* est, si aliquod tantum leve detrimentum bono publico affert ; si vero nimis grave, reputatur *intolerabilis*. — His positis, sint cum S. Thoma conclusiones practicæ sequentes :

I. « Si non fuerit excessus tyrannidis, utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus » : hoc quidem, ut vitentur mala belli civilis ipsa tyrannide graviora.

II. Quid vero, si sit *intolerabilis* excessus tyrannidis ?

1° Certum est passivam *inobedientiam* legibus tyrannicis licitam esse, quoties fit sine scandalo vel turbatione ordinis publici, imo quandoque obligatoriam, si contrariæ sunt legibus divinis, v. g., si inducerent ad idololatriam aut atheismum [4].

1. Réponse de l'*Observatore Romano* à Em. Ollivier. — 2. Cf. S. Thomas, *De Regim. Princ.*, L. I, c. VI ; — *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 42, a. 2, ad 3 ; — q. 69, a. 4 ; — Suarez, *de Charitate*, XIII, 2. 8 ; — *Defensio fidei*, L. VI, c. IV, n. 15-17. — 3. S. Thomas, *De Reg. Princ.*, c. 1. — 4. *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 96, a. 4.

2º An ulterius liceat transire ad *resistentiam activam*, aggressionem, imo et ad occisionem ?

Certum est nulli licere *privata auctoritate* aggredi tyrannum, nec a fortiori eum interimere : nam privati judicium auctoritativum in regem suum exercere non possunt.

3º Quid tandem de resistentia *per ipsammet gentem* ?

a) Si res *speculative* consideretur, nulla est difficultas. Nam contra injustum aggressorem sese defendere fas est, vim vi repellendo [1], etiamsi mors indirecte sequatur (n. 87).

b) Si res autem *practice* tractetur, caute procedendum : nam videndum est utrum majora mala ex revocatione quam ex tolerantia tyranni secutura sint. Porro si ejectio tyranni sit minus malum, ejici potest ; sic Romani Tarquinium Superbum de regno ejecerunt. Ita S. Thomas [2], Suarez. — Juxta alios, bellum civile contra tyrannum *practice* plus nocet quam favet bono communi, et ideo civibus unum restat, nempe « recurrendum ad regem omnium Deum, qui est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione ». Ita Leo XIII, in Encycl. *Quod Apostolici muneris.*

Hinc, a fortiori, agressionem tyranni prævenire, ei mortem directe inferendo, nunquam licet ; — tum quia ex abusu non amittitur jus regnandi ; — tum quia subditi judicium auctoritativum in superiorem exercere non possunt.

CAPUT TERTIUM.

DE SOCIETATE INTERNATIONALI.

Gentes, sicut ipsamet individua, vel ab invicem independentes, vel unitæ spectari possunt. Unde duplex articulus : Iº *De Jure gentium* ; — IIº *De Unione gentium.*

ARTICULUS I.

De Jure gentium [3].

134. *Utrum sit* inter gentes jus gentium ?

Jus gentium seu internationale definitur : *Complexio jurium*

1. Zigliara, *Eth.* (55), n. XVII. — 2. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 42, a. 2, ad 3. — 3. Cf. Vattel, *Le droit des gens*, 1, ch. 1 ; — *Sum. Theol.*, 1a 2æ, q. 95, a. 4 et ad 1 ; — Mérignhac, *Traité de Droit public international*, 1905 ; — *Le droit international au XXe s.*, in *Science sociale*, janv. 1907, per totum.

et officiorum, sive naturalium, sive positivorum, quibus ligantur gentes in suis ad invicem relationibus. Unde

THESIS

Existit jus gentium partim positivum, partimque naturale.

Constat Ium. Jus enim *positivum* internationale ex liberis conventionibus aut pactis oritur. Porro omnes agnoscunt nationes, haud secus ac individua, inter se valide ligari his conventionibus et pactis. Ergo existit jus internationale positivum.

Constat IIum (contra Grotium [1]), nam si nullum daretur jus *naturale*, neque esset positivum. Supposito enim quod non existat lex illa naturalis : « pacta sunt servanda, suum cuique tribuendum », ruunt simul pacta internationalia sicuti vana papyra (chiffons de papier), nec remanet nisi *jus fortioris*, ita ut validiores populi quælibet juste audere possint.

Constant Ium et IIum, nam gentes sunt personæ morales ; porro repugnat personas morales a legibus naturalis moralitatis eximi : non enim, variante subjecto, tollitur lex naturalis [2]. Sed ubi viget jus naturale, viget et positivum.

Hæc officia et jura correspondentia plura sunt, et, sicut in homine privato, vel *charitatis*, vel *justitiæ*. De singulis pauca.

135. Utrum et quænam sint officia *charitatis* inter gentes ?

A. — *Existunt.* — Sicut enim propter similitudinem naturæ homines proximum diligere debent, ita a fortiori ipsæ gentes ad invicem, quæ nobiliorem et ampliorem personam agunt. — Hinc valet etiam pro gentibus principium : « quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris » ; — vel « quod tibi fieri desideras, alteri facias ».

B. — *Tot* vero *sunt* officia charitatis, quot bona societati desiderare oportet. Porro hæc bona respiciunt ordinem vel physicum, vel intellectualem et moralem, vel politicum. — Quapropter internationalis charitas tria præstare jubet :

1. *Auxilia rei frumentariæ*, si quæ desint in gente finitima, eique sine gravi detrimento vendere liceat.

2. *Consilia prudentiæ*, commercium amicitiæ per legatos initum, aliaque similia, quibus boni mores et mutuæ communicationes foveantur.

1. *De jure belli et pacis*, Prolog. — 2. **Ferretti**, tom. III, n. 217.

3. *Interventum opportunum*, quando gens ab alia gente injuste invaditur, aut bello intestino laceratur, præsertim si talis interventus a populo oppresso petitur. — Hinc recte damnatum fuisse intelliges liberalismi moderni principium, quod vocant *de non-interventu*[1].

136. Utrum et quænam sint officia *justitiæ* inter gentes ?

A. — *Existunt*. — Nam homo, quicumque sit, sive præpotens, sive pusillus, humana dignitate fruitur, et, qua talis, jura habet innata : ergo a pari quælibet natio, propria personalitate fruens, etiam viribus minima, eadem sibi jura vindicat quoad *existentiam*, *conservationem*, *perfectionem*, *proprietatem*, *honorem* et *fidem datam servandam*.

B. — Hinc 1. — Jus habet ad *independentiam* : ideoque ingens homicidium patratur ab imperatore, qui, sola dilatandi imperii causa, innocuam gentem, etiam Nigritarum Africæ, ditioni suæ bello subjicit.

2. Jus habet ad *conservationem* socialem : ideoque rebelliones fovere ruinamve machinari, scriptis aut etiam sicariis emissis in sinum gentis alienæ, non licet.

3. Jus habet ad legitimam *expansionem* : proinde relationes cum aliis gentibus, aliudve propriæ activitatis exercitium naturale, impedire nefas est.

4. Jus habet ad *proprietatem* : non ergo sine injustitia spoliatur suo territorio, suis divitiis, suis navibus in alto navigantibus, nec invadi potest sub prætextu belli contra aliam gentem.

5. Jus habet ad *honorem* : ideo legati unius gentis apud aliam jure libertatis et inviolabilitatis gaudeant oportet, etiam tempore belli[2].

6. Denique jus habet ad *fidem datam servandam* : unde contractus *internationales* seu fœdera, quæ fiunt nomine societatis, modo sint justa, sancte servari debent et nonnisi mutuo consensu dissolvi possunt : item a fortiori, Concordata.

137. Quid speciatim de *commercio* inter gentes[3] ?

A. — *Naturale* omnino et utilissimum commercium inter gentes : ex quo plurimi fructus hauriuntur, sive quoad prosperitatem materialem, sive quoad morum lenitatem, sive quoad amplificationem artium et scientiarum. — Hinc est cur sit quasi fasti-

1. *Syllab.*, *prop.* 52, — Cf. Alloc. *Novos et ante*, 28 sept. 1860. — 2. **Liberatore**, *ibid.*, n. 15-17. — 3. **Liberatore**, *ibid.*, n. 8-10.

gium culturæ nationalis, quæ ex venatu aut pastione ad agriculturam, postea ad artes mechanicas, denique ad commercium paulatim transiit.

B. — Nulli tamen genti *imponi* potest commercium. — Revera circa contractus commerciales, duplex occurrit systema : systema *liberæ commutationis* (libre-échange), et *systema protectionis. Prius* est recens, et in eo consistit quod merces de una gente in aliam traducantur, nullo importantibus imposito tributo. *Posterius* est perantiquum, et protegendi causa agriculturam aut industriam nationalem, portorium (gallice, droit de port) a gente extranea, modo minus, modo majus, pro temporum necessitate, exigit.

Si priori fides, ope libertatis commercii, minori pretio cunctæ merces habentur, vehementius stimulatur cujusque gentis industria, plurimum foventur mutuæ gentium relationes, et citius proceditur ad unitatem politicam Universi. — Haud spernenda sane hæc commoda, sed sub regimine protectionis moderatæ non excluduntur, dum plura vitantur incommoda, v. g., ruina agriculturæ aut industriæ nationalis. — Nobis igitur hac in re, ut in pluribus, vitandus videtur uterque excessus, liberalismi sc. et ostracismi, ita ut et commercium prosperet libertatis aurâ, et cives nostri ab extraneis potentioribus non opprimantur.

ARTICULUS II.

De Unione gentium.

Hanc unionem *natura* fovet, sed *bellum* dissolvit, nisi per varia *media* et ipsum de medio tollatur. Unde triplex quæstio.

138. Utrum societas internationalis sit *possibilis*[1] ?

Hic non agitur de societate civili stricto sensu inter varias gentes ineunda : nam quomodo, v. g., possent eædem leges omnibus mundi populis, tam inter se diversis et dissitis, applicari ? Quæstio est tantum de quadam unione fœderativa, cujus supremæ auctoritatis munus esset controversias intergentes dirimere, et codicem jurium internationalium condere. Unde

THESIS

Aliqua gentium fœderativa unitas, naturalis et optanda videtur.

I. *Naturalis est.* — Id naturale dici debet sine quo nec in-

1. **Liberatore**, *Jus internationale*, Introd. et n. 25-31 ; — **Vattel**, *Le droit des gens*, t. II, L. III, chap. III, § 47 ; — **Taparelli**, *Saggio teoretico*, Diss. VI, c. 3, a. 1.

clinatio, nec indigentia naturæ perfecte satiantur. Porro — 1. non satiabitur instinctus socialitatis, donec, sicut familiæ in societatem civilem, ita gentes in societatem internationalem adunentur. — 2. Nec satisfieri poterit indigentiis gentium, quæ, minori tamen gradu quam familiæ societate civili, revera tamen indigent societate internationali. Hæc ergo naturalis est.

II. *Optanda est*, propter multiplex emolumentum. Hac enim constituta, bellum inter gentes rarius et brevius evaderet, minuerentur onera militaria, et statui possent perutilia, v. g., de traditione sceleratorum, de commercii normis, de vitandis morbis contagiosis, imo et de regimine universali operariorum.

Dicunt : Chimæra est unitas omnium gentium Universi. Ergo.
Resp. Chimæra est unicus Status politicus in Universo, *conc.*, — chimæra est aliqua Statuum, saltem politiorum, *confederatio*, *subd.* : chimæra fuit ab initio, *conc.*, nunc etiam cum progressu civilitatis humanæ, et commercio inter gentes in dies crescente, ope viarum ferrearum, telegraphiæ... *nego*, saltem si fiat sub influxu charitatis Christi[1].

Inst. Sic destrueretur *patriæ* amor, et exurgeret internationalismus.

Resp. Non destrueretur, sicuti non destruitur amor familiæ per societatem civilem familiarum. « Le véritable patriotisme n'entraîne pas la haine de l'étranger. C'est le chauvinisme. Un fils peut estimer les autres mères, bien qu'il aime ardemment la sienne[2]. »

139. Quænam sit brevis theoria *belli*[3] ?

A. — Bellum proprie dicitur : *status nationum vi certantium, gratia juris tuendi.* — Est *status*, unde differt ab actu prælii ; — *nationum*, et ita distinguitur a privato certamine ; — *vi certantium*, eo quod in bello *offensivo* vis infertur, et in bello *defensivo* vis vi repellitur ; — *gratia juris tuendi* ; secus enim esset violentia meraque *prædatio*.

B. — Status belli non est naturalis hominum conditio, ut falso contendit Hobbes. Bellum tamen, *debitis conditionibus habitis*, licitum est, imo, juxta Kantium[4], in statu præsenti necessarium ; coactio enim est unum juris attributum (n. 63). Unde, si natio quædam jus suum servare vel obtinere nequit nisi per vim, certando se. cum aliis nationibus, bellum eis indicere aut bellum illatum expellere potest.

1. Cf. **Benedictus XV**, an. 1917. — 2. **Fonsegrive**. *Eléments*, t. II, p. 492. — 3. Cf. **Gaudeau**. *Théologie de la paix et de la guerre*, in *Foi Catholique*, 25 fév. 1913. — 4. **Kant**, *Conjectures sur les commencements de l'histoire du genre humain.*

C. — Dixi, debitis *conditionibus* habitis [1]. — *Imprimis* bellum justa de causa suscipi debet, nempe propter bonum communitati debitum, quod aliter procurari non posset ; unde qui bellum ineunt ad imperium dilatandum vel ad utilitatem quamdam peculiarem, aut, juxta Machiavelis theoriam, ad augendam tuendamve auctoritatem propriam, ut prædones habendi sunt. — *Similiter* necesse est bellum suscipi jussu auctoritatis supremæ : pertinet ad eum qui societatis curam habet. — *Præterea*, requiritur intentio recta, quæ malum fugiendum bonumve obtinendum unice vult, nam propter pravam intentionem bellum, aliunde legitimum, redditur illicitum.

D. — Denique in *exercitio* belli, quædam observari debent, sive ante bellum, ut, v. g., publica hostilitatum denuntiatio ; sive in bello, ut refrænatio licentiæ militaris, nulla violatio ustitiæ internationalis ; sive post bellum, ut moderatio erga victos : quæ jure gentium determinantur.

140. Quænam sint *media* unionis gentium ?

Tria præsertim proponuntur adversus belli frequentiam, videlicet *principium nationalitatum*, *æquilibrium ex mutuo consensu*, *et tribunal internationale*

1. Juxta *quosdam*, gentes in unum corpus politicum coalescere debent, quæ lingua, geographia, origine, moribus et religione conveniunt.

Sed nemo non videt hanc theoriam impossibilem vel injustam et maxime periculosam esse : — *impossibilem*, nam hæc elementa consociata raro inveniri possunt ; quæ enim religione uniuntur, lingua, origine vel distantia disjunguntur ; — *injustam*, nam violaretur independentia plurium gentium, dum potentiores populi parvulas gentes sub prætextu, v. g., limitis naturalis, ad se traherent ; — ideo *periculosissimam*, quia si coalescerent populi unius ejusdemque labiæ, v. g. germanæ, jam nasceretur natio præpotens et vicinis suis omnibus periculosa. Hinc principium nationalitatum nimis urgeri nequit, nam ex mutuo consensu et factis contingentibus pendet nationum formatio.

2. Hinc *alii* volunt ut, statuta semel territorii partitione inter varias gentes, cunctæ se obligent ne in posterum ulla fiat immutatio, nisi ex consensu communi... Perbelle quidem ! quid autem, si orta dissensione subito rumpatur æquilibrium et scindatur ethnarchia in duas partes ? Et sane æquilibrium europæum suos habuit fructus, sed quotidie timendi locus est

1. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 40, a. 1.

ne in vastissimum bellum corrumpatur : jamque corruptum est !

3. Tunc *alii* proponunt supremum quoddam *tribunal* internationale, cujus Præses quasi natus esset S. Pontifex. Nemo enim tanta integritate, tantaque auctoritate morali gaudet (n. 145) ; unde illius decisiones, non violentia quidem impositæ, nam esset circulus vitiosus, sed pondere rationum et persuasione morali, magnam vim, ut plurimum, haberent. Ita etiam Protestantes ut Leibnitzius et recentius Urquhart [1]. Adde quod non tantum ævo medio, sed nostris diebus, feliciter regnante Leone XIII, arbitratus ille, variis in adjunctis, optimos fructus attulit, — meliores adhuc quam ipsum *Concilium Pacis* in urbe « La Haye » sine S. Pontifice constitutum et, quo non obstante, accensa est quam acerbissima bellorum conflagratio : utinam « Societas nationum » recentius instituta, rursumque laïcalis, vegetior sit !

« Si la solidarité des intérêts économiques force, un jour ou l'autre, les gouvernements à entrer dans cette voie, elle ne suffira pas à refaire une union si désirable entre les nations... Cette union ne peut se faire que sur la base du retour au Christianisme comme règle des rapports internationaux. Nous avons dans le passé un idéal qui a été réalisé dans une certaine mesure, c'est celui de la *Chrétienté*... il indique les conditions morales dans lesquelles ce grand progrès souhaité ardemment par les peuples pourra se réaliser [2]. »

CAPUT QUARTUM.

DE SOCIETATE RELIGIOSA.

Societatis religiosæ theologus investigat structuram ; philosophus autem sive *necessitatem in societate civili*, sive *cum ea relationes*. Quod breviter in duplici articulo.

ARTICULUS I.

De Sociali Necessitate religionis.

Quæri potest *an* societas humana debeat *esse religiosa*, an etiam *unicæ religionis*. Primum negat *atheismus legalis* ; secundum *liberalismus religiosus*. Unde

1. *Appel d'un protestant au Pape.* — 2. **Claudio Janet**, *Le Socialisme d'Etat*, p. 578 ; — Cf **Ch. Perrin**, *L'ordre international.*

141. Quænam sit in societate religionis *necessitas* ?

Quæstio præsertim instituitur quoad societatem *civilem*, sed respicit etiam societatem *domesticam et internationalem.* Unde

THESIS

Societas omnis gravi religionis officio tenetur.

Prob. — thesis ex parte tum *civium*, tum ipsius *societatis.*

1º Id jure naturali præcipitur, sine quo societas consistere nequit ; porro sine religione societatem subsistere impossibile est ; ergo religio jure naturali præcipitur.

Constat *minor.* — *Imprimis* enim sine religione evanescit sincerus *amor patriæ* ; civis enim atheus seipsum logice ut finem ultimum habet, privatumque suum bonum bono communi ubique præfert. — *Hinc* nulla *fraternitas* : qui enim egoismo coarctatur, alios homines nonnisi ut hostes boni sui considerat, prout clamoribus Bolchevistarum luculenter nostris diebus probatur. — *Sed* et nulla *sincera virtus* : in praxi enim virtutum nemo perseverat, nisi vinculo ligetur superiori et inviolabili, quod a Deo tantum esse potest. — *Præsertim* vero nulla *obedientia* legibus : hæ scilicet non per se, sed a Deo vim habent obligativam. Quapropter, Deo sublato, contemptus legum animos omnium invadat necesse est...

Jamvero sine amore patriæ, sine fraternitate, sine virtute, sine obedientia legibus, nulla societas subsistere potest [1]. — Consonat post Platonem Plutarchus : « Facilius urbem condi sine solo esse puto, quam, opinione de diis sublata, civitatem coire aut constare [2]. » Idem confitetur J.-J. Rousseau [3].

2º Nullum ens ordinationi rerum se subtrahere debet ; sed ordo rerum postulat ut persona, quæcumque sit, Deo præstet honorem et famulatum ; ergo et *ipsa societas* quæ est persona moralis, cujus institutor et rector est Deus, per quem reges regnant et principes imperant (n. 117). — *Hi proinde qua tales*, speciatim officio religionis urgentur, non tantum quia sunt pars principalis societatis, sed quia societas, nonnisi per eos qui ejus personam gerunt, actum vere socialem efficere potest. Sint ergo, ut debent esse, forma subditorum, nam

. . . . Componitur orbis
Regis ad exemplum : nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus [4].

1. S. Augustinus, *contra Faust.*, L. XIX, c. xi. — 2. *Adv. Coloten.* — 3. Farges, *La Religion de J.-J. Rousseau*, p. 50 et suiv. — 4. Claudianus, IV *Consulatus Honorii*, 295-298 ; — Cf. Eccli., X, 2.

Confirmatur necessitas cultus publici populorum consensione : viguit enim apud omnes gentes mos templa extruendi, et statutis diebus gratiarum actiones aut preces offerendi, ipsaque societas civilis ad hunc cultum publicum et solemnem, sumptibus suis, vel per legatos vel sacerdotum officio et mandatis principium concurrere voluit.

142. Utrum etiam *unitas* religionis societati sit necessaria ?

THESIS

Religio vera, tanquam unica religio Status jure haberetur.

Prob. — Etenim Status procurare tenetur bonum commune societatis ; — ergo et unitatem in vera religione.

Probatur *consequentia*. Nam — 1. *unitas* in vera religione est bonum societatis, tum quia subditi et gubernatores non ad quamlibet, sed ad veram religionem tenentur, tum quia mentes civium componit in re maxima, quæ ordinarie occasio est pessimarum divisionum. — 2. Admissa *libertate cultuum*, una vel multiplex portio gentis ad verum suum bonum non ordinatur ; altera vero, in prosecutione sui boni, a pestilenti exemplorum et doctrinarum contagione non est immunis, et paulatim in indifferentismum adducitur. Unde falsum est « optimam societatis publicæ rationem requirere ut humana societas instituatur, nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine[1] ».

Dicunt : Gubernator civilis veram religionem a falsis distinguere non potest : ergo eam ut unicam habere non debet.

Resp. — Non potest, imo non debet singula *dogmata* veræ religionis docere aut tueri, *conc.* ; — Non potest *existentiam* veræ religionis cognoscere, *nego*. Hæc enim, ut luculenter probatur in Theologia, notis decretoriis unicuique manifestatur ; ergo a fortiori gubernatori civium.

143. Corollarium de *atheismo* sociali et de *liberalismo*.

In rebus religionis, quasi triplex est liberalismi gradus[2].

A. — *Primus*, qui dicitur *absolutus*, cum *atheismo* sociali confunditur, nam rejicit omnem auctoritatem supra legem humanam : « ni Dieu ni maître ! » Unde societas atheismum profiteri debet, nec ullam curam de Deo aut de religione etiam naturali habere, sive in legibus conficiendis, sive in educandis pueris, etc. — Impium illud systema in anarchiam aut in despotismum statolatriæ verti, nemo non videt (n. 131)[3].

1. Encycl. *Quanta cura*, 1864, ap. Denzinger, n. 1688 ; — Leo XIII, *ibid.*, n. 1880 ; — *Syllabus*, prop. 77, ap. Denzinger, n. 1777. — 2. Leo XIII, Encycl. *Libertas* (20 juin 1888), *Immortale Dei* (1er nov. 1885), ap. Denzinger, n. 1931, 1866. — 3. Dupanloup, *L'Athéisme et le péril social.*

B. — *Secundus* liberalismi gradus supernaturalem tantum rejicit religionem, seu jura et auctoritatem Ecclesiæ negat. Societas ergo neque atheistica aut irreligiosa, neque christiana esse debet, sed *neutra* inter varios cultus, seu in morali civili et laica, ut aiunt, fundari. — Quasi societas non obligaretur ad colendum Deum, eo modo quo Deus vult honorari, scilicet christiano-catholico !

C. — *Tertius* denique et mitior liberalismi gradus admittit divinam auctoritatem Ecclesiæ, sed in vita privata tantum, non autem in vita sociali, — quasi homo jus haberet limitandi dominium Dei ad vitam privatam ! Hinc catholici liberales quatuor « magnas libertates » proclamant ut jura civium inconcussa : libertatem cultuum, conscientiæ, preli et associationum, tanquam a divino jure omnino immunes.

Merito igitur hæ sententiæ damnatæ fuerunt a Gregorio XVI [1], Pio IX [2], et Leone XIII [3]. Revera nullum datur jus publicum contra jus naturale aut divinum ; et aliunde magnus error est asserere, concessa omnibus effrenata libertate, malum et falsum semper a bono et vero vinci ; nam e contra, quotidiana experientia constat facilius esse spargere errorem et vitia, quam veritatem et virtutem promovere.

Attamen non est negandum illas lugendas libertates — « definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent [4] » — *tolerari posse*, non ut « progressum » sed tanquam « minus malum [5] » propter malitiam hominum. Sunt enim homines, in societatibus hodiernis, tam auctoritatis impatientes, tam libertatis etiam effrenatæ amatores, doctrinis et opinionibus tam divisi, ut tanta restrictio libertatis assuetæ nociva, imo impossibilis practice esset. Hæc est percelebris distinctio inter *thesim* et *hypothesim* sæpe a SS. Pontificibus definita : cave tamen ne *hypothesis* de facto, omissa thesi, sicut ipsa propugnetur !

ARTICULUS II

De Relatione Status ad Ecclesiam.

144. Quænam sit *relatio normalis* inter Statum et Ecclesiam ?

Hic supponimus, quod in Theologia probatur, Ecclesiam catholicam, ex divina voluntate Christi, esse societatem perfectam a Statu omnino distinctam et independentem, eoque præstantiorem. Porro Status et Ecclesia in quadruplici relatione tantum concipiuntur, vel *oppositionis*, vel *dominationis Status*, vel *separationis*, vel denique mutuæ *unionis* [6].

1. Encycl. *Mirari vos*, ap. **Denzinger**, n. 1613. — 2. *Syllabus*, pp. 77-80, ap. **Denzinger**, n. 1777-1780 ; — Encycl. *Quanta cura*, ap. **Denzinger**, n. 1688. — 3. *Ibid.*, n. 1880. — 4. Encycl. *Libertas*. — 5. *Sum. Theol.*, 2a 2æ, q. 10, a. 11. — 6. Cf. **Mgr de Ségur**, *La Révolution*; *la liberté* ; *les Catholiques libéraux* ; — **Brugère**, *de Ecclesia*, p. 235 et 366.

Atqui 1ª *non est licita*, — contra liberales *radicales*, qui Ecclesiam catholicam e mundo eradicare volunt. Ecclesia enim suam habet missionem a Deo in perpetuum concessam : ergo et jus existendi et sese propagandi per universum mundum.

Nec 2ª, — contra liberales *Cæsarismo* vel *Regalismo* addictos, qui Ecclesiam in Statu utilem reputant, sed Statui subjectam esse volunt. Quod profecto repugnat ordini rerum : Ecclesia enim, et natura, et objecto, et fine suo Statui superior est. Hinc Ecclesia Borussica, Anglicana... in conditione servilitatis est, quæ suam expansionem impedit.

Nec 3ª, — contra liberales *mitigatos*, qui neutralitatem Status prædicant, juxta illud : « Ecclesia sit libera in Statu libero. » Quod est falsum : nam duæ societates quæ in eodem territorio constituuntur, easdem personas dirigunt, et sæpe in eadem materia, licet sub diverso respectu, leges ferunt, separari non debent nec possunt [1] : — *a*) non *debent*, sicut nec debent anima et corpus separari, quæ conjunctim vivere nata sunt ; — *b*) nec possunt, præsertim in rebus *mixtis* ; unde hæc separatio, teste experientia, in indifferentismum et sæpius in oppositionem Status vertitur.

Ergo *restat* 4ª, — nempe ut Status Ecclesiæ vere uniatur, ita tamen ut Status sit independens in rebus mere civilibus, item Ecclesia in rebus mere religiosis ; in rebus autem mixtis sit mutua utriusque concordia, alioquin judicium supremum esset penes nobiliorem auctoritatem, i. e. penes Ecclesiam.

Hinc revera non simpliciter *coordinari* petunt Ecclesia et Status, sed in multis Status veræ Ecclesiæ, sicut in composito humano corpus animæ, *indirecte subordinatur* [2].

145. Corollarium de *unione* inter Statum et Ecclesiam.

Ex dictis colliges *naturalem* esse et valde *desiderabilem* Status et Ecclesiæ unionem.

A. — *Naturalis* est ; ordinatio enim non destruit, sed facit unionem inter res inæquales, quæ aliter uniri non possunt nisi una alteri subordinetur. — Hinc est cur retinenda sint *Concordata* [3], quæ Ecclesiam inter et Statum harmoniam

1. Encyc. *Longinqua* (ad Americ.), 6 janv. 1895. — 2. Lettre du Card. **Merry del Val**, in *Revue des Institutions et du Droit* (oct. 1913). — 3. **Leo XIII**, Encyc. *Immortale Dei* ; — *Lettres* du 3 mai 1892 et du 16 fév. 1893 ; — Cf. *Conférences ecclésiastiques de Paris*, an. 1892 ; — **Pillet**, *Avantages et inconvénients du Concordat.*

et unionem sanciunt ; quibus disruptis, in statu violento Ecclesia et Status sint oportet.

B. — Hanc autem unionem in *bonum utriusque* cedere evidens est... et innuere satis est iis qui prosperitatem societatis domesticæ, gentium progressum, et ultimo unionem in societatem universalem volunt. Hæc enim unio, quæ generis humani ultima perfectio videtur, si modo fieri potest, ab Ecclesia catholica, ut supra innuimus (n. 140), tantum sperari potest. Hæc enim est societas *ethnarchica* seu catholica, quæ in omnes homines et populos extenditur et habet auctoritatem : hæc odia inter gentes extinguere sola potest, spiritum infundendo universalis fraternitatis ; hæc tandem summam veritatum et gratiarum necessariam possidet, quæ possit homines impedire, ne, pondere suæ naturæ, redeant ad barbariem. Sit ergo Ecclesia catholica nexus inter omnes populos ! sit summus Pontifex judex sapientissimus, cujus arbitratu componantur futuræ discordiæ populorum [1] !

1. Cf. **Liberatore**, *Jus natur.*, art. ult., n. 32-35.

EXPLICIT PHILOSOPHIA MORALIS

NECNON

TOTA PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

A. M. D. G.

INDEX RERUM

METAPHYSICA SPECIALIS

II

PSYCHOLOGIA

SEU ANTHROPOLOGIA.

LIBER PRIMUS PSYCHOLOGIÆ.

DE POTENTIIS SEU DYNAMILOGIA.

SECTIO I[a].

DE POTENTIIS IN GENERE.

SECTIO II[a].

DE POTENTIIS IN SPECIE.

SECTIO III[a].

DE ORIGINE IDEARUM SEU IDEOLOGIA.

LIBER SECUNDUS PSYCHOLOGIÆ.

DE NATURA NOMINIS.

III

THEODICEA

SEU THEOLOGIA NATURALIS.

LIBER PRIMUS THEODICEÆ.

DE EXISTENTIA DEI.

LIBER SECUNDUS THEODICEÆ.

DE NATURA DEI.

LIBER TERTIUS THEODICEÆ.

DE RELATIONIBUS DEI AD MUNDUM.

III

ETHICA

SEU PHILOSOPHIA MORALIS.

ETHICÆ PARS PRIOR

SEU ETHICA GENERALIS.

LIBER PRIMUS ETHICÆ GENERALIS.

SEU DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM.

LIBER SECUNDUS ETHICÆ GENERALIS.

SEU DE PRINCIPIIS INTRINSECIS ACTUUM HUMANORUM.

ETHICÆ PARS POSTERIOR

SEU ETHICA SPECIALIS.

LIBER PRIMUS ETHICÆ SPECIALIS.

SEU DE JURE INDIVIDUALI.

LIBER SECUNDUS ETHICÆ SPECIALIS.

SEU DE JURE SOCIALI.

INDEX RERUM ALPHABETICUS
TOTIUS OPERIS.

(Numerus *romanus* remittit ad tomum, — *arabicus* ad paginam.)

DE Mgr A. FARGES (*suite*).

A LA LIBRAIRIE BERCHE ET TRALIN,

69, rue de Rennes, Paris.

Nouvelle apologétique.

DIEU, L'AME IMMORTELLE ET LA RELIGION NATURELLE

Un vol. in-12 de 272 pages. Prix, 3 fr. (*Majoration temporaire de 20 %*).

« Tous ceux que l'apologétique intéresse, les directeurs et les membres de nos œuvres de jeunesse, et même les membres du clergé, auront tout à gagner à faire de votre opuscule, très plein et très clair, un livre de chevet. » J.-C. Douais, *évêque de Beauvais*.

ENQUÊTE MÉDICALE ET CANONIQUE : guérison de Sœur Julienne, de Brive. In-8° de 112 p. Prix. . . . . 1 fr. 50.

« Excellente brochure où nous trouvons un rapport merveilleux de science et de logique. » J. Guibert (*Revue pratique d'Apologétique*).

CONFÉRENCES ECCLÉSIASTIQUES DU DIOCÈSE DE PARIS

Années 1889 à 1896, 8 vol. in-8° (*épuisées*).

A LA MAISON DE LA BONNE PRESSE,

5, rue Bayard, Paris

La Philosophie de M. Bergson. Exposé et Critique.

Un vol. in-12, 529 pages (2e édition). Prix, 6 francs ; port, 0 fr. 75.

« Ce nouvel ouvrage, d'une limpidité et d'une tenue toutes françaises, nous donne la clé des énigmes bergsoniennes... La plume pourtant si savante et si féconde de Mgr Farges n'a rien produit de plus parfait ni de plus décisif... C'est la revanche du bon sens sur la fantaisie. » Du Roussaux (*Revue Néo-Scolastique*).

LES PHÉNOMÈNES MYSTIQUES

Distingués de leurs contrefaçons humaines et diaboliques

(Traité de théologie mystique à l'usage des Séminaires, du Clergé et des gens du monde)

2 vol. in-8° de 640 pages, Prix, 12 francs ; port, 0 fr. 90

LA RELIGION DE J.-J. ROUSSEAU

Brochure de 96 pages. Prix, 1 franc ; port, 0 fr. 15.

LA PHILOSOPHIE DE DESCARTES

Brochure de 32 pages. Prix, 0 fr. 50 ; port, 0 fr. 10.

COMMENT ON CONSTATE UNE GUÉRISON MIRACULEUSE

Brochure de 40 pages. Prix, 0 fr. 50 ; port, 0 fr. 15.

OU EN EST LA QUESTION DE L'HOMME PRÉHISTORIQUE (1917)

Brochure de 32 pages. Prix, 0 fr. 50 ; port, 0 fr. 15.

TÉLÉPATHIE ET DOUBLE VUE

Phénomènes naturels et préternaturels.

Brochure de 32 pages. Prix, 0 fr. 50 ; port, 0 fr. 15.

LA PROPHÉTIE DES PAPES. DITE DE SAINT MALACHIE, ET LA GRANDE GUERRE

Brochure de 64 pages. Prix, 0 fr. 50 ; port, 0 fr. 15.

Imp. J. Thevenot. Étab. André BRULLIARD, Succ. St-Dizier (Hte-Marne).